

Averroes Cordubensis Commentarium Magnum in Aristotelis De Anima Libros

The following text is taken from Averroes Cordubensis Commentarium Magnum in Aristotelis De Anima Libros, edited by F.Stuart Crawford (Cambridge, Massachusetts: The Medieval Academy of America, 1953). It was entered into a wordprocessor by the late Mrs. Grace Jablonski of Milwaukee, Wisconsin, and revised and corrected against the printed Crawford edition by Marquette University Graduate students under the direction of Prof. Richard C. Taylor. The final version owes much to the careful work of Mr Francisco Romero and Mr Jonathan Bechtel.

AVERROIS CORDVBENSIS
COMMENTARIUM MAGNUM
IN ARISTOTELIS DE ANIMA LIBRUM PRIMVM

1. QUONIAM DE REBUS HONORABILIBUS
EST SCIRE ALIQUID DE REBUS
QUE DIFFERUNT ABINVICEM,
AUT IN SUBTILITATE, AUT QUIA SUNT
SCITE PER RES DIGNIORES ET
NOBILIORES, RECTUM EST PROPTER
HEC DUO PONERE NARRATIONEM
DE ANIMA POSITIONE PRECEDENTI.

i.1
402a1

420a4

Intendit per SUBTILITATEM confirmationem demonstrationis. Et intendit per hoc quod dixit: AUT QUIA SUNT COGNITE PER RES NOBILIORES, nobilitatem subiecti. Artes enim non differunt abinvicem nisi altero horum duorum modorum, scilicet aut confirmatione demonstrationis aut nobilitate subiecti aut utroque; v.g. quoniam Geometria excedit Astrologiam per confirmationem demonstrationis, Astrologia autem excedit illam nobilitate subiecti. Et dixit: NECESSARIUM EST PROPTER HEC DUO, etc. Idest, necessarium est, quia hec duo inveniuntur in scientia de anima, ut precedat sermo de ea ante alias scientias. Et manifestum est considerantibus quoniam subiectum huius scientie est nobilius aliis et similiter demonstratio eius est magis firma. Et inceptit sermocinari ita inducendo homines ad

Page 4

amorem scientie. Et sermo eius est in forma sillogismi categorici. Et quasi dicit: et quia nos opinamur quod cognitio est de rebus honorabilibus et delectabilibus, et quod superant se adinvicem aut propter confirmationem demonstrationis aut propter nobilitatem subiecti aut propter utrunque, sicut invenimus in scientia de anima, scilicet quia superat in his duobus alias scientias, preter scientiam Divinam, necessarium est opinari quod scientia anime antecedit alias scientias; et ideo posuimus eam inter omnia quesita positione precedenti.

2. ET ETIAM VIDEMUS QUOD COGNOSCERE
EAM ADIUVAT MAGNO INVAMENTO IN OMNI
VERITATE, ET MAXIME IN NATURA. EST ENIM QUASI
PRINCIPIUM ANIMALIUM

402a4

402a5

402a6

Cum demonstravit causam propter quam debet esse
hec scientia magis honorabilis et precedens alias
scientias nobilitate, incepit etiam demonstrare utilitatem
huius scientie, dicendo: ET VIDEMUS ETIAM QUOD
COGNITIO, etc. Et intendit per OMNEM VERITATEM scientias
speculativas. Et intendit per hoc quod dixit: ET
MAXIME IN NATURA, idest, et maxime in scientia Naturali.
Deinde dedit causam propter quam magis adiuvat Naturalem
scientiam quam aliam, dicendo: EST ENIM QUASI PRINCIPIUM
ANIMALIUM. Idest, et causa in hoc est quia cognoscere de
animalibus est maxima cognitio partium naturalium, et
anima est principium animalium. Unde necessarium est ut
scire de anima sit necessarium in cognitione animalium, non
tantum utile. Et debes scire quod iuvamentum scientie

Page 5

anime ad alias scientias invenitur tribus modis. Quorum
unus est secundum quod est pars illius scientie, immo nobilissima
partium eius, sicut habet dispositionem cum scientia Naturali.
Animalia enim sunt nobilissima corporum generabilium et
corruptibilium; anima autem est nobilior omnibus que
sunt in animalibus. Secundum est quia dat pluribus
scientiis plura principia, ut scientie Morali, scilicet regendi
civitates, et Divine. Moralis enim suscipit ab hac scientia
ultimum finem hominis in eo quod est homo, et scientiam
sue substantie que sit. Divinus autem suscipit ab ea
substantiam sui subiecti. Hic enim declarabitur quoniam
forme abstracte sunt intelligentie, et alia multa de
cognitione dispositionum consequentium intelligentiam
in eo quod est intelligentia et intellectus. Tertium vero
est commune iuvamentum, et est facere acquirere
confirmationem in primis principiis; quoniam ex ea
acquiritur cognitio causarum primarum propositionum,
et cognitio alicuius per suam causam est magis firma
quam sui esse tantum

3. ET QUESITUM EST SCIRE NATURAM ET SUBSTANTIAM
EIUS; POSTEA AUTEM OMNIA QUE ACCIDUNT EI.
ET EXISTIMATUM EST QUOD HORUM ACCIDENTIUM QUEDAM
SUNT PASSIONES PROPRIE ANIME, ET QUEDAM
ACCIDUNT CORPORI PROPTER ANIMAM.

402a7

402a10

Cum demonstravit utilitatem huius scientie, incepit
demonstrare intentionem suam, dicendo: ET QUESITUM

Page 6

EST, etc. Idest, et illud quod querendum est in hac scientia
et perscrutandum est scire naturam anime, idest substantiam
eius, deinde scire omnia contingentia ei, sicut est de
aliis considerandis in scientia Naturali. Cognitio enim cuiuslibet
generis et speciei eius non complebitur nisi per cognitionem
substantie illius speciei, et per cognitionem eorum

que contingunt ei, ut dictum est in Posterioribus Analyticis. Deinde dixit: ET EXISTIMATUM EST, etc. Idest, accidentium autem contingentium anime, quedam sunt, ut existimatur, passiones que appropriantur anime, scilicet quoniam anima non indiget corpore in habendo has passiones, v.g. ut in ymaginatione per intellectum. Quedam autem reputantur indigere corpore, et quod non complebuntur nisi per utrumque, scilicet anima et corpore. Et hoc intendebat cum dixit: ET QUEDAM CONTINGUNT CORPORI PROPTER ANIMAM. Et hee sunt passiones attribute virtuti concupiscibili, scilicet anime que desiderat et fugit. Et induxit hanc divisionem in accidentibus anime quoniam illud quod est magis desideratum de passionibus anime est utrum possit esse de eis abstractum aliquid, aut non; quod impossibile est nisi sit aliquod earum proprium anime sine corpore. Et potest intendere per PASSIONES PROPRIAS ANIME eas que primitus existunt in anima et secundo in corpore, ut sensus et ymaginatio. Et intendit per ALIAS eas que existunt in anima propter corpus, ut sompnum et vigiliis. Et sic comprehendit in hoc sermone omnia que contingunt anime et attribuuntur ei.

4. ET VALDE EST DIFFICILE ET GRAVE INVENIRE
ALIQUID FIRMUM IN ESSE EIUS.
QUONIAM HEC PERSCRUTATIO, QUIA EST COMMUNIS

Page 7

ALIIS MULTIS REBUS, SCILICET PERSCRUTATIO DE
SUBSTANTIA EIUS, ET DE EA QUID SIT, NECESSE EST
EXISTIMARI QUOD VIA IN OMNIBUS REBUS QUARUM SUBSTANTIAM
VOLUMUS COGNOSCERE SIT EADEM, QUEMADMODUM
VIA DEMONSTRATIONIS IN PASSIONIBUS
COTINGENTIBUS SUBSTANTIE EST EADEM. QUAPROPTER
NECESSE EST HANC VIAM DECLARARI.

402a15

402a16

Cum demonstravit quod querenda in hac scientia sunt primo duorum generum, quorum unum est scire substantiam anime, et aliud est scire ea que contingunt substantie, incepit primo demonstrare ea propter que est difficile scire substantiam eius; et est difficultas cognitionis vie et regule ex qua potest quis invenire suam diffinitionem. Et dixit: ET VALDE EST DIFFICILE, etc. Idest, et valde est difficile in cognitione diffinitionis anime habere regulam et viam ex qua possumus scire diffinitionem veram, scilicet viam inducentem nos ad suam diffinitionem perfecte. Quoniam, si talem regulam habuerimus, tunc facile erit cognoscere diffinitionem anime. Deinde incepit demonstrare modum propter quem difficile est invenire talem viam, et dare dubitationes que contingunt propter hanc difficultatem, et dixit: QUONIAM HEC PERSCRUTATIO, QUIA EST COMMUNIS, etc. Idest, et causa huius difficultatis est quoniam hec perscrutatio de anima, que est querere cognitionem substantie eius, quia est communis ei et omnibus rebus quarum substantia est querenda, potest quis dicere quod via qua universaliter pervenimus ad cognoscendum diffinitiones rerum est eadem in querendo cognitionem substantiam eius et aliarum substantiarum omnium rerum querendarum. Et dat rationem

Page 8

super hoc, dicendo quoniam, quemadmodum via qua fit demonstratio super passiones que contingunt rebus est eadem via in anima et in aliis, ita est in via cognitionis substantie. Unde necesse est scire istam viam que sit, quod est valde difficile. Et cum narravit difficultatem contingentem dicenti quod ista via est eadem, quoniam querendum est ab eo scire illam viam que sit, incepit demonstrare difficultatem contingentem dicenti quod ista via non est eadem.

5. SI AUTEM ISTA VIA NON FUERIT EADEM ET COMMUNIS, 402a16
TUNC MAGIS ERIT DIFFICILE ILLUD QUOD QUESITUM
EST. NECESSARIUM ERIT ENIM INVENIRE ALIQUAM
VIAM IN UNAQUAQUE RERUM, ET SCIRE ILLAM VIAM
QUE SIT. ET SI FUERIT DECLARATUM UTRUM SIT
DEMONSTRATIO, AUT DIVISIO, AUT ALIA VIA, POST 402a20
REMANEBUNT PLURES DUBITATIONES, IN EIS EX QUIBUS
DEBEMUS QUERERE. PRINCIPIA ENIM RERUM
DIVERSARUM SUNT DIVERSA, V.G. PRINCIPIA
NUMERORUM ET SUPERFICIERUM. 402a22

Intendit quod, si hec via qua imus in inveniando diffinitiones rerum et cognoscendo substantias earum non fuerit eadem et communis omnibus rebus quarum diffinitiones sunt querende, sed plures una, tunc illud quod quesitum est de cognitione substantie anime magis erit difficile. Necessarium est enim tunc scire primitus in unaquaque rerum quarum diffinitio est cognoscenda aliquam viam propriam illis rebus quarum substantie sunt cognoscende.

Et cum fuerit declaratum a nobis illam viam esse, et esse unam, tunc necessarium est nobis post scire illam viam

Page 9

que sit: utrum demonstratio, ut dicebat Ypocras, aut divisio, ut Plato dixit, aut alia via, ut via compositionis, quam Aristoteles dedit in Posterioribus. Et cum hoc fuerit declaratum, remanebunt post multe dubitationes et loca erroris, in rebus ex quibus oportet querere cognitionem diffinitionum rerum. Necesse est enim cum cognitione istius vie scire principia propria cuilibet generi generum speculandorum. Principia enim rerum diversarum genere sunt diversa. Unde cognitio istius vie non sufficit in scire diffinitiones rerum, nisi scita fuerint principia propria illis rebus. Nam diffinitiones non componuntur nisi ex principiis propriis que sunt in re.

6. ET DIGNUM EST ET RECTUM UT PRIMO DETERMINEMUS 402a23
IN QUO GENERE EXISTIT, ET QUID EST, SCILICET
UTRUM SIT HOC ET SUBSTANTIA, AUT QUALE, AUT
QUANTUM, AUT ALIUD PREDICAMENTORUM QUE 402a25
SUNT DETERMINATA A NOBIS. ET AMPLIUS, UTRUM
SIT ENS IN POTENTIA, AUT EST DIGNIOR UT SIT ALIQUA
ENDELECHIA; QUONIAM HEC DUO NON PARUM DIFFERUNT. 402b1

Cum demonstravit difficultatem contingentem ei qui

voluerit diffinire animam, incepit demonstrare ea que primo perscrutanda sunt ab eo qui voluerit scire diffinitionem suam perfectam et veram. Et dixit: ET DIGNUM EST, etc. Idest, et necessarium est volenti scire diffinitionem suam scire primo in quo genere decem generum continetur: utrum in substantia, aut in qualitate, aut in quantitate, aut aliis. Deinde, cum sciverit genus in quo

Page 10

collocatur, necesse est ei scire utrum sit in illo genere secundum potentiam, aut est in eo secundum quod est endelechia, idest in actu Differentia enim inter hec duo est magna, scilicet opinari quod est in aliquo predicamentorum, sed non erit determinatum hac determinatione. Potentia enim et actus sunt differentie que contingunt omnibus predicamentis, et sunt valde opposite.

7. AMPLIUS AUTEM CONSIDERANDUM EST UTRUM OMNIS ANIMA EST DIVISIBILIS, AUT NON; ET UTRUM OMNES ANIME UNIVOCANTUR IN SPECIE, AUT NON; ET, SI NON CONVENIANT, UTRUM DIFFERANT IN SPECIE, AUT IN GENERE. NOS AUTEM INVENIMUS OMNES LOQUENTES ET PERSCRUTANTES DE ANIMA QUOD NON VIDENTUR CONSIDERARE NISI TANTUM DE ANIMA HOMINIS.

402b1

402b5

Cum incepit numerare questiones perscrutandas ab eo qui vult considerare de anima, et demonstravit primo quod substantia eius est querenda, incepit etiam dicere quid est querendum post hoc. Et dixit: ET CONSIDERANDUM EST ETIAM UTRUM SIT DIVISIBILIS, idest secundum subiectum, aut non divisibilis per divisionem eius. Plato enim dicebat quod virtus intelligibilis est in cerebro, et concupiscibilis in corde, et naturalis, scilicet nutritiva, in epate. Aristoteles autem opinatur eas esse unam subiecto, et plures secundum virtutes. Deinde dixit: ET UTRUM OMNES ANIME, etc. Idest, et considerandum est post utrum anima est eadem in specie in omnibus animatis, v.g. anima hominis et equi, aut sunt diverse.

Deinde dixit: ET, SI NON CONVENIUNT, etc. Idest, et considerandum est, si apparuerit quod sunt diverse in specie, utrum illa diversitas sit in specie tantum, et tamen conveniunt in genere, aut illa diversitas sit in utroque. Dimittere enim hanc

Page 11

perscrutationem est causa propter quam Antiqui non consideraverunt nisi tantum de anima hominis, existimando quod consideratio de hoc sit consideratio de anima simpliciter. Et hoc esset verum, si anime essent eedem in specie; modo autem, quia sunt diverse, necesse est considerare si conveniant in genere. Quoniam tunc debemus sollicitari primo circa diffinitionem illius generis, deinde post circa ea que appropriantur unicuique anime, sicut fecit Aristoteles. Et indifferenter sive illud genus fuerit predicatum univoce, aut secundum prius et posterius, sicut est in diffinitione quam post inducet de anima.

8. ET DEBEMUS PRESERVARE NOS NE IGNOREMUS UTRUM DIFFINITIO EIUS SIT EADEM UT DIFFINITIO VIVI,

402b5

AUT SIT ALIA IN QUOLIBET, V.G. DIFFINITIO
EQUI, ET CANIS, ET HOMINIS, ET DEI. VIVUM
AUTEM UNIVERSALE AUT NICHIL EST, AUT POSTREMUM EST, SICUT
ETIAM ET SI EST HIC ALIUD DE QUO PREDICATUR UNIVERSALE.

402b9

Cum narravit quod neecesse est dominum huius artis ponere suam considerationem in anima universali, incepit demonstrare quod, cum quesiverit diffinitionem anime universalis, oportet non ignorare utrum illa diffinitio sit de modo diffinitionum generum, aut de modo diffinitionum specierum, sicut ignoraverunt Antiqui. Et dixit: ET OPORTET NON PRESERVARE, cum quesiverimus eandem diffinitionem universalem ei, ne ignoremus utrum universalitas illius diffinitionis in omnibus animalibus sit sicut universalitas animalis in omnibus suis speciebus, aut sicut universalitas diffinitionis hominis et diffinitionis equi in omnibus suis individuus. Quoniam, cum hoc fuerit consideratum, non continget

Page 12

nobis, cum locuti fuerimus de anima hominis, ut existimemus nos loqui de omni anima, sicut contingit Platoni.

Deinde dixit: VIVUM AUTEM UNIVERSALE, etc. Demonstratur per hoc quod ipse non opinatur quod diffinitiones generum et specierum sunt diffinitiones rerum universalium existentium extra animam; sed sunt diffinitiones rerum particularium extra intellectum, sed intellectus est qui agit in eis universalitatem. Et quasi dicit: et non attribuitur esse diffinitionum speciebus et generibus, ita quod ille res universales sint existentes extra intellectum. Vivum enim universale aut nichil est omnino, aut esse eius est posterius ab esse rerum sensibilium, si est aliquid universale ens per se. Et dixit hoc, quia apparet hic quod diffinitiones sunt de istis rebus sensibilibus existentibus extra intellectum. Et tunc aut non sunt res universales existentes per se, ut Plato dicebat, aut, si sunt, esse earum non est necessarium in intelligendo substantias rerum sensibilium. Et quasi dicit quod non curat in hoc loco quomocunque sit, cum apparet quod iste diffinitiones non sunt nisi in rebus particularibus existentibus extra animam; sed quod apparet hic est quod aut non sunt omnino, aut, si sunt, postremum sunt; idest, sunt posteriores a rebus sensibilibus. Quoniam, si prederent eas, ita quod essent cause earum, non possemus intelligere substantias rerum sensibilium, nisi postquam habuissemus fidem sui esse; sicut est dispositio de aliis causis rerum existentibus in eis, scilicet forma et materia.

9. ET ETIAM, SIT ANIME NON FUERINT MULTE, SED SECUNDUM
PARTES, UTRUM EST QUERENDUM PRIMO DE ANIMA
SECUNDUM TOTUM, AUT DE PARTIBUS SUIS? ET QUOD EST
VALDE DIFFICILE AD DISTINGUENDUM EST QUE EARUM
DIFFERUNT ABINVICEM SECUNDUM NATURAM.

402b9

402b10

402b11

Page 13

Et etiam, cum declaratum fuerit quod anime non sunt plures secundum subiectum, sed secundum partes, tamen eedem subiecto, oportet perscrutari utrum debeamus ponere principium considerationis primo de tota anima, deinde

postea de suis partibus, aut primo debemus considerare de partibus antequam de anima secundum totum in eo quod est anima. Dinde dixit: ET QUOD EST VALDE DIFFICILE, etc. Idest, et cum posuerimus eam esse plures secundum partes, difficile est nobis distinguere has partes et dare differentias quibus differunt abinvicem. In quibusdam enim sunt manifeste, et in quibusdam latentes, v.g. inter intellectum et ymaginationem, et inter ymaginationem et sensum

10. ET UTRUM EST PERSCRUTANDUM PRIUS DE PARTIBUS, AUT DE SUIS ACTIONIBUS? V.G. UTRUM PRIUS DE INTELLIGERE AUT DE INTELLECTU, AUT DE SENTIRE AUT DE SENSU, ET SIC DE SIMILIBUS? ET SI PRIUS DEBEMUS PERSCRUTARI DE ACTIONIBUS, POTEST HOMO DUBITARE UTRUM EST PERSCRUTANDUM DE SENSATO ANTE SENSUM, ET DE INTELLECTO ANTE INTELLECTUM. 402b11 402b15 402b16

Cum incepit numerare dubitationes que contingunt in ordinatione perscrutationis de anima, et dixit prius utrum sit considerandum de anima universali aut particulari, incepit modo querere, cum consideraverimus de partibus, utrum sit incipiendum de eis, et post de suis actionibus, aut econtrario. Et dixit: ET UTRUM PERSCRUTANDUM EST PRIUS, etc. Et eius sermo est intelligibilis per se. Deinde dixit: ET SI PRIUS PERSCRUTANDUM EST DE ACTIONIBUS, POTEST HOMO DUBITARE, etc. Idest, et si declaratum fuerit quod oportet nos prius querere de actionibus,

Page 14

dubitabit homo in hoc; utrum debeat incipere a sensato ante sensum, et ab intellectu ante intellectum, aut econtrario. Et dubitabit in talibus, quia oportet ire de eis que magis sunt nota apud nos ad ea que sunt latentiora apud nos. Et in hoc differunt scientie. Scientiarum enim in quibusdam ea que sunt magis nota apud nos sunt precedentia, ut in Mathematicis; et in quibusdam econtrario, ut in quibusdam que continentur in scientia Naturali.

11. ET VIDETUR QUOD HOC NON SOLUMMODO EST UTILE, SCILICET SCIRE QUID SIT ALIQUID, IN SCIENDO CAUSAS ACCIDENTIUM SUBSTANTIARUM (V.G. IN MATHEMATICIS; QUONIAM SCIRE QUID EST RECTUM, ET CURVUM, ET QUID EST LINEA, ET QUID EST SUPERFICIES, EST UTILE IN COGNOSCENDO ANGULOS TRIANGULI QUOT ANGULIS RECTIS SUNT EQUALES); SED ETIAM ECONTRARIO, SCILICET QUOD ACCIDENTIA ADIUVANT MAXIME IN SCIENDO QUID EST ALIQUID. QUONIAM, CUM DEDERIMUS ALIQUID SECUNDUM VIAM YMAGINATIONIS IN OMNIBUS ACCIDENTIBUS, AUT IN PLURIBUS EORUM, TUNC DICEMUS ETIAM DE SUBSTANTIA MELIOREM SERMONEM. NAM QUID EST ALIQUID EST PRINCIPIUM OMNIS DEMONSTRATIONIS. QUOD FUERIT ERGO EX DIFFINITIONIBUS PER QUOD NON PREPARATUR COGNITIO ACCIDENTIUM, NEQUE INTELLIGITUR ALIQUID EX EIS FACILE, MANIFESTUM EST QUOD NON SUNT NISI VERBA SINE CERTITUDINE. 402b16 402b20 402b25 403a2

Cum dubitavit a quo debet incipere dominus istius
artis, utrum a posterioribus ad precedentia, aut econtrario,
inceptit notificare quod utraque via est communis in scientiis

Page 15

et in usu earum. Quoniam, quamvis sit magis famosum ire
de precedentibus ad posteriora, tamen aliquando ibitur de
posterioribus ad precedentia. Et dixit: ET VIDETUR, etc. Idest, et
videtur quod cognitio substantie rei non sit tantum principium
cognitionis accidentium eius, ut contingit in Mathematicis.
Scire enim quid est linea, et quid est rectum, et quid
est concavum, et quid est superficies in Geometria est principium
cognitionis angulorum trianguli, scilicet quot angulis
rectis sunt equales. Sed etiam econtrario, scilicet quod scire plura
posteriora est principium ad sciendum antecedentia. Et sermo
eius in hoc est intelligibilis per se. Et cum demonstravit
quod scire posteriora aliquando est principium ad sciendum
antecedentia, inceptit notificare quod hoc non accidit in
omnibus accidentibus contingentibus rei, scilicet ut sint principium
cognitionis rerum antecedentium, scilicet substantie.
Et dixit: QUONIAM, CUM DEDERIMUS ALIQUID SECUNDUM
VIAM, etc. Idest, et non est possibile ut tale contingat, scilicet
ire a cognitione accidentium ad cognitionem substantie,
nisi quando accidentia rei fuerint cognita a nobis secundum viam
ymaginationis, idest accidentia que manifesta sunt existere
in re, et que sunt in loco eius, scilicet accidentia essentialia
propinqua, aut omnia, aut plura. Et quasi dicit: et non preparatur
nobis cognitio substantie per cognitionem accidentium
nisi cum sciverimus accidentia propinqua essentialia,
aut omnia, aut plura. Tunc enim continget ut inducamus
meliozem diffinitionem substantie. Deinde dixit. NAM QUID
SIT ALIQUID EST PRINCIPIUM OMNIS DEMONSTRATIONIS. Et hoc
respondet ei a quo inceptit sermonem, scilicet quod cognitio
diffinitionis est utilis in cognitione accidentium. Deinde inceptit

Page 16

declarare quod hoc contingit omni diffinitioni, et quod
omnis diffinitio per quam non cognoscuntur accidentia non
dicitur diffinitio nisi equivoce: aut quia in ea collocatur
aliquod falsum, aut quia componitur ex causis remotis
aut accidentalibus. Et dixit: ET QUOD FUERIT EX DIFFINITIONIBUS,
etc. Et sermo eius in hoc est manifestus per se.

12. ET EST DUBIUM DE PASSIONIBUS ANIME, ETRUM
OMNES SINT COMMUNES, ET SINT CUM HOC EI IN
QUO SUNT, AUT QUEDAM ETIAM APPROPRIENTUR
ANIME. HOC ENIM NECESSE EST SCIRE, SED NON
EST FACILE. ET NOS VIDEMUS QUOD PLURES EARUM
IMPOSSIBILE EST UT SINT NEQUE ACTIO NEQUE PASSIO
EXTRA CORPUS, V.G., IRACUNDIA ET DESIDERIUM,
ET AUDACIA, ET UNIVERSALITER SENTIRE. QUOD
AUTEM VIDETUR PROPRIUM EI EST INTELLIGERE. SED
SI HOC ETIAM EST YMAGINATIO, AUT NON POTEST ESSE
SINE YMAGINATIONE, IMPOSSIBILE EST UT SIT NEQUE
HOC ETIAM EXTRA CORPUS.

403a3

403a5

403a10

Cum numeravit ea que querenda sunt in hac scientia,

incepit dicere etiam quiddam perutile et quod anime est multum desideratum; et est utrum omnes actiones et passiones anime non inveniuntur nisi per communicationem corporis, et sunt cum hoc actiones et passiones in rebus existentibus in corpore, aut invenitur in eis aliquod non habens communicationem cum corpore, neque indiget in actione aut passione propria aliquo existente in corpore. Manifestum est enim quod plures earum habent communicationem cum corpore, sed est dubium, sicut dicit, de intelligere. Et dixit:

Page 17

UTRUM OMNES SINT COMMUNES, etc. Idest, utrum omnes actiones et passiones eius habeant communicationem cum corpore, et sint cum hoc actiones aut passiones in rebus existentibus in corpore. Et hoc intendebat cum dixit: ET SUNT CUM HOC EI IN QUO SUNT, idest communicantes cum corpore, et existentes in eo quod est in corpore. Et possibile est ut aliquod non communicans corpori sit existens in rebus existentibus in corpore, et possibile est ut actio alicuius communicantis corpori sit non existens in aliquo eorum que sunt in corpore. Et ista perscrutatio de anima est valde perutilis, et est necessaria in sciendo qualitatem abstractionis anime. Et hoc debemus ponere in directo oculorum nostrorum. Et ideo dixit: HOC ENIM NECESSARIUM EST AD SCIENDUM.

Hoc autem quod dixit, quod plures passionum anime videntur habere communicationem cum corpore, et quod ille partes anime que habent illas passiones constituuntur per corpus, ut iracundia, et desiderium, manifestum est per se; et maxime in passionibus attributis anime concupiscibili, secundum quod post dabimus rationem; et postea in passionibus sensus, quamvis magis latet in eis. In primo enim instrumento sensus non apparet passio manifesta apud sentire, sicut apparet in iracundia et verecundia et in aliis passionibus. Intelligere autem valde latet, et multam habet dubitationem. Existimatum est enim quod passio eius propria nullam habet communicationem cum corpore. Sed, sicut dixit, si intelligere fuerit ymaginari, aut habuerit communicationem cum ymaginari, tunc impossibile est ut sit extra corpus, idest ut sit extra aliquod existens in corpore. Et dixit hoc quia in unaquaque istarum virtutum sunt, sicut diximus, due

Page 18

questiones. Quarum una est utrum sit possibile ut actio earum habeat communicationem cum corpore, aut non. Postea, si non habeat communicationem cum corpore, utrum actio earum sit per res et in rebus communicantibus corpori, aut est de eis aliquod non communicans omnino. Et ideo dixit: ET QUOD VIDETUR PROPRIUM EI EST INTELLIGERE, etc. Idest, et quod videtur esse passio aut actio anime sine indigentia instrumenti corporalis est intelligere. Sed si hoc fuerit ymaginatio, aut cum ymaginatione, impossibile est ut ista actio sit extra aliquod habens communicationem cum corpore, quamvis intellectus nullam habeat communicationem cum eo. Et hec est sententia eius in intellectu materiali, scilicet quod est abstractus a corpore, et quod impossibile est ut intelligat aliquid sine ymaginatione. Et non intendit per

hoc quod apparet ex hoc sermone superficietenus,
scilicet quod, si intelligere non fit nisi cum ymaginatione, tunc
intellectus materialis erit generabilis et corruptibilis,
sicut intellexit Alexander ab eo. Et sermo eius est intellectus
per se, sed debes observare hoc quod diximus.

13. DICAMUS IGITUR QUOD, SI ALIQUA ACTIONUM AUT
PASSIONUM ANIME SIT PROPRIA SIBI, POSSIBILE EST
UT SIT ABSTRACTA. ET SI NICHIL EST EI PROPRIUM,
IMPOSSIBILE EST UT SIT ABSTRACTA, SED ITA EST DE HOC
SICUT EST DE RECTO. QUONIAM, SECUNDUM QUOD EST RECTUM,
ACCIDUNT EI PLURA: V.G. UT CONTINGAT SPERAM
CUPRI IN UNO PUNCTO; SED TAMEN RECTITUDO
IMPOSSIBILE EST UT SIT ABSTRACTA PER SE, CUM
SEMPER SIT CUM ALIQUO CORPORE.

403a10
403a15
403a16

Page 19

Cum demonstravit quod querendum est prius utrum
aliqua actionum aut passionum anime sit extra corpus,
et, si fuerit, utrum est, cum eo quod est extra corpus,
extra omne existens in corpore, incepit demonstrare
hic quod, si fuerit aliqua passio anime propria, idest sine
corpore, possibile est ut sit abstracta, ita quod illa passio aut
actio non sit in rebus existentibus in corpore. Et si non
habuerit aliquam actionem propriam, impossibile est ut
sit abstracta, quamvis actio eius sit in rebus non existentibus in
corpore. Et dixit: DICAMUS IGITUR, etc.; idest quod, si aliqua
actionum et passionum anime non indiget instrumento
corporali, possibile est ut illa actio aut passio sit abstracta.
Quoniam, si non est in rebus existentibus in corpore,
necesse est ut sit abstracta; et si est in rebus existentibus
in corpore, necesse est ut sit non abstracta; v.g.
quod, si intelligere fuerit sine instrumento corporali, et non
fuerit existens in rebus existentibus in corpore, v.g.
ut sit intelligere intentiones ymaginabiles, necesse
est ut sit actio sempiterna et abstracta. Et si impossibile
est ut sit sine ymaginatione, tunc actio eius erit non
abstracta a corpore, quamvis intellectus sit abstractus
ab eo. Et est manifestum, sicut dicit Themistius, quod
propositiones ypotetice continuative in quibus
consequens est possibile esse cum antecedente, necesse est
semper ut destruamus antecedens et concludamus
oppositum consequentis, econtrario dispositioni propositionum
quarum consequens sequitur antecedens necessario.
Et ideo nullum impossibile contingit Aristoteli inquantum
destruxit antecedens; v.g. quod, si hoc visibile
est animal, possibile est ut sit homo; sed non est animal;
ergo impossibile est ut sit homo. Deinde dixit: SED ITA EST
DE HOC SICUT DE RECTO. Idest, sed si anima non habuerit
actionem

Page 20

propriam, tunc passionem que attribuuntur ei erunt
sicut plures res que attribuuntur rebus existentibus in
materia inquantum contingit eis quod sint in materia,
non inquantum sunt abstracte a materia; v.g.
contactus verus quem habet linea cum spera. Hoc enim

invenitur extra animam inquantum linea est in corpore
et figura sperica in corpore, v.g. inquantum
linea est in ligno et spericum in cupro. Impossibile
est enim ut linea contingat speram inquantum
utraque earum est abstracta a materia, nisi contactus sit
mathematicus, non naturalis.

14. ET VIDETUR ETIAM QUOD OMNES PASSIONES ANIME 403a16
SUNT IN CORPORE, UT IRACUNDIA, ET GRATIA, ET TIMOR,
ET PIETAS, ET AUDACIA, ET GAUDIUM, ET TRISTITIA, ET
ODIUM, ET AMOR. CORPUS ENIM PATITUR CUM ISTIS;
ITA QUOD FORTE FIUNT PASSIONES FORTES 403a20
ET APPARENTES ET NON ACCIDET EX EIS HOMINI NEQUE
IRACUNDIA NEQUE TIMOR; ET FORTE PASSIONES PARVE
ET DEBILES MOVEBUNT IPSUM, QUANDO CORPUS FUERIT
PARATUM. ET MAGIS MANIFESTUM EST QUOD VIDEMUS
QUOD QUIDAM HOMINES SUNT VALDE TIMOROSI, QUAMVIS
NICHIL TIMORIS ACCIDAT EIS. UNDE MANIFESTUM
EST QUOD PASSIONES ANIME SUNT INTENTIONES IN MATERIA. 403a25

Cum narravit quod plures passiones et actiones anime
videntur habere communicationem cum corpore, incepit hic
notificare genus in quo apparet hoc manifeste. Et dixit:
ET VIDETUR QUOD OMNES, etc. Et intendit per PASSIONES
ANIME dispositiones attributas virtuti concupiscibili.

Page 21

Deinde dixit: CORPUS ENIM PATITUR CUM ISTIS. Idest, apparet in
eo alteratio et transmutatio. Omnis enim passio facta
cum alteratione et transmutatione est in corpore necessario,
aut virtutis in corpore. Et cum hec propositio
fuerit vera, et etiam quod omnia accidentia anime concupiscibilis
fiunt cum transmutatione, concludetur necessario
quod hec anima aut est corpus aut virtus in corpore. Sed
quia propositio maior est manifesta, minor vero latet
aliquantulum, cum sit possibile ut accidant passiones
ex quibus corpus non patietur apud sensum, incepit declarare
hoc alio modo. Et dixit: ET SIGNUM EIUS EST QUONIAM
FORTE, etc. Idest, et significat quod ista utitur corpore quasi
instrumento, et quod corpus patitur ab eis etsi non patitur
apud sensum, quoniam actio eius differt secundum diversitatem
dispositionum corporis. Accidunt enim homini multa
que innata sunt movere motu forti, et non movent ipsum
nisi debiliter; v.g. quod accidit homini aliquod
timorosum aut aliquid provocans iram, et non movetur
ab eis nisi modicum. Aut econtrario quando corpus fuerit
paratum, sicut dixit, et fuerit ita paratum sicut est
iratus. Iratus enim movebitur facile valde ex re modica
provocante iram. Et magis manifestum est, sicut dicit, quia
nos videmus multos homines timere sine aliquo timoroso.
Et omnia ista significant quod ista actio non fit absque corpore.
Deinde dixit: MANIFESTUM EST QUOD PASSIONES, etc. Idest, manifestum
est igitur quod forme provenientes in ista anima apud
passionem et motum sunt forme in materia.

Page 22

15. QUAPROPTER DIFFINITIONES DEBENT ESSE ITA: 403a25

QUONIAM IRA EST MOTUS ALICUIUS PARTIS ISTIUS CORPORIS,
AUT ALICUIUS VIRTUTIS EIUS, A TALI, ET PROPTER
TALE. ET IDEO CONSIDERARE DE ANIMA, AUT DE OMNI
AUT DE HAC, EST NATURALIS.

403a28

Et cum declaratum est quod iste passiones sunt
forme materiales, necesse est ut in diffinitionibus earum
appareat materia. Et motus quem sequuntur iste forme
est motus materialis, ita quod corpus accipiendum est in
diffinitione istius motus, v.g. quoniam ira est motus
alicuius partis corporis. Et cum in diffinitionibus istarum
virtutum apparet materia, manifestum est quod
consideratio de anima est Naturalis: aut de omni
anima, si omnis anima est talis, aut de animabus que declarantur esse
materiales. Et hoc intendebat cum dixit: ET IDEO CONSIDERATIO
DE ANIMA EST NATURALIS.

16. ET DIFFERT ILLUD QUO NATURALIS DIFFINIT UNUMQUODQUE
ISTORUM AB EO QUO DIFFINIT SERMOCINALIS;
V.G. QUID EST IRA. SERMOCINALIS
ENIM DICIT: IRA EST APPETITUS IN VINDICTAM;
ET SIC DE SIMILIBUS. NATURALIS AUTEM DICIT QUOD EST
EBULLITIO SANGUINIS AUT CALORIS IN CORDE. NATURALIS
IGITUR DAT MATERIAM, SERMOCINALIS AUTEM
DAT FORMAM ET INTENTIONEM. INTENTIO ENIM ALICUIUS
EST HOC, ET NECESSE EST UT HOC SIT IN MATERIA.
V.G. DOMUS: ALIQUIS ENIM DAT
INTENTIONEM, DICENDO QUOD EST COOPERIMENTUM

403a29

403a30

403b1

Page 23

PROHIBENS AB IMBRIBUS ET PLUVIIS ET FRIGORE ET
CALORE; ALIUS AUTEM DICIT QUOD EST EX LAPIDIBUS ET
LATERIBUS ET LIGNIS; ALIUS VERO DAT FORMAM EXISTENTEM
IN HOC PROPTER ISTA. QUIS IGITUR
ISTORUM EST NATURALIS? UTRUM QUI INTENDEBAT MATERIAM
ET IGNORABAT INTENTIONEM, AUT QUI INTENDEBAT
SOLUM INTENTIONEM? AUT MELIUS EST DICERE
UT SIT ILLE QUI CONGREGABAT UTRUNQUE? UTRUNQUE
IGITUR ALIORUM CUI ATTRIBUETUR?

403b5

403b9

Cum demonstravit quod in diffinitionibus istarum virtutum
debet accipere materiam et formam, incepit dubitare
secundum consuetudinem que est apud Naturales et eos
qui absolute considerant, scilicet Disputatores. Naturales
enim differunt a Disputatoribus in modo diffiniendi.
Disputatores enim dant diffinitiones secundum formam
tantum, dicendo quod ira est appetitus in vindictam; Naturales
vero secundum materiam, dicendo quod est ebullitio caloris et
sanguinis in corde. Deinde dixit: INTENTIO ENIM ALICUIUS
EST HOC. Idest, ut michi videtur, intentio enim alicuius, secundum quod
est ens, est hoc. Deinde dixit: ET NECESSE EST UT SIT IN MATERIA,
etc. Idest, et necesse est ut illa intentio, secundum quod est hoc,
existat in materia que habeat talem dispositionem, scilicet
que sit hoc etiam, et sit per aliquam intentionem existentem
in ea quapropter fuit digna ut illa res existeret in ea,
non in alia. Et innuit per hunc sermonem quoniam, sicut necesse
est ut intentio existat in materia, secundum quod est hoc, ita

necesse est ut sit modus acceptionis eius in diffinitione.
Et si non, erit accepta intentio alio modo ab eo secundum quem est.
[line 39 cont.] Qui enim

Page 24

accipit materiam in diffinitione et dimittit formam,
diminute accipit; qui autem accipit formam et dimittit
materiam, existimatur quod dimittit aliquid non necessarium.
Sed non est ita, quoniam forma debet accipi in diffinitionibus
secundum dispositiones quibus existit. Et residuus
sermo est manifestus.

17. DICAMUS IGITUR QUOD ISTE QUI INTENDIT CONSIDERARE 403b9
DE PASSIONIBUS MATERIE QUE NON SEPARANTUR 403b10
AB EA, SECUNDUM QUOD NON SEPARANTUR,
NULLUS EST NISI NATURALIS, CONSIDERANS
IN OMNIBUS ACTIONIBUS ISTIUS CORPORIS ET ISTIUS
MATERIE ET PASSIONIBUS. QUOD AUTEM NON EST
ITA, CONSIDERANDUM EST AB ALIO; QUORUM QUEDAM
DEBET INTENDERE ARTIFEX, UT CAPRENTARIUS, ET
MEDICUS. EA AUTEM QUE SUNT NON ABSTRACTA IN
REI VERITATE, SED SUNT PASSIONES CORPORIS, ET SECUNDUM 403b15
ABSTRACTIONEM, INTENDIT MATHEMATICUS. EA AUTEM
QUE SUNT ABSTRACTA IN REI VERITATE INTENDIT
PRIMUS PHILOSOPHUS. 403b16

Cum dubitavit de diffinitionibus, incepit demonstrare
hic que artes utuntur in diffinitionibus forma
et materia, et que solummodo forma. Et dixit: QUOD ILLE
QUI INTENDIT CONSIDERARE DE PASSIONIBUS MATERIE NON
ABSTRACTIS AB EA, SECUNDUM QUOD SUNT, etc. Idest, ille qui intendit
considerare de formis consequentibus passiones materie
non abstractas a materia secundum quod sunt non abstracte est
Naturalis, qui considerat in omnibus passionibus
corporis, et in natura istius materie, et in passionibus eius.
Deinde dixit: QUOD AUTEM NON EST ITA, etc. Idest, quod autem

Page 25

ex istis formis et passionibus non est per naturam,
sed per voluntatem, considerandum est ab artificibus
Mechanicis, ut Carpentario et Medico. Deinde
dixit: EA AUTEM UE SUNT NON SEPARATA, etc. Idest, accidentia
autem non abstracta a corpore, et consequentia ipsum
non in eo quod est transmutabile sed in eo quod est corpus
tantum et magnitudo (et sunt ea que intellectus intelligit
secundum abstractionem a materia, licet in rei veritate non
separentur), considerata sunt a Mathematicis. De formis
autem que sunt abstracte in rei veritate, idest secundum esse
et intellectum, considerat Primus Philosophus.

18. SED REVERTENDUM EST AD NOSTRUM SERMONEM, 403b16
IN QUO LOQUEBAMUR QUOD PASSIONES ANIME NON
SUNT SEPARATE A MATERIA ANIMALIS NATURALI. ET EA QUE
SUNT TALIA IN REI VERITATE SUNT IRA ET TIMOR, NON
SICUT LINEA ET SUPERFICIES. 403b19

Et quia hoc est magis proprium Logico, revertamur

ad illud de quo loquebamur, scilicet quod passiones anime, scilicet concupiscibilis, non sunt abstracte a corpore, neque in diffinitione neque in esse; v.g. ira et timor, que non sunt abstracte neque in diffinitione, sicut linea et superficies.

i.2
403b20

19. ET NECESSE EST NOBIS IN QUERENDO DE ANIMA
PREDICERE OPINIONES ANTIQUORUM. ET IUVBIMUR
PER EAS, ET RETINEBIMUS ILLUD QUOD DICTUM
EST VERE ET SECUNDUM QUOD OPORTET, ET VITABIMUS ILLUD

Page 26

QUOD DICTUM EST SECUNDUM QUOD NON OPORTET. ET
DEBEMUS PREDICERE ETIAM EA QUE REPUTANTUR
PROPRIE ESSE NATURALIA. ET HOC PONEMUS PRINCIPIUM,
DICENDO QUOD HABENS ANIMAM VIDETUR
DIFFERRE A NON ANIMATO HIS DUOBUS PROPRIE,
SCILICET MOTU ET SENSU. ET HEC DU ACCEPIMUS
AB ANTIQUIS DE ANIMA.

403b25

403b28

Cum declaratum est in Posterioribus quod consideratio
ducens ad certitudinem perfectam in rebus quesitis
in unoquoque generum non fit nisi considerando in principiis
propriis illi generi, incepit demonstrare quod necesse
est considerare de anima hoc modo principiorum. Et dixit:
Et debemus predicere, in querendo de anima, propositiones
et principia que videntur esse propria anime secundum quod est
anima, et illas propositiones ponamus principium considerationis.
Et notificavit quod ea que habent de anima talem
dispositionem sunt duo, sensus scilicet et motus. Animatum
enim non differt a non animato nisi sensu, et motu locali.
Et dixit: QUOD HABENS ANIMAM, etc. Et intendit hics per VIDETUR
certitudinem, quoniam ipse utitur talibus verbis loco
certitudinis in locis in quibus certitudo est famosa. Et
residuus sermo est manifestus.

20. QUIDAM ENIM EORUM DICUNT QUOD ILLUD QUOD
EST PROPRIE ET PRIUS ANIME EST MOVERE.
ET QUIA EXISTIMABANT QUOD OMNE NON MOTUM NON
POTEST MOVERE ALIUD, EXISTIMAVERUNT ANIMAM
ESSE ALIQUOD MOTUM. UNDE DEMOCRITUS DIXIT
IPSAM ESSE IGNEM ET CALIDUM; DIXIT ENIM QUOD

403b28

403b30

404a1

Page 27

EST EX CORPORIBUS ET FIGURIS INDIVISIBILIBUS
INFINITIS, ET EA QUE SUNT SPERICA EX EIS SUNT
IGNIS ET ANIMA, V.G. ET SIMILIA HUIC SUNT
CORPORA EXISTENTIA IN AERE, QUE DICUNTUR ATOMI,
QUE SUNT IN RADIIS SOLIS INGREDIENTIBUS PER
FORAMINA. ET DICIT QUOD PER CONGREGATIONEM
FUNDAMENTORUM IN EIS SUNT ELEMENTA OMNIUM
NATURALIUM. ET SIMILITER LEUCIPPUS. ET
SPERICA ISTORUM SUNT ANIMA, QUIA TALES FIGURE
SUNT POSSIBILES TRANSIRE IN REM SECUNDUM TOTUM,
ET MOVENT OMNIA QUIA MOVENTUR ETIAM; QUONIAM
EXISTIMANT QUOD ANIMA DAT ANIMALIBUS MOTUM.

404a5

404a9

Cum notificavit quod Antiqui non considerant de anima nisi per motum aut sensum, aut per utrunque, incepit primo numerare sententias hominum considerantium de anima per motum. Et dixit: QUIDAM ENIM EORUM, etc. Idest, et cum quidam eorum opinabantur quod illud quod appropriatur anime primo est quia movet aliud, et opinabantur quod illud quod movet aliud debet moveri, existimaverunt quod anima est aliquod motum semper. Deinde dixit: ET IDEO DIXIT DEMOCRITUS IPSAM ESSE IGNEM AUT CALIDUM, idest aut ignem aut igneum. Deinde dixit: DICIT ENIM IPSAM ESSE EX CORPORIBUS ET FIGURIS, etc. Idest, opinabatur enim, quia movet aliud et movetur, ipsam esse ex corporibus indivisibilibus habentibus figuras infinitas, et quod ex istis est solummodo ex spericis. Et quia sperica sunt ignis aut igneum, credebant quod sperica eorum aut sunt ignis aut anima. Deinde dedit exempla horum corporum apud Democritum. Et dixit: ET SIMILIA HIIS SUNT CORPORA EXISTENTIA IN AERE. Idest, et ista corpora

Page 28

apud ipsum sunt similia atomis, qui apparent moveri in radiis solis. Et cum notificavit quod Democritus opinabatur animam esse ex corporibus indivisibilibus, que apud ipsum assimilantur atomis, notificavit que partes sunt de quibus opinatur Democritus animam fieri ex eis, et quomodo opinatur ea esse elementa aliorum compositorum. Et dixit: ET DICIT QUOD PER CONGREGATIONEM FUNDAMENTORUM, etc. Idest, et hec corpora sunt de quibus Democritus dicit quod per congregationem fundamentorum in eis adaptantur ut ex eis componantur diversa entia, quamvis sint eiusdem nature. Et intendit per FUNDAMENTA diversitatem eorum in figura et in situ et in ordine. Diversitas enim partium in hiis tribus est causa diversitatis compositorum ex eis, sicut scripture diversantur propter diversitatem literarum in hiis tribus. Et cum narravit quod ipsi opinantur animam esse ignem aut aliquod igneum, quia opinantur animam esse spericam et ignem esse spericum, dedit rationem propter quam opinabantur animam esse spericam. Et dixit: ET QUOD EST SPERICUM EX ISTIS EST ANIMA, etc. Idest, et Democritus et Leucippus non opinabantur quod sperica ex corporibus indivisibilibus sunt anima nisi quia opinabantur quod talia corpora sunt ea que possibile sunt pertransire per alia et movere ipsa, quamvis ipsa moveantur semper. Et hec est dispositio quam existimabant esse propriam anime, scilicet quoniam movet corpus et movetur semper.

21. ET IDEO DIXERUNT QUOD ANELITUS EST DIFFINITIO
VITE. AER ENIM CONTINENS CUM CONGREGABIT CORPORA
ET CONSTRINGET EX ISTIS FIGURIS QUE DANT
ANIMALIBUS MOTUM, QUIA ISTA NON QUIESCUNT IN ALIQUA

404a9
404a10

Page 29

HORA, SUSTINERI AB EXTRINSECO IMPONENDO
PER ANELITUM ALIAS FIGURAS SIBI SIMILES DICUNT,
QUOD ISTE ETIAM PROHIBENT ILLUD QUOD IAM PERVENIT
INTUS IN ANIMALIBUS AB EXITU, ET CONTRA EXPELLUNT CUM
EIS ILLUD QUOD CONGREGAT ET CONSTRINGIT
EAS; ET QUOD VITA EST DUM ANIMAL POTEST FACERE HOC.

404a15
404a16

Quoniam omnis dicens in quiditate alicuius aliquid laborat in faciendo convenire illud omnibus sensibilibus, et in dando causam illius sensibilis ex illo dato ab eo in substantia illius, isti autem opinabantur animam esse partes spericas indivisibiles, laboraverunt hoc modo in dando causam anelitus, dicendo: Et propter hanc causam, scilicet quia anima est partes sperice que semper sunt in motu, fuit anelitus diffinitio vite, aut consequens vitam. Aer enim continens cum congruabit corpora, constringentur multe figure sperice, que sunt intra corpora, que dant animalibus motum, quia semper sunt in motu. Et tunc hec corpora movebuntur ad exitum, et illud erit exitus anelitus; et tunc sustentabitur animal ad imponendum alia corpora sperica ab extrinseco, et hoc est imponendo anelitum. Hoc autem fuit propter tria, quorum unum est in acquirendo locum illius quod exivit; secundum autem est ad prohibendum plura corpora intrinseca ab exitu; tertium est ut adiuvet ea etiam in expellendo illud quod constringit et quod congregat ea. Et dicunt: Et ideo fit vita dum animal potest facere hoc.

22. ET FORTE ETIAM TALIS EST SERMO PITAGORICORUM.
QUIDAM ENIM ILLORUM DICUNT QUOD ANIMA EST ATOMUS

404a16

Page 30

EXISTENS IN AERE, QUIDAM AUTEM ILLUD QUOD MOVET
ATOMOS. ET DIXERUNT HOC QUIA SEMPER VIDENTUR
MOVERI, LICET VENTUS DEFICIAT OMNINO. ET ASSIMILANTUR ISTIS
DICENTES QUOD ANIMA EST ALIQUID MOVENS SE. OMNES
ENIM ISTI VIDENTUR OPINARI MOTEM CONVENIRE
ANIME, ET QUOD OMNIA NON MOVENTUR NISI PER ANIMAM,
ANIMA AUTEM MOVETUR PER SE. NICHIL ENIM
VIDETUR MOVERE NISI IPSUM ETIAM MOVEATUR.

404a20

404a25

Et forte etiam opinio Pitagore in anima est similis
opinionem Democriti et Leucippi. Quidam enim
Pitagoricorum dicebant animam esse atomos aereos, et
quidam illud quod movet atomos. Et opinabantur hoc
quia credebant quod atomi semper movebantur et quod anima
semper movetur. Deinde dixit: ET SIMILES ISTIS SUNT DICENTES,
etc. Et innuit Platonem. Omnes igitur ista conveniunt
in hoc, scilicet quod motus est proprius anime, sed differunt
in quid est. Et quidam eorum existimabant eam esse corpora
indivisibilia, aut ignem aut aliquod igneum; quidam
vero atomos.

23. ET SIMILITER ETIAM DICEBAT ANAXAGORAS QUOD ANIMA EST MOVENS,
ET CUM HOC DICEBAT QUOD INTELLECTUS MOVET OMNE. SED TAMEN
ANAXAGORAS ALIUD INTENDIT AB EO QUOD INTENDIT DEMOCRITUS.
DEMOCRITUS ENIM ABSOLUTE DIXIT QUOD IDEM EST ANIMA
QUOD INTELLECTUS; DICIT ENIM QUOD VERITAS EST RES
MANIFESTA, ET IDEO DIXIT HOMERUS, ET VERUM
DIXIT, QUOD ACTEON APOPLETIZABATUR ET CAREBAT

404a25

404a30

Page 31

INTELLECTU. NON ENIM UTEBATUR INTELLECTU QUASI ALIQUA

VIRTUTE, SED DICEBAT QUOD INTELLECTUS ET ANIMA IDEM SUNT.

404a31

Et similiter etiam opinabatur Anaxagoras cum dixit animam esse moventem, et dixit quod intellectus movet omne. Sed Anaxagoras in hoc non intendit illud quod Democritus. Democritus enim propalavit quod anima et intellectus idem sunt; dixit enim quod veritas comprehensa non est nisi in eo quod manifestum est sensui tantum.

Et ideo bene dixit Homerus versificator, cum narravit de homine qui carebat sensu, quod carebat intellectu. Democritus igitur non intendit quod intellectus sit aliqua virtus in animalibus alia a virtute sensus, sed dicit quod intellectus et anima idem sunt.

24. ANAXAGORAS AUTEM LATENTIUS LOQUEBATUR DE
ISTIS, CUM MULTOTIENS DICEBAT QUOD INTELLECTUS EST
CAUSA IN INVENTIONE. ET DIXIT IN ALIO LOCO QUOD
INTELLECTUS ET ANIMA IDEM SUNT. INTELLECTUS ENIM
APUD IPSUM EXISTIT IN OMNIBUS ANIMALIBUS, MAGNO
ET PARVO, NOBILI ET VILI. SED NON VIDEMUS
HUNC INTELLECTUM EXISTERE SIMILITER IN OMNIBUS
ANIMALIBUS, NEQUE ETIAM IN HOMINE.

404b1

404b5

404b6

Anaxagoras autem, cum propalavit quod intellectus et anima idem sunt, latentius propalavit quam Democritus, cum multotiens dicebat quod intellectus est causa rectitudinis et verificationis. Et ex hoc apparet eius sententia quod intellectus sit aliud a sensu. Et in aliis locis videtur opinari quod intellectus et anima idem sunt. Dicit enim quod intellectus est existens in omnibus animalibus,

Page 32

magno et parvo, nobili et ignobili. Et non est sicut existimavit, quia non videmus intellectum existere eodem modo in omnibus hominibus, nedum existat in omnibus animalibus.

25. ET PONENTES PRINCIPIUM ANIME MOTUM EXISTIMABANT
QUOD ANIMA SIT DIGNIOR UT MOVEATUR OMNIBUS.
PONENTES AUTEM REGULAM IN HOC COGNOSCERE ET
SENTIRE OMNIA ENTIA DICEBANT ANIMAM ESSE PRINCIPIA.
QUIDAM IGITUR EORUM PONEBANT ISTA PRINCIPIA PLURA
UNO, QUIDAM AUTEM PONEBANT UNAM. UT
EMPEDOCLES; ISTE ENIM PONEBAT EAM EX OMNIBUS
ELEMENTIS, SED TAMEN PONEBAT UNUMQUODQUE ELEMENTORUM
ETIAM ANIMAM. ET DIXIT QUOD NOS NON COMPREHENDIMUS
TERRAM NISI PER TERRAM, ET AQUAM PER AQUAM, ET
AEREM PER AEREM, ET IGNEM PER SUUM SIMILE, SCILICET
IGNEM, ET LITEM PER LITEM, ET AMICITIAM PER AMICITIAM.

404b6

404b10

404b15

Cum complevit sermonem considerantium in anima per motum, incepit etiam dicere opiniones eorum qui considerant de illa per cognitionem et distinctionem, dicendo:
ET PONENTES PRINCIPIUM ANIME MOTUM, etc. Idest, ponentes autem regulam anime et cognitionem sue nature propter motum, quapropter iudicaverunt quod anima est magis omnibus digna motu, secundum quod diximus. Ponentes autem regulam in consideratione de animato per cognitionem eius et distinctionem in omnibus entibus opinabantur quod anima est principium totius,

Page 34

Et similiter Plato posuit in Thimeo quod anima est aliquid ex substantia elementorum. Opinabatur enim etiam illud quod opinabatur qui ponebat animam ex principiis, et est quod omnes res non cognoscuntur nisi per suum simile, et non cognoscuntur nisi per cognitionem suorum principiorum. Et quod principia cognoscuntur per sua similia, continget quod principia cognoscantur per principia. Et cum coniungemus huic quod anima cognoscit res per principia earum, continget ex hoc quod anima sit principia; hec enim sunt proprietates convertibiles. Deinde dixit: ET SIMILITER DETERMINAVIT, etc. Idest, et similiter determinavit in sua Philosophia et in scholis eius; quoniam in Thimeo dixit hoc alio modo. Dixit enim illic quod animal simpliciter absolutum, quod est genus animalium particularium et principium eorum, est compositum ex uno; et ex prima longitudine, que est composita ex dualitate prima; et ex latitudine, que componitur ex prima trinitate; et ex profundo, quod componitur ex prima quaternitate; que sunt principia aliorum numerorum compositorum. Et opinabatur quod longitudo componitur ex dualitate quia linea fit ex duobus punctis; et latitudo ex trinitate quia fit cum longitudine ex tribus punctis; et spissitudo ex quaternitate quia fit cum longitudine et latitudine ex quatuor punctis. Quoniam, cum opinabatur quod numeri sunt principia omnium, fuit necesse aud ipsum ut principia numerorum sint principia generum esse sensibilis,

et alii numeri, qui componuntur ex principiis, sint principia etiam rerum particularium; ita quod principium

Page 35

animalis simplicis est prima unitas et prima dualitas et trinitas et quaternitas, principia autem aliorum animalium sunt alii numeri. Et ideo dixit quod alia currunt hoc modo; idest, et principia aliorum animalium particularium sunt alii numeri. Et quia opinabantur hoc in principiis entium et opinabantur quod anima componitur ex principiis propter cognitionem, opinati sunt quod anima est iste numerus qui est principium numerorum. Deinde dixit: ET MANIFESTUM EST QUOD THIMEUS EXIT AB EIS. Idest, ut michi videtur, quod illud quod dictum est de principiis in Thimeo aliud est ab eo quod dictum est in disputationibus. Et quasi diversitas hominum in anima non est nisi propter diversitatem eorum in principiis. Omnes enim conveniunt quod oportet esse ex principiis, et dicunt quod opinio Platonis in Thimeo de anima est quod anima est natura media, scilicet inter formas abstractas indivisibiles et inter formas sensibiles divisibiles secundum materiam. Themistius autem dicebat quod Plato intendebat per istam naturam mediam intellectum inter omnes partes anime, cum suum esse sit medium inter formas materiales et abstractas. Et universaliter difficile possumus hodie intelligere opiniones Antiquorum quia non sunt note apud nos.

27. ET EST DICTUM ETIAM HOC ALIO MODO, ET EST QUOD INTELLECTUS EST UNUM ET SCIENTIA DUO, QUONIAM PER SE EST AD UNUM; ET QUOD EXISTIMATIO EST NUMERUS SUPERFICIEI ET QUOD SENSUS EST NUMERUS SOLIDI. NUMERI ENIM DICEBANTUR ESSE FORME ET

404b21

Page 36

PRINCIPIA IN REBUS ENTIBUS, ET NUMERI SUNT UNUM ILLORUM ELEMENTORUM. SED OMNES RES CONSIDERANTUR, QUEDAM PER INTELLECTUM ET QUEDAM PER SCIENTIAM ET QUEDAM PER EXISTIMATIONEM ET QUEDAM PER SENSUM. ISTA AUTEM SUNT NUMERI QUI SUNT FORME.

404b25

404b27

Et opinati sunt etiam alio modo animam esse principia numerorum. Dicunt enim quod intellectus est unum numerale. Et intendit per INTELLECTUM primas propositiones. Et dixerunt ipsum esse unum, quia scire propositiones est unius scientie. Et intendit per SCIENTIAM conclusionem. Et dixerunt eam esse dualitatem, quia est processus ab uno, scilicet propositionibus, et ad unum, scilicet conclusionem, unde fit dualitas. Et hoc intendebat cum dixit: EST ENIM SINGULARITER AD UNUM. Et dixerunt quod existimatio est numerus superficiei, scilicet trinitas. Est enim ab uno, scilicet propositionibus, ad duo; nam conclusio est in eo falsa et vera; unde fit illic aliqua dualitas. Et dixerunt etiam quod sensus est quaternitas. Opinati sunt enim quod sensus comprehendit corpus, et quod forma corporis est quaternitas. Deinde dixit: NUMERI ENIM DICEBANTUR

ESSE FORME, etc. Idest, et dixerunt hoc quia opinabantur quod principia numerorum sunt forme abstracte, et principia entium sunt unum elementorum eorum. Et quia rerum quedam considerantur, idest cognoscuntur, intellectu, et quedam scientia, et quedam existimatione, et quedam sensu, et nichil cognoscitur nisi per suum simile, necesse est ut iste virtutes anime comprehensive sint principia numerorum qui sunt forme et elementa

Page 37

entium, scilicet unitatis et dualitatis et trinitatis et quaternitatis; et necesse est ut intellectus ex istis sit unitas, et scientia dualitas, et existimatio trinitas, et sensus quaternitas.

28. ET QUIA EXISTIMATUM EST DE ANIMA QUOD EST MOVENS ET COGNOSCENS, VOLUERUNT ALIQUI CONGREGARE HEC DUO, ET IUDICAVERUNT QUOD ANIMA EST NUMERUS SEIPSUM MOVENS. ET MAGNA DIVERSITAS	404b27
EST IN PRINCIPIIS, QUE SUNT ET QUOT, ET MAXIME INTER EOS QUI PONUNT EA CORPORALIA ET INTER EOS QUI NON CORPORALIA. ET ISTI ETIAM DIFFERUNT AB EIS QUI ADMISCENT ET PONUNT PRINCIPIA EX UTROQUE. ET DIVERSITAS ETIAM EST IN NUMERO PRINCIPIORUM. QUIDAM ENIM DICUNT UNUM PRINCIPIUM ESSE, QUIDAM PLURA.	404b30 405a1 405a3

Et quia existimatum est, idest certificatum, quod movere et cognoscere sunt principia anime, intendebant aliqui ad congregandum utrunque in anima, dicendo animam esse numerum se moventem: numerum autem quia cognoscit, se [line 15 cont.] moventem quia non movetur ab alio.

Et cum notificavit sectas que differunt in diffiniendo animam, et quod sunt tres, quarum prima diffinit eam per motum aut per sequentia motum, secunda autem per cognitionem, tertia vero per utrunque, et omnes conveniunt quod est ex principiis, incepit notificare modos diversitatis eorum universaliter, licet conveniant in hoc quod est ex principiis. Et dixit: ET MAGNA DIVERSITAS, etc. Idest, et differunt in substantia anime quia differunt in principiis, scilicet in natura eorum et in numero. Et maxima diversitas est in natura

Page 38

principiorum inter ponentes principia corporalia et ponentes ea non corporalia, cum iste due nature maxime differunt. Deinde dixit: ET DIFFERUNT ETIAM ISTI AB EIS QUI ADMISCENT ET PONUNT PRINCIPIA EX UTROQUE, idest corporalibus et non corporalibus. Deinde dixit: ET DIFFERUNT ETIAM IN NUMERO PRINCIPIORUM. Idest, et differunt etiam in anima quia differunt in numero principiorum.

29. ET ISTI PROCEDUNT IN DIFFINIENDO ANIMAM PROCESSU CONSEQUENTE ISTA. HOC ENIM QUOD REPUTANT, QUONIAM NATURA PRINCIPIORUM EST MOVENS, NON EST EXTRA VERITATEM. UNDE QUIDAM EXISTIMABANT IPSAM ESSE IGNEM; IGNIS ENIM EST PARVIORUM PARTIUM INTER	405a3 405a5
---	----------------

ELEMENTA, ET QUOD MAGIS VIDETUR NON ESSE CORPUS. ET IPSE
MOVETUR ET MOVET ALIA CORPORA PRIMA INTENTIONE.

407a7

Cum notificavit sententias Antiquorum de anima, incepit
laudare eas in eo quod dicunt de veritate et de verificatione
consequenti. Et dixit: ET ISTI PROCEDUNT, etc. Idest, et
isti qui opinantur animam esse ex principiis quia movetur per se,
et diffinierunt eam hoc modo, processerunt in hoc via
recta et consequente principia. Opinari enim quod natura principiorum
est movens per se rectum est. Deinde dixit: ET IDEO EXISTIMAVERUNT
QUIDAM, etc. Idest, et quia opinati sunt eam esse ex principiis,
existimaverunt quidam ipsam esse ignem, qui reputabant
ignem esse elementum ceterorum elementorum, et simpliciorum
partium, et quod magis videtur non esse corpus; quia
opinantur principia esse talia, scilicet simpliciora aliis et
remotiora a natura corporea; et omnia ista cum eo quod visa est ab eis
moveri et movere alia prima intentione, sicut anima.

Page 39

30. DEMOCRITUS AUTEM DIXIT IN HOC SERMONEM MAGIS
LATENTEM, ET IUDICAVIT CAUSAM IN UTROQUE, ET
DIXIT QUOD ANIMA ET INTELLECTUS IDEM SUNT, ET QUOD HOC EST
EX PRIMIS CORPORIBUS INDIVISIBILIBUS. ET ATTRIBUIT
IPSUM MOTUI PROPTER PARVITATEM PARTIUM
EIUS ET PROPTER FIGURAM. ET DIXIT QUOD INTER FIGURAS
MAGIS OBEDIENS MOTUI EST SPERICA, ET QUOD INTELLECTUS
ET IGNIS HABENT TALEM FIGURAM.

405a8

405a10

405a13

Quia intentio eius in hoc capitulo est demonstrare quod
Antiqui bene dixerunt in hoc quod conveniunt in hoc quod
anima est ex principiis propter motum, et facere comparisonem
inter sermones eorum de hoc, et iam locutus fuit
de sententia eius qui dicebat animam esse ignem, incepit modo
loqui de opinantibus eam esse ex partibus indivisibilibus,
dicendo: DEMOCRITUS AUTEM, etc. Idest, Democritus autem dixit de
[line 15 cont.] natura anime propter
motum sermonem magis latentem sermone dicente ipsam
esse ignem. Et est magis latens quia iudicavit causam in
utraque virtute et dixit ipsam esse eandem et quod natura
utriusque est eadem, scilicet intellectus et anime moventis et
sensibilis. Dixit enim quod anima et intellectus sunt idem, et quod
[line 20 cont.] natura
illius est quia est pars partium indivisibilium spericarum.

Deinde dixit: ET ATTRIBUIT IPSUM MOTUI, etc. Idest, et attribuit ipsum
motui proprio anime; idest, posuit ipsum causam motus anime
propter parvitatem suarum partium, cum sit indivisibilis,
et propter suam figuram. Opinabatur enim quod illa figura est
levioris motus omnium figurarum, et ideo opinabatur quod ista
figura est, extra in anima, et in igne. Et iste sermo latet propter

Page 40

duo; quorum unum est hoc quod opinatus est, scilicet quod anima
et intellectus sunt idem; et quod est pars indivisibilis.
Sed partem indivisibilem esse est dubium; ignem autem
esse est manifestum.

31. ANAXAGORAS AUTEM VIDETUR DICERE ANIMAM ESSE 405a13
 ALIUD AB INTELLECTU, SICUT DIXIMUS SUPERIUS, SED TAMEN
 UTITUR EIS QUASI SINT EIUSDEM NATURE. SED 405a15
 PONIT INTELLECTUM DIGNIOREM OMNIBUS REBUS UT
 SIT PRINCIPIUM; DICIT ENIM QUOD SOLUS INTELLECTUS INTER
 OMNIA ENTIA EST SIMPLEX ET MUNDUS ET PURUS.
 ET ATTRIBUIT EI UTRUNQUE, SCILICET COGNITIONEM ET MOTUM,
 DICENDO QUOD INTELLECTUS MOVET OMNE. 405a19

Cum fecit comparationem inter opinionem dicentis animam
 esse ignem et opinionem dicentis ipsam esse partem spericam
 partium indivisibilium, incepit etiam facere comparationem
 inter opinionem Anaxagore et Democriti. Et dixit; ANAXAGORAS,
 etc. Idest, Anaxagoras autem videtur, secundum quod apparet, dicere
 [line 13 cont.] animam
 esse aliud ab intellectu. Sed quamvis hoc apparet ex suo sermone,
 tamen ipse ponit eos esse eiusdem nature, idest eiusdem
 generis; et cum hoc ponit intellectum magis dignum
 ut sit principium omnium rerum et preponit ipsum omnibus.
 Dicit enim quod solus intellectus est simplex mundus
 purus, idest abstractus a materia, non admixtus cum ea. Et
 attribuit utrunque ei in omnibus partibus mundi, scilicet
 cognitionem et motum; opinatur enim quod intellectus movet
 omnia et quod non movetur. Quoniam autem iste sermo
 est magis vicinus veritati et sententie Aristotelis, scilicet quod
 [line 23 cont.] intellectus

Page 41

est ex principiis et quod est causa cognitionis et motus,
 est manifestum. Et ideo laudabit ipsum post multum, et
 notificabit quod remansit illi dicere de intellectu.

32. MELISSUS AUTEM VIDETUR, UT NARRATUR DE EO, DICERE 405a19
 ANIMAM ESSE ALIQUOD MOVENS, CUM DICEBAT QUOD LAPIS 405a20
 HABET ANIMAM QUIA MOVET FERRUM. DIOGENES
 AUTEM ET ALII MULTI OPINABANTUR ANIMAM ESSE AEREM,
 QUIA EXISTIMABANT QUOD NICHIL EST SUBTILIUS AERE, ET
 PROPTER HOC ANIMA COGNOSCIT ET MOVET; SECUNDUM
 ENIM QUOD EST PRINCIPIUM ALIARUM RERUM COGNOSCIT,
 SECUNDUM AUTEM QUOD EST SUBTILIOR OMNIBUS REBUS MOVET. ET
 EMPEDOCLES ETIAM DICIT QUOD ANIMA EST PRINCIPIUM, CUM DICIT 405a25
 IPSAM ESSE VAPOREM, EX QUO CONSTITUIT OMNES RES,
 ET PONIT IPSUM VALDE REMOTUM A CORPORIBUS ET
 SEMPER LIQUIDUM, ET MULTI ALII QUOD
 OMNIA ENTIA SUNT IN MOTU. ET FORTE ETIAM ALIQUIS VIDETUR
 OPINARI ETIAM IN ANIMA TALEM OPINIONEM. DICIT ENIM 405a30
 IPSAM ESSE IMMORTALEM QUIA ASSIMILATUR IMMORTALIBUS,
 ET QUOD HOC EST EI QUIA SEMPER MOVETUR; ET DIXIT: OMNES
 ENIM DII, LUNA SCILICET SOL ET STELLE, SEMPER MOVENTUR 405b1
 MOTU CONTINUO. ET ALII, QUI DIGNIORES SUNT DERIDERI,
 IUDICAVERUNT IPSAM ESSE AQUAM, UT ZENO.
 ET VIDENTUR DECLINARE AD HANC OPINIONEM PROPTER SPERMA,
 CUM SIT HUMIDIUS RERUM; QUONIAM PROPTER HOC CONTRADICITUR
 DICENS ANIMAM ESSE SANGUINEM, DICENDO QUOD
 SPERMA NON EST SANGUIS, ET SPERMA EST PRIMA ANIMA. 405b5
 ET ALII DIXERUNT IPSAM ESSE SANGUINEM, UT

Page 42

CRITIAS, CUM EXISTIMAUERUNT QUOD NICHIL CONSEQUITUR ANIMAM
SICUT SENTIRE, ET QUOD SENTIRE EST EX NATURA SANGUINIS.
UNUMQUODQUE ENIM ELEMENTORUM, PRETER TERRAM,
HABET IUDICEM, TERRA AUTEM NULLUM. ET QUOD DICTUM FUIT DE
EA EST QUOD EST EX OMNIBUS ELEMENTIS, AUT OMNIA ELEMENTA.

405b10

Vult numerare omnes opiniones Antiquorum in
anima et dare cuilibet aliquam rationem. Et sermo eius
est manifestus. Melissus autem opinabatur animam
esse principium movens per se, quia dicebat quod magnes
habet animam quia movet ferrum. Diogenes autem
opinabatur animam esse aerem; aer enim est subtilius
ceteris corporibus et principium eorum. Inquantum
igitur est principium, dabitur ei cognitio, et inquantum est
subtilius omnibus corporibus, dabitur ei motus; et hec
duo appropriantur anime. Abrocalis vero opinabatur
animam esse principium, et quod illud principium est vapor
liquidus motus, quia opinabatur quod ex vapore est constitutio
aliorum, et quod est valde remotus a corpore; et
hec duo sunt in principio. Deinde dixit:
et opinabatur cum multis aliis quod omnia
moventur, et credebat propositionem communem omnibus,
scilicet quod simile cognoscitur per suum simile. Et quia
omnia apud ipsum sunt mota, fuit necesse ut cognoscens sit motum;
quapropter iudicavit animam esse vaporem. Et similiter qui
ponit ipsam nature stellarum et solis et lune
videtur opinari ipsam moveri per se. Sed dicens ipsam esse
aquam debet derideri; nullus enim dixit aquam esse elementum

Page 43

ceterorum. Sed tamen dedit ei rationem aliquam,
scilicet quod sperma, quod est principium generationis, est valde
humidum, et existimatum est quod sperma est anima cum
ipsum formet embrionem. Deinde dixit: QUONIAM PER HOC CONTRADICITUR
DICENS QUOD ANIMA EST SANGUIS. Idest, et ponit quod sperma
est prima anima quia ponit quod sperma non est sanguis;
forte igitur non iudicavit quod anima est aqua nisi quia videbat
sperma esse animam, et aquam non sanguinem.

Deinde dixit: QUONIAM UNUMQUODQUE ELEMENTORUM HABET IUDICEM
[line 60 cont] PRETER TERRAM, etc. Idest,
et unumquodque elementorum iudicatum est ab Antiquis
animam esse ex eo, preter terram; nullus enim opinabatur
terram esse elementum aliorum, sed tantum est composita
ex quibusdam elementis, aut est omnia elementa,
idest ex omnibus elementis.

33. ET IPSI UNIVERSALITER DIFFINIUNT ANIMAM
TRIBUS, MOTU SCILICET ET
SENSU ET NON CORPORE, ET UNUMQUODQUE ISTORUM
REDUCITUR AD PRINCIPIA. ET PROPTER HOC
POSUERUNT IPSAM ETIAM ELEMENTUM AUT EX ELEMENTIS
ILLI QUI DIFFINIERUNT EAM PER COGNITIONEM. ET
QUOD QUIDAM DICUNT IN HOC EST SIMILE EI QUOD DICUNT
QUIDAM, PRETER UNUM. DICUNT ENIM QUOD SIMILE NON COGNOSCITUR
NISI PER SUUM SIMILE; ET QUIA ANIMA COGNOSCIT OMNIA,

405b11

405b15

POSUERUNT EAM CONSTITUI EX OMNIBUS PRINCIPIIS.

405b17

Cum demonstravit quod considerantes in anima per motum debent opinari ipsam esse ex principiis, incepit demonstrare universaliter quod omnia dicta in diffinitione

Page 44

anime reducta sunt ad principia. Et dixit: ET IPSI UNIVERSALITER DIFFINIUNT, etc. Idest, et Antiqui universaliter procedunt in diffiniendo animam et cognoscendo suam substantiam tribus viis: motu scilicet, et sensu, idest cognitione, cum hec duo videantur propria anime; tertium autem quia est non corpus; plures enim eorum opinabantur hoc existere in anima non minus quam predicta duo. Et unaqueque istarum viarum inducit eos ad opinandum animam esse ex principiis. Et hoc intendebat cum dixit: ET UNUMQUODQUE EORUM REDUCITUR AD PRINCIPIA. Deinde incepit demonstrare viam per quam processit qui iudicavit animam esse ex principiis per cognitionem. Et dixit: ET PROPTER HOC POSUERUNT IPSAM ESSE ELEMENTUM, etc. Idest, et quia omnes opinabantur eam esse ex principiis, dixerunt illi qui diffinierunt eam per cognitionem quod est elementum aut ex elementis. Et via qua processerunt isti in hoc est eadem et similis, preter unum illorum, scilicet Anaxagoram. Deinde demonstravit hanc viam. Et dixit: DICUNT ENIM [line 29 cont.] QUOD SIMILE NON COGNOSCITUR NISI PER SUUM SIMILE. Idest, et hoc fuit necesse apud eos quia opinabantur tres propositiones; quarum una est quod omnis res cognoscitur per suum simile; secunda est quod omnia non cognoscuntur nisi per sua principia; tertia est quod anima cognoscit omnia. Ex quibus sequitur quod anima est principia omnia, aut ex principiis omnium.

34. QUI IGITUR DIXIT QUOD PRINCIPIUM ET ELEMENTUM EST UNUM PONIT ANIMAM ETIAM UNUM: AUT IGNEM AUT AEREM; ET QUI PONIT PRINCIPIA PLURA UNO PONIT ANIMAM PLUS UNO. ANAXAGORAS AUTEM SOLUS

405b17

405b20

Page 45

DICEBAT QUOD INTELLECTUS NON RECIPIT PASSIONEM, ET QUOD NICHIL EST IN EO QUOD HABEAT COMMUNICATIONEM CUM ALIA RE. SED NON DIXIT QUOMODO ET PROPTER QUID, PER HANC DISPOSITIONEM, COGNOSCIT, HOC QUOD APPARET EX SUO SERMONE.

405b23

Cum notificavit quod opiniones eorum in substantia anime sequuntur illud quod opinantur in substantia principiorum, incepit demonstrare etiam quod opiniones eorum in numero animarum sequuntur etiam illud quod opinantur in numero principiorum. Et dixit: Qui igitur dixit unum principium esse ponit animam unius rei, idest unius nature ex illo principio: aut ignem aut aerem. Et qui dixit principia esse plura uno opinatur animam esse plurem uno.

Deinde incepit declarare opinionem Anaxagore, et quod alia via processit. Et dixit: ANAXAGORAS AUTEM SOLUS DIXIT QUOD INTELLECTUS NON RECIPIT PASSIONEM; idest, non est materialis; et quod in nullo habet communicationem cum alio; idest

quod nulla res omnium quas intelligit est in eo ita quod sit communis eis in aliqua forma; idest quod non est hoc neque in hoc; idest, neque est corpus neque virtus in corpore. Et hoc nullus dixit nisi Anaxagoras. Et super hoc laudabit Anaxagoram post. Deinde dixit: SED NON DIXIT QUOMODO. Idest, sed non dixit quomodo contingit ei ut intelligat omnia: utrum secundum quod est in actu aut secundum quod est in potentia; neque dixit etiam qua de causa intelligit res que non sunt intellectus in actu. Et hoc est quod post complebit, cum locutus erit de intellectu.

Page 46

35. ET ILLI QUI IN PRINCIPIIS PONEBANT CONTRARIETATEM
CONSTITUUNT ETIAM ANIMAM EX CONTRARIIS.

405b23

QUI ERGO POSUERUNT PRINCIPIUM ALTERUM
CONTRARIORUM, UT CALIDUM, ET FRIGIDUM,
ET ALIUD SIMILE, OPINATI SUNT IN ANIMA ETIAM ILLAM
ESSE UNAM HOC MODO. ET VIDEMUS ETIAM EOS
CONSEQUI NOMINA. QUIDAM IGITUR EORUM
DICUNT ANIMAM ESSE CALIDUM, QUONIAM
HOC NOMEN vita IN LINGUA GRECA CECIDIT EX
HAC INTENTIONE. ET QUIDAM DICUNT QUOD EST ALGIDUM,
IDEST FRIGIDUM, PROPTER ANELITUM; ET
INFRIGIDATIO QUE PROVENIT EX ANELITU DICITUR
ysargi, IDEST ANELITUS. HOC IGITUR ACCEPIMUS
AB ANTIQUIS DE ANIMA, ET ISTA INDUXERUNT
EOS AD DICENDUM HOC.

405b25

405b30

Narrat in hoc capitulo consequentiam eius quod opinantur in substantia anime ad illud quod opinantur in principiis, adeo quod qui opinatur principia esse contraria dicit animam esse ex contrariis. Dicentes igitur quod principia sunt calidum aut frigidum aut aliud contrariorum dicunt quod anima similiter est unum illorum contrariorum. Et in alia translatione invenitur additum; ET QUI OPINABANTUR QUOD PRINCIPIA SUNT ALTERUM PAR CONTRARIORUM DICUNT QUOD ANIMA EST EX ILLO PARI CONTRARIORUM. Et est illud quod dixit: ET QUI POSUERUNT CONTRARIETATEM IN PRINCIPIIS, etc. Deinde dixit: ET VIDEMUS EOS CONSEQUI NOMINA, etc. Idest, et invenimus

Page 47

eos ratiocinari super hoc, scilicet quod alterum contrariorum est principium, et quod anima est ex eo ex derivatione huius nominis VITE et ANIME. Dicens igitur ipsam esse calidum ratiocinatur per hoc quod hoc nomen VITA in lingua Grecorum derivatur a CALIDO; et similiter hoc nomen MOTUS. Et qui dixit ipsam esse frigidum ratiocinatur per hoc nomen ANELITUS, quod derivatur a FRIGIDO. Deinde dixit: HEC IGITUR ACCEPIMUS, etc., idest in substantia anime. Et iste sunt rationes que induxerunt eos ad hoc dicendum, scilicet rationes accepte ex distinctione et motu, et quod anima non est corpus.

i.3

36. DEBEMUS IGITUR PERSCRUTARI PRIUS DE MOTU. VIDETUR
ENIM QUOD NON HOC SOLUM EST FALSUM, SCILICET QUOD SUBSTANTIA

405b31

EIUS SIT TALIS DISPOSITIONIS SICUT NARRANT
ISTI QUI DICUNT ANIMAM ESSE ALIQUOD MOVENS SE
AUT ALIQUID MOTIVUM SUI, SED ET ESSE ANIMAM MOTUM
EST IMPOSSIBILE. ET DICO ETIAM QUOD NON EST NECESSE UT
MOVENS SIT MOTUM; ET HOC ETIAM PREDICTUM EST.

406a1

405a4

Cum complevit sermones Antiquorum de anima,
et rationes eorum, et quod collocatur in eis de vero, incepit
in hac parte contradicere falso dicto ab eis, que est
tertia pars huius tractatus. Prima enim est in prologo,
secunda in numerando opiniones eorum, tertia in contradicendo
eis. Et incepit contradicere
eis qui diffiniunt eam per motum. Et dixit: ET DEBEMUS PERSCRUTARI,
etc. Idest, et perscrutandum est de considerantibus

Page 48

in substantia eius per motum. Visum est enim quod
non tantum est falsus sermo eorum qui diffiniunt eam
quia est aliquid movens se aut motivum sui, sed etiam quod
sit anima mota per se, scilicet ut constituatur per motum,
ut plura entia, ut venti et fluvii, est falsus. Et hoc
intendebat cum dixit: SED ESSE ANIMAM MOTUM EST IMPOSSIBILE.
Idest, sed sermo dicentis quod essentia anime constituitur
per motum est impossibilis. Deinde dixit: ET DICO
ETIAM QUOD NON EST NECESSE, etc. Idest, quoniam autem
non est necessarium ut aliquid moveat se declaratum
est prius, scilicet in Naturalibus; quoniam autem non est mota
per se modo incepit declarare.

37. ET OMNE MOTUM ALTERO DUORUM MODORUM MOVETUR:
AUT PER ALIUD, AUT PER SE. ET DICERE EST per
aliud ILLUD QUOD MOVETUR QUIA EST IN ALIQUO
MOTO, UT EQUITANS IN NAVI. MOTUS ENIM EIUS
NON EST SICUT MOTUS NAVIS, QUONIAM NAVIS MOVETUR
PER SE, ET EQUITANS MOVETUR QUIA EST IN MOTO.
ET HOC MANIFESTUM EST PER MEMBRA. MOTUS
ENIM PROPRIUS PEDIBUS EST AMBULATIO, ET
CONVENIT ETIAM HOMINI; SED NON INVENITUR
IN ILLA DISPOSITIONE IN EQUITANTIBUS IN NAVI.

406a4

406a5

406a10

Cum declaravit quod falsitas non tantum invenitur
in hoc quod movet se anima, ut declaratum est in sermonibus
universalibus, sed etiam in hoc quod dicunt quod substantia
anime constituitur per motum, ut venti et fluvii,

Page 49

incepit hic declarare hoc etiam esse impossibile. Et incepit primo
dividere modos secundum quos dicitur quod aliquid est motum.
Et declaravit primo quod motus attribuitur alicui duobus
modis: aut essentialiter, quando aliquid fuerit motum per
se; aut accidentaliter, quando fuerit motum per motum
alterius, cum fuerit in re mota. Et dixit: ET OMNE MOTUM
MOVETUR DUOBUS MODIS: AUT PER ALIUD, AUT PER SE. Deinde dedit
exemplum de equitantibus in navi. Deinde dixit: ET HOC MANIFESTUM
EST EX MEMBRIS. Idest, et motus navis non attribuitur
equitantibus essentialiter. Et hoc manifestum est ex motu
membrorum propter que attribuitur motus essentialiter

homini et animali, scilicet pedum. Motus enim non attribuitur homini essentialiter nisi propter hec membra, et iste motus non invenitur in equitantibus in navi. Motus igitur essentialis non invenitur in eis. Et debes scire quod illud quod dicitur motum quia est in moto est duobus modis: modo qui est possibilis ut moveatur per se, ut equitantes in navi qui moventur per motum navis; et modo qui est impossibilis, ut albedo que movetur per motum corporis albi.

38. ET QUIA MOTUM DICITUR DUOBUS MODIS, DEBEMUS
MODO PERSCRUTARI DE ANIMA UTRUM MOVEATUR PER SE
AUT PER ALIUD. ET QUIA MOTUS SUNT QUATUOR: LOCI
ET ALTERATIONIS ET AUGMENTI ET DIMINUTIONIS,
NECESSE EST AUT UT MOVEATUR ALIQUO ISTORUM MOTUUM,
AUT UT MOVEATUR PLUSQUAM UNO, AUT UT MOVEATUR
OMNIBUS MOTIBUS. SI IGITUR MOVETUR
NON ACCIDENTALITER, TUNC MOTUS EST IN EA NATURALITER. ET

406a10

406a15

Page 50

SI ITA SIT, HABET LOCUM ETIAM. OMNES ENIM MOTUS
QUOS DIXIMUS SUNT IN LOCO.

406a16

Cum divisit motum in duo, essentialiter et accidentaliter, incepit perscrutari utrum sit possibile ut anima moveatur per se. Et dixit: ET QUIA MOTUM DICITUR, etc. Idest, et cum declaratum est quod motum dicitur duobus modis, perscrutandum est utrum anima moveatur per se, aut non moveatur nisi accidentaliter. Deinde proposuit hic tres propositiones. Quarum una est quod motus sunt tres in genere; sed ipse dixit quatuor large, quasi numerando additionem et diminutionem pro duobus. Secunda autem est quod, si anima movetur, aut uno istorum motuum aut pluribus aut omnibus movetur. Tertia vero est quod, si movetur uno istorum motuum, necesse est ut sit corpus. Quoniam autem anima, si movetur, uno istorum motuum movetur, sic componitur: si anima movetur essentialiter, necessario movetur uno essentialium motuum aut pluribus aut omnibus; et omnis motus aut est loci aut alterationis aut augmenti; ergo anima, si movetur, movetur aut localiter aut cremento aut alteratione. Et cum coniunxerimus huic quod omne motum aliquo istorum motuum est corpus, ut declaratum est in sexto Phisicorum, concludetur quod, si anima movetur, est corpus et in loco, cum omne corpus est in loco. Hoc igitur possumus intelligere de hoc quod dixit: SI IGITUR MOVETUR NON ACCIDENTALITER, ET MOTUS EST EI NATURALITER. Si

Page 51

igitur ita sit, habet locum. Omnes enim motus predicti sunt in loco. Si igitur movetur naturaliter, et omnis motus naturaliter est unus illorum trium, et quilibet illorum est in corpore, et omne corpus est in loco, necesse est ut anima sit in loco. Et cum fuerit in loco, erit mota motu locali necessario; omne enim quod movetur altero illorum duorum motuum movetur localiter; et non convertitur. Sed in verbis est aliquid ambiguitatis, quoniam

dixit: OMNES ENIM MOTUS PREDICTI SUNT IN LOCO; et non dixit:
OMNIA ENIM MOTA ILLIS MOTIBUS PREDICTIS SUNT IN LOCO,
sed OMNES MOTUS PREDICTI. Sed hoc etiam secundum suum manifestum
non vere dicitur de illis motibus tribus, scilicet ut
sint in loco, si hoc quod dixit PREDICTI respondet
illis tribus; motus enim alterationis non est in loco. Et ideo
possumus intelligere ex hoc quod dixit: SI IGITUR MOVETUR
NON ACCIDENTALITER, ET MOTUS EST EI NATURALITER, idest propter
se, non propter aliud extrinsecum, necesse est ut moveatur
motu locali. Et sic intendit per MOTUS PREDICTOS omnes
modos motus localis. Iste enim motus existit in re
naturaliter, et est necessario in loco. Et secundum hoc
erit sermo eius ET MOTUS EST EI NATURALITER quasi alia conditio
addita ei quod est essentialiter. Alteratio enim
potest dici aliquo modo quod est in alterato essentialiter.

Et potest dici quod est in eo accidentaliter aliquo modo.
Albedo enim non movetur in nigredinem nisi quia
est in aliquo divisibili, scilicet corpore, non quia est
divisibilis in se. Et sic erit hic alius modus motorum

Page 52

accidentaliter a modo descripto; et verificat hanc expositionem
hoc quod post dicet.

39. ET SI SUBSTANTIA ANIME EST UT MOVEAT SE, TUNC
MOTUS NON ERIT EI ACCIDENTALITER UT ALBO
ET TRICUBITO. ISTA ENIM MOVENTUR, SED ACCIDENTALITER;
QUOD AUTEM MOVETUR EST CORPUS IN QUO
HEC DUO EXISTUNT; ET IDEO NON HABENT LOCUM.
ANIMA AUTEM HABET LOCUM, CUM NATURALITER HABET
COMMUNICATIONEM CUM MOTU.

406a16

406a20

406a22

Cum declaravit quod, si movetur essentialiter, oportet
ut moveatur uno trium motuum, incepit declarare quod
non potest moveri motu alterationis neque augmenti.
Impossibile est enim ut inveniatur in eis aliquod movens,
quoniam hoc non invenitur nisi in motu locali tantum;
quamvis illud quod movetur in qualitate movetur
etiam aliquo modorum rerum que dicuntur moveri accidentaliter.
Et dixit: ET SI SUBSTANTIA ANIME, etc. Idest, et si substantia
anime est aliquod movens se, ut Antiqui describunt,
tunc impossibile est ut moveatur in qualitate, ut album
in nigrum, neque in quantitate, ut tricubito in tetracubito.
Quoniam, si aliquod istorum dicatur moveri, non
dicetur nisi accidentaliter, quoniam illud quod movetur
in istis non est nisi corpus. Et hoc est quasi causa propter
quam non invenitur in hiis duobus motibus movens
ex se. Sed quoniam motus non attribuitur albedini et nigredini

Page 53

nisi propter corpus in quo existunt hee due qualitates
manifestum est. Sed difficile est ymaginari quomodo
attribuitur additio et diminutio in quantitate
rei augmentabili et diminuibili accidentaliter. Augmentatum
enim essentialiter movetur in loco, sed secundum quod
est motus in partibus, non in toto; motus igitur attribuitur

toti accidentaliter. Motus igitur attribuitur alterabili et augmentabili modo accidentali; sed alterabili propter corpus deferens, augmentabili autem et diminuibili propter partes corporales augmentabiles et diminuibiles. Et secundum has duas intentiones intelligendus est suus sermo in quo dixit: QUOD AUTEM MOVETUR EST CORPUS IN QUO SUNT HEC DUO. Idest, et corpus in quo sunt hec duo in qualitate vero est corpus subiectum; in augmento autem sunt partes corporis in quibus invenitur iste motus. Et sic possunt dissolvi omnes dubitationes contingentes huic sermoni.

40. ET ETIAM, SI MOVETUR NATURALITER, MOVETUR ETIAM VIOLENTE; 406a22
ET SI VIOLENTE, NATURALITER. ET SIMILITER DE QUIETE; AD
QUOD ENIM MOVETUR NATURALITER, IN EO QUIESCIT NATURALITER,
ET SIMILITER IN ILLO AD QUOD MOVETUR VIOLENTE 406a25
QUIESCIT VIOLENTE. QUI IGITUR SUNT MOTUS
ET QUIETES ISTI QUI VIOLENTE ACCIDUNT ANIME? ET ETIAM, SI
MOVETUR AD SUPERIUS, EST IGNIS; SI INFERIUS,
EST TERRA. ISTI ENIM DUO MOTUS NON SUNT
NISI HORUM DUORUM CORPORUM. ET SERMO DE
CORPORIBUS MEDIIS EST ISTE IDEM SERMO. 406a30

Page 54

Et si movetur naturaliter, idest per se in loco, necesse est ut moveatur violente in loco. Et hoc necesse est in eo quod movetur in loco motu recto. Deinde posuit conversum. Et dixit: et si movetur violente, movetur etiam naturaliter. Et hoc etiam necesse est, scilicet quod illud quod movetur violente debet moveri naturaliter; motus enim violentus non intelligitur nisi in respectu naturalis. Deinde dixit: ET SIMILITER DE QUIETE. Idest, et secundum hunc modum debet esse in quiete, scilicet quod omne motum naturaliter habet quietem naturaliter, et omne habens quietem naturaliter habet quietem violente, et omne habens quietem violente habet quietem naturaliter. Si igitur anima movetur naturaliter, habet quietem naturaliter; et si habet quietem naturaliter, habet quietem violente. Et cum narravit quod illud quod movetur naturaliter potest habere violentam quietem, narravit in quo loco habet quietem violente. Et dixit: ILLUD ENIM IN QUO MOVETUR NATURALITER, IN EO QUIESCIT VIOLENTE. Idest, in loco enim in quo movetur naturaliter quiescit violente; v.g. ignis, qui naturaliter movetur in loco inferiori, in eo quiescit violente; terra autem econtrario. Et hoc determinatum est in quinto Phisicorum. Et cum probavit quod, si anima movetur naturaliter et per se, quod necesse est ut moveatur violente aut quiescat violente, hiis propositionibus verificatis dixit: QUI IGITUR MOTUS, etc. Idest, nullus enim potest dicere in hoc aliquid; hoc enim nullo modo ymaginatur in anima, nedum sit necesse. Et potentia istius sermonis est potentia duorum sillogismorum ypoteticorum. Quorum

Page 55

primus est quod, si anima movetur naturaliter, movetur violente; sed non movetur violente; ergo non movetur naturaliter. Secundus autem est quod, si anima movetur naturaliter, quiescit naturaliter, et si quiescit

naturaliter, quiescit violente; sed non quiescit violente; ergo non quiescit naturaliter; et si non quiescit naturaliter, non movetur naturaliter. Et iste componitur ex duobus sillogismis ypoteticis continuativis, in quorum utroque destruitur consequens et concluditur oppositum precedentis. Deinde dedit alium sillogismum qui consequitur ex istis propositionibus, per quem declarat quod anima non movetur naturaliter. Et dixit: ET SI MOVETUR NATURALITER AD SUPERIUS, EST IGNIS; ET SI INFERIUS, EST TERRA. Idest, et si movetur naturaliter in loco, aut movetur superius aut inferius, cum omnis motus in loco est alter istorum modorum. Et hoc verum est in motu recto. Si igitur movetur superius, est ignis; si inferius, est terra; si medio modo, est alterum duorum corporum mediorum: aut aqua aut aer. Et hoc intendebat cum dixit: ET SERMO DE CORPORIBUS, etc. Et quasi dimisit impossibile consequens, quia manifestum est. Et est quod, si est ignis aut aliquod elementorum, est in corpore violente. Et si est aliquod elementorum, non debet moveri in corpore nisi uno motu naturaliter: aut superius aut inferius, non motibus oppositis. Sed nos videmus eam moveri motibus oppositis in loco; ergo non est unum elementorum quatuor.

41. ET ETIAM, SI VIDEMUS EAM MOVERE CORPUS,
NECESSE EST UT MOVEAT IPSUM ILLIS MOTIBUS QUIBUS

406a30

Page 56

MOVETUR. ET SI ITA SIT, CUM ISTE SERMO CONVERTETUR, ERIT VERUS, SCILICET QUOD MOTUS QUO CORPUS MOVETUR MOVETUR ETIAM IPSA ILLO MOTU. ET CORPUS MOVETUR MOTU LOCALI, UNDE NECESSE EST UT ANIMA TRANSMUTETUR SECUNDUM TRANSMUTATIONEM CORPORIS, ET TRANSFERATUR IN LOCO AUT SECUNDUM TOTUM AUT SECUNDUM PARTES. ET SI HOC FUERIT, POSSIBILE EST UT, CUM EXIVERIT AB ALIQUO LOCO, REVERTATUR ET EXISTAT IN EO; UNDE POSSIBILE EST UT ILLUD QUOD MORITUR EX ANIMALIBUS REVERTATUR ET VIVAT.

406b1

406b5

ET ETIAM, SI VIDEMUS EAM, etc. Idest, et est etiam alia ratiocinatio. Quoniam, si ponimus quod ipsa movet corpus secundum quod movetur, necesse est ut moveat ipsum modo motus quo movetur, scilicet quod, si transferatur, necesse est ut transferat ipsum, et si alteretur, necesse est ut alteret ipsum. Et cum posuit hoc, dixit: et econtrario etiam, scilicet quod modus motus quo corpus movetur ab anima, necesse est ut moveatur illo eodem motu. Hoc posito, si posuerimus quod corpus movetur ab anima motu locali, tunc necesse erit ut anima moveatur in corpore, aut secundum totum aut secundum partes; erit ergo in corpore quasi corpus in loco. Et quia innata est movere corpus in locis diversis, possibile est etiam ut ipsa moveatur in locis diversis. Et cum ita sit, possibile est, sicut dixit, cum exierit a corpore, ut revertatur et intret ipsum; unde consequitur, sicut dixit, ut animal mortuum revertatur et vivat. Sed ista contradictio est secundum sermonem dicentis, non secundum

rem in se. Nos enim non ponimus quod omne movens movetur in illo modo motus, neque in motu locali, nisi movens sit corpus, ut declaratum est in Phisicis. Et cum quidam existimaverunt quod hec contradictio est secundum rem in se, dederunt dubitationem super Aristotelem in hac probatione dicente quod omne corpus non movet nisi moveatur, et dicunt: Nos videmus hic multa que movent, et non moventur illo modo motus, ut lapis retitus; quoniam cum calefit, movet paleam motu locali, tamen ipse non movetur. Sed iste non est locus istius questionis, et eius dissolutio iam dicta est in octavo Phisicorum, ubi indigebatur ponere hanc propositionem. Sed questio esset propria huic loco si contradictio esset secundum rem in se, quia multa videmus alterare, tamen non alterantur. Sumus igitur inter duo: aut debentes ponere quod contradictio est secundum rem in se, et tunc non erit verum nisi in motu locali, quod non sonant verba Aristotelis; aut ponere quod contradictio est secundum sermonem dicentis, non secundum rem in se. Et ista quidem contradictio non verificatur nisi concedendo primam propositionem a qua incepit loqui, scilicet quod, si anima movet corpus secundum quod movetur, necesse est ut moveat ipsum modo motus quo movetur. Et hoc concedunt Antiqui, aut sequitur illud quod concedunt. Hoc quidem concessio consequitur conversum eius necessario, et est quod omnis motus quo corpus movetur, necesse est ut anima moveatur illo motu. Et hoc manifestum est. Secundum hoc igitur intelligenda est ista contradictio in hoc loco.

42. MOTU AUTEM ACCIDENTALITER NON MOVETUR
NISI PER ALIUD, SCILICET CUM ANIMAL EXPELLITUR
VIOLENTE. SED NON EST NECESSE UT ILLUD IN CUIUS
SUBSTANTIA EST MOVERI PER SE MOVEATUR PER ALIUD,
NISI ACCIDENTALITER; QUEMADMODUM NON EST RECTUM
UT ILLUD QUOD EST BONUM PER SE SIT BONUM
PER ALIUD; NEQUE ILLUD QUOD EST DELECTABILE
PER SE EST DELECTABILE PER ALIUD.

406b5

406b10

Cum destruxit quod anima movetur per se, incepit declarare quod non est impossibile ut moveatur accidentaliter; immo forte est necessarium. Et dixit: MOTU AUTEM ACCIDENTALITER, etc. Idest, motu autem accidentali potest moveri, cum talis motus non est nisi per motum rei in qua est. Et hoc accidit ei cum corpus in quo est movetur violente ab aliquo extrinseco. Et cum dedit pro possibili istum modum motus, declaravit quod non debet esse necesse ut illud quod movetur per suam substantiam moveatur per aliud. Quemadmodum enim illud quod est bonum per se non est bonum per aliud, sic illud quod est motum per se non est motum per aliud.

43. ET MELIOR SERMO OMNIUM SERMONUM DICTORUM
IN HOC QUOD ANIMA MOVETUR EST QUOD MOVET SENSIBILIA.
SED SI MOVET SE, MOVETUR ETIAM; UNDE NECESSE

406b10

EST, QUIA OMNIS MOTUS EST PROCESSUS MOTI IN MODO
SUI MOTUS, UT ANIMA ETIAM PROCEDAT A SUA
SUBSTANTIA, SI NON MOVET SE ACCIDENTALITER SED
MOTUS EST SUE SUBSTANTIE PER SE.

406b15

Page 59

Cum declaravit quod contingit dicentibus quod anima non movet nisi secundum quod movetur ut moveatur modis motuum quibus movet, anima autem videtur movere pluribus modis, ut motu locali et motibus sensibilium, et iam dedit eis impossibilitatem si movetur motu locali, qui est modus quo movet, declaravit hic quod sermo magis sufficiens quod anima movetur illo modo quo movet est ut moveatur motu quem facit in sensibilibus. Et dixit: ET MELIOR SERMO, etc. Idest, et magis sufficiens sermo est dicere quod anima movetur in genere motus quem habet in sensibilibus. Et intendebat hoc cum dixit: QUOD MOVET SENSIBILIA; idest quod movetur modo motus secundum quem movet sensibilia. Sensus enim licet moveantur a sensibilibus, tamen existimatur movere et moveri ab eis insimul.

Deinde incepit dicere aliud impossibile contingens omnibus; et est quod, si actio substantialis anime, qua sustentatur, quasi forma sit motus, motus autem est transmutatio rei in sua substantia, necesse est ut anima transmutetur in sua substantia et ut non sit in sua ultima perfectione, idest in actu. Esse enim motus est esse transmutabile, et est compositum ex esse in potentia et ex esse in actu; et ideo existimaverunt plures Antiquorum ipsum non esse. Et dixit: ET SI MOVET SE, MOVETUR ETIAM, etc. Idest, sed si anima movet se, ut ponunt Antiqui, ipsa etiam movetur in se et in sua substantia. Et quia omnis motus est transmutatio moti in modo sue substantie secundum quod est motum, necesse est ut anima etiam transmutetur a sua substantia. Deinde dixit: SI NON MOVET SE ACCIDENTALITER. Idest, ut michi videtur, si motus non est aliquod posterius ab anima quasi accidens

Page 60

illi, scilicet ut anima accipiatur in diffinitione motus, non motus in diffinitione anime ut faciunt Antiqui. Et intendebat secundum hanc expositionem: si non movet se ita quod motus sit accidens consequens substantiam eius. Et forte intelligit intentionem predictam de accidente, idest: quod opponitur essentie.

44. ET QUIDAM DIXERUNT QUOD ANIMA MOVET ETIAM CORPUS
IN QUO EST MODO QUO MOVETUR, UT DEMOCRITUS.
DIXIT ENIM SERMONEM SIMILEM SERMONI
CHILI; ISTE ENIM DICIT QUOD DEDALUS POSUIT YMAGINEM
HERMAFRODITI MOTAM, PONENDO IN
EA ARGENTUM VIVUM. ET SIMILITER DICIT DEMOCRITUS;
DICIT ENIM QUOD SPERE INDIVISIBILES SEMPER MOVENTUR,
QUIA INNATE SUNT NON QUIESCERE IN ALIQUA
HORA, ET SIC ATTRAHUNT SECUM TOTUM CORPUS ET
MOVENT IPSUM. ET NOS QUEREMUS AB EO
UTRUM HOC IDEM FACIAT QUIETEM ETIAM. SED DIFFICILE
EST, IMMO IMPOSSIBILE, DICERE QUOMODO FACIT HOC.

406b15

406b20

ET UNIVERSALITER NOS NON VIDEMUS ANIMAM MOVERE
ANIMAL HOC MODO, SED VOLUNTARIE.

406b25

Cum declaravit quod contingit dicentibus quod movetur anima ex se ut transferatur ex se quemadmodum corpus transfertur, et dedit eis multa impossibilia, incepit hic etiam dicere quod plures homines sunt qui hoc dicunt. Et dixit: ET DICUNT ALIQUI QUOD ANIMA ETIAM MOVET CORPUS, etc. Idest, et quidam opinantur quod anima movet corpus motu locali, illa etiam mota, ut Democritus. Opinatur enim quod

Page 61

partes indivisibiles semper movent corpus suo motu, sicut dixit Chilus quod Dedalus fecit movere ymaginem Hermafroditi, imponendo in ea argentum vivum; iste enim opinatur quod ita est de anima cum corpore in motu sicut de argento vivo cum ymagine. Deinde dixit: NOS IGITUR QUEREMUS AB EO, etc. Idest, et si causa apud ipsum propter quam anima movet corpus est ista, querendum est ab eo quomodo anima facit quietem, si facit motum secundum quod semper movetur. Deinde declaravit quod hoc non solum est difficile, immo impossibile, dare causam quomodo facit quiescere secundum quod movetur. Et dixit: ET DIFFICILE EST DICERE, etc. Deinde dixit: ET UNIVERSALITER NON VIDEMUS ANIMAM, est.; idest quod si motus corporis ab anima esset sicut motus ymaginis ab argento, tunc motus corporis non esset voluntarius sed necessarius. Et hoc manifestum est.

45. ET SIMILITER EST DE HOC QUOD DIXIT THIMEUS
IN SERMONE NATURALI, SCILICET QUOD ANIMA MOVET CORPUS.
DICIT ENIM QUOD NON MOVET CORPUS NISI IPSA MOTA,
QUIA ADMISCETUR CUM EO. CONSTITUTIO ENIM
ANIME EST EX ELEMENTIS, ET EST DIVISIBILIS SECUNDUM
DIVISIONEM NUMERORUM COMPOSITORUM, UT HABEAT
SENSUM CONVENIENTEM ARMONIE, ET
MOVEATUR TOTUM MOTIBUS CONVENIENTIBUS. DIXIT:
ET IDEO INCURVAVIT RECTITUDINEM ET POSUIT EAM
CIRCULUM, ET DIVISIT EX UNO DUOS CIRCULOS
SEPARATOS IN DUOBUS LOCIS; DEINDE DIVISIT UNUM
CIRCULUM ETIAM IN SEPTEM CIRCULOS, ITA QUOD POSUIT
MOTUS CELI SICUT MOTUS ANIME.

406b26

406b30

407a1

407a2

Page 62

Cum declaravit quod Democritus opinabatur animam movere corpus localiter, ipsa translata, et dedit impossibile consequens eius opinionem, incepit etiam declarare quod illud quod dictum est in Thimeo est simile opinioni Democriti. Et dixit: ET SIMILITER ETIAM, etc. Idest, et similiter est dictum in Thimeo, scilicet quod anima movet corpus localiter; immo etiam anima transfertur, qui admiscetur cum eo, et cum ipsa transfertur, transfertur corpus. Et cum declaravit similitudinem inter hanc opinionem et opinionem Democriti, incepit etiam dicere illud quod est proprium huic opinioni, et contradicere ei proprie. Et dixit: CONSTITUTIO ENIM ANIME, etc. Idest, et hoc fuit dictum in Thimeo, quia constitutio

anime est ex elementis istius mundi; sed est intelligens, quia componitur ex elementis musica compositione et sperica; et comprehendit armoniam, quia componitur compositione armonica; et apud ipsum talis est natura corporum celestium. Corpora enim celestia sunt composita apud ipsum tali compositione, et figura eorum talis est. Et cum dixit quod constitutio anime est ex elementis, intendit ex elementis ex quibus componitur mundus apud ipsum. Deinde dixit: ET EST DIVISIBILIS. Idest, et est composita compositione armonica, quoniam per talem proportionem compositionis potest sentire armoniam. Et hoc intendebat cum dixit: UT HABEAT SENSUM. Deinde dixit: ET MOVEATUR TOTUM MOTIBUS CONVENIENTIBUS; idest, quia habet numerum armonicum. Deinde dixit: ET IDEO

Page 63

INCURVAVIT RECTITUDINEM. Idest, intendit quod Thimeus, quia opinabatur quod anima non agit nisi inquantum est sperica, et comprehendit armoniam et movetur motibus armonicis, idest convenientibus, inquantum componitur ex elementis compositione armonica, dixit narrando de Creatore quod, cum composuit animam ex elementis, composuit ipsam prius magnitudine recta compositione armonica; deinde incurvavit lineam et fecit ipsam circulum, ut intelligat, et fecit illum circulum habere latitudinem; deinde divisit illum circulum in duo, quorum unum divisit in septem, scilicet orbes stellarum erraticarum et orbem stellarum, ita quod posuit motus celi eosdem cum motibus anime; idest quod actiones celi sunt eedem cum actionibus anime.

46. DICAMUS IGITUR PRIUS QUOD NON EST RECTUM DICERE 407a2
 QUOD ANIMA EST MAGNITUDO. MANIFESTUM EST
 ENIM QUOD QUI INTENDEBAT QUOD ANIMA TOTIUS, V.G. 407a5
 ILLUD QUOD DICITUR INTELLIGENTIA, EST SIC, NON INTENDEBAT
 SENSIBILEM ANIMAM, NEQUE DESIDERATIVAM;
 QUONIAM MOTUS ISTARUM NON EST CIRCULARIS. 407a6

Dicit quod non est rectum opinari quod anima sit corpus, cum intellectum fuerit per ANIMAM intellectus, ut declaratum est quod hoc intendebatur in Thimeo per hoc nomen ANIMA. Et ideo fecerunt corpus spericum; actio enim intellectus similis est circulationi. Et non intelligebatur illic per ANIMAM aut sensibilis aut desiderativa; motus enim istarum et actio earum non

Page 64

assimilatur circulationi sicut actio intellectus apud eos assimilatur circulo quia revertitur supra se et intelligit se. Et ideo assimilat ipsum Aristoteles spere.

47. INTELLECTUS AUTEM EST UNUS ET CONTINUUS, 407a6
 ET SIMILITER INTELLECTUM; ET INTELLECTUM EST RES
 INTELLECTE; ET ISTE SUNT UNE SECUNDUM CONSEQUENTIAM,
 SICUT MENSURA SINE MAGNITUDINE. ET IDEO
 INTELLECTUS ETIAM NON EST CONTINUUS HOC MODO, SED
 AUT EST INDIVISIBILIS AUT EST ALIQUOD CONTINUUM NON SICUT 407a10
 MAGNITUDO. NULLO ENIM MODO POSSUMUS DICERE

QUOMODO INTELLEGIT PER ALIQUAM
PARTEM PARTIUM EIUS, QUECUMQUE PARS
SIT IDEM. ET INTELLIGERE PER ALIQUAM PARTEM
AUT ERIT PER MAGNITUDINEM AUT PER PUNCTUM.
ET PUNCTUS EST INFINITUS; MANIFESTUM EST IGITUR
QUOD NON PERTRANSIT IPSUM IN ALIQUA HORA.
ET SI INTELLEGIT PER MAGNITUDINEM, INTELLIGIT
MULTOTIENS ET INFINITIES; SED NOS VIDEMUS
INTELLIGERE SEMEL POSSIBILE ESSE. SI IGITUR SUFFICIT
TANGERE PER UNAM PARTEM, QUECUNQUE PARS SIT,
IN QUO INDIGET MOVERI CIRCULARITER, ET UNIVERSALITER,
QUOD EX EO FIAT MAGNITUDO?

407a15

407a17

ET INTELLECTUS EST UNUS, etc. Idest, et intellectus
dicitur esse unus et continuus illo modo quo dicitur
in suo intellectu esse unum et continuum. Deinde dixit: ET INTELLIGERE
EST RES INTELLECTE, etc. Idest, et quia intelligere est ipse
res intellecte, que non dicuntur esse une nisi sicut dicuntur

Page 65

res consequentes esse une, scilicet numerus. Et
hoc intendebat cum dixit: SICUT MENSURA SINE MAGNITUDINE,
idest sine continuatione. Et ideo impossibile est ut
dicatur quod intellectus sit unus et continuus nisi eo
modo secundum quem dicitur hoc in rebus consequentibus,
scilicet in quantitate discreta. Intellectus igitur
non est corpus quia non est continuus in rei veritate.
Deinde dixit: SED AUT EST INDIVISIBILIS AUT CONTINUUS NON SICUT
MAGNITUDO. Idest, et cum dispositio in intellectu sequitur
dispositionem in intellectu, necesse est dicere quod intellectus
aut est indivisibile, ut unus punctus, aut continuum;
sed non sicut continuatio magnitudinis, sed continuatio
compositi, idest quantitatis discrete. Deinde dixit:
NULLO ENIM MODO POSSUMUS DICERE, etc. Idest, et cum dixerimus
in eo quod est magnitudo continua, tunc non intelliget
nisi secundum tactum, ut dictum est in Thimeo.
Nullo enim modo possumus dicere quomodo intelligit
intellectus per aliquam partem eius, quecunque pars sit
idem rerum intellectarum. Deinde dixit: ET INTELLIGERE PER ALIQUAM
PARTEM, etc. Idest, et intelligere per tactum, cum fuerit
magnitudo, necesse est aut ut tangat per partes eius
partes intellecti, aut per totum totum, aut utrunque;
deinde, si intellexerit per contactum partium cum partibus
rei, necesse est ut sit aut per aliquam partem eius
que sit magnitudo, aut per aliquam partem que
sit punctus. Et cum declaravit hoc, dedit impossibile
consequens utrunque. Et dixit: ET SI PUNCTUS EST INFINITUS.

Page 66

etc. Idest, et si intellexerit per punctum, manifestum
est quod non potest intelligere totum corpus
semper; puncta enim que sunt in corpore sunt infinita.
Si igitur necesse est in intelligendo corpus ut tangat
punctus ex eo omnia puncta que sunt in corpore
(quod est impossibile, quia puncta sunt infinita),
manifestum est quod impossibile est ut intelligat corpus
omnino secundum hunc modum. Et cum declaravit

impossibile consequens si intelligit secundum quod tangit corpus per puncta, inceptit etiam dicere impossibile consequens si tangat ipsum per partem aliquam que sit corpus, non punctus. Et dixit: ET SI INTELLIGIT PER MAGNITUDINEM, etc. Idest, et si intellectus intelligit rem tangendo per aliquam partem eius que sit corpus omnes partes corporis intellecti, circungirando se quousque tangat per illam partem corporis omnes partes corporis intellecti, necesse est ex hoc ut intellectus intelligat idem infinities quando tangit corpus; quoniam pars non differt a parte in suo tactu; et impossibile est ut intelligat totum corpus. Sed nos videmus quod intellectus intelligit totum corpus simul, et unico intelligere, et non indiget intelligere iterato. Si igitur aliquis dixerit quod sufficit intelligere corpus intelligere unam partem eius, quando tangit ipsum per sum partem, dicemus ei: Quomodo igitur indiget corpus ut moveatur circulariter quousque tangat per suam partem aut per suas partes omnes partes eius? Et universaliter, quo indiget quod intellectus sit corpus, si non intelligit per tactum?

Page 67

48. ET SI NECESSE EST INTELLIGERE UT TANGAT PER
TOTUM CIRCULUM, QUID IGITUR EST TANGERE PER PARTES? 407a17
ET ETIAM, QUOMODO INTELLIGIT PER INDIVISIBILE
DIVISIBILE, AUT PER DIVISIBILE INDIVISIBILE?
ET NECESSE EST UT INTELLECTUS SIT ISTE CIRCULUS. 407a20
INTELLIGERE ENIM EST MOTUS INTELLECTUS,
ET CIRCULATIO EST MOTUS CIRCULI. ET SI INTELLIGERE
EST CIRCULATIO, ERIT ETIAM ISTA CIRCULATIO INTELLIGERE.
QUID IGITUR INTELLIGIT SEMPER? HOC ENIM
NECESSARIUM EST, SI CIRCULATIO SIT SEMPER ETERNA.
INTELLIGERE ENIM MECHANICUM EST FINITUM.
QUONIAM QUIDLIBET ILLIUS EST PROPTER ALTERUM;
INTELLIGERE AUTEM SPECULATIVUM (ET EST DIFFINIRE 407a25
PER SERMONES) SIMILITER. ET OMNIS SERMO
EST AUT PER DIFFINITIONEM AUT PER DEMONSTRATIONEM.
DEMONSTRATIONES AUTEM ACCIPIUNTUR EX PRINCIPIO,
SICUT ULTIMO; ET EST SILLOGISMUS ET CONCLUSIO.
ET QUAMVIS NON CADAT IN EIS CONCLUSIO, TAMEN
NON REVERTUNTUR AD SUA PRINCIPIA, SED
CRESCUNT SEMPER IN MEDIO AUT EXTREMO, ET
PROCEDUNT RECTE. CIRCULATIO AUTEM REVERTITUR
AD SUUM PRINCIPIUM. ET OMNES ETIAM DIFFINITIONES 407a30
SUNT FINITE. ET ETIAM, SI TOTUS MOTUS
IDEM EST, MULTOTIENS. ET ETIAM INTELLIGERE
EST DIGNIUS ATTRIBUERE QUIETI QUAM MOTUI;
ET SIMILITER SILLOGISMUS. 407a34

ET SI NECESSE EST INTELLIGERE, etc. Idest, et si necesse est intelligere ut intellectus tangat per totum circulum rem intellectam, et tunc intelliget, (et ista est

Page 68

secunda pars trium divisionum), quo igitur indiget ut tangat per partes? Ociosum est enim tangere per partes.

Deinde dixit: QUOMODO INTELLIGIT PER INDIVISIBILE, etc. Idest, et quocunque modo posuerimus quod tangit, sive per partem indivisibilem, sive per divisibilem, sive illud divisibile fuerit totum aut pars aut utrunque, scilicet quod tangit partem per partem et totum per totum, impossibile est nobis dicere quomodo intelligit per tactum. Quoniam, si dixerimus quod habet partes indivisibiles, quomodo tangit per partes indivisibiles partes divisibiles rerum? Et si dixerimus quod habet partes divisibiles, quomodo tangit per eas? Tangens enim debet esse superpositum. Et omnia ista contingunt eis quia ponunt quod intellectus, in eo quod est intellectus, habet partes, et quod non intelligit nisi tangendo. Deinde dixit: ET NECESSE EST UT ISTE INTELLECTUS SIT [line 46 cont.] CIRCULUS IPSE. Idest, et necesse est ut intellectus sit ipsum corpus circulare, non quod intellectus sit proprium aliquod corpori circulari. Manifestum est igitur quod contingit ex hoc quod intellectus est corpus circulare. Et sillogismus sic componitur: actio intellectus est circulatio; et circulatio est corporis circularis; ergo actio intellectus est corporis circularis. Et illud cui attribuitur actio intellectus est intellectus; ergo intellectus est corpus circulare. Et cum declaravit quod contingit necessario ut intellectus sit corpus circulare et eius actio sit circulatio, notificavit quod est necesse, si intelligere eius sit circulatio, et circulatio etiam fuit in eo semper secundum quod est

Page 69

corpus celeste, ut eius intelligere sit semper et infinitum. Et dixit: ET SI INTELLIGERE EST CIRCULATIO, etc. Idest, et si intelligere est circulatio, tunc etiam circulatio existens in intellectu erit intelligere. Et circulatio erit semper; unde manifestum est quod intelligere erit semper et infinitum. Deinde incepit dare impossibile quod sequitur ex hoc. Et dixit: ET QUID INTELLIGIT SEMPER, etc. Idest, et cum secundum hanc opinionem necesse est ut semper intelligat, quid possunt dicere quod semper intelligit? Hoc enim necesse est propter hoc quod ponunt quod circulatio est semper. Et nichil possunt dicere in hoc, quoniam intelligere per operationem est finitum. Omne enim intellectum apud operationem non intelligitur nisi propter aliud, et omnia propter ultimum finem qui intenditur in illa operatione mechanica. Et cum declaravit quod intelligere est finitum in intellectu mechanico, incepit declarare quod ita est in speculativo. Et dixit: ET INTELLIGERE SPECULATIVUM (ET EST DIFFINIRE PER SERMONES) SIMILITER. Idest, similiter est in omnibus rebus speculativis. Deinde dixit: ET OMNIS SERMO AUT EST DIFFINITIO AUT DEMONSTRATIO. Idest, et omnis actio intellectus aut est diffinitio aut demonstratio. Et cum declaravit hoc, incepit declarare quod utraque istarum actionum est finita. Et dixit: ET DEMONSTRATIONES ACCIPIUNTUR EX PRINCIPIO. Idest, et demonstrationes habent principium ex quo accipiuntur, et sunt propositiones; et habent finem, et est sillogismus qui fit ex propositionibus et conclusione. Deinde dixit: ET QUAMVIS IN EIS NON CADAT CONCLUSIO, etc. Idest, et qui concludit aliquam conclusionem non

facit revertere illam conclusionem, sicut facit in sillogismo

Page 70

circulari, sed addit ei aliam propositionem, per quam impossibile est ut demonstratio revertatur circulariter, scilicet ut principium fiat finis et finis principium; sed additur illic terminus medius alius et extremum maius aliud et alia conclusio; et erit motus intellectus tunc secundum rectitudinem, non secundum circulationem. Circulatio autem, quam opinantur esse actionem intellectus, non intelligitur ab hoc intellectu, idest qui procedit secundum rectitudinem, sed revertitur. Et cum declaravit hoc in demonstratione, incepit declarare hoc in diffinitione. Et dixit: ET OMNES DIFFINITIONES SUNT FINITE. Idest, et diffinitiones rerum, cum perficiuntur per intellectum, sunt finite, sicut res que exigunt ut credantur. Et intelligere non revertitur in eis circulariter, sicut fides non revertitur in demonstrationibus circulariter. Deinde dixit: ET ETIAM SI TOTUS MOTUS IDEM EST, MULTOTIENS. Idest, et si motus intellectus et circulatio eius fuerit in eodem intellectu, tunc comprehendet ipsum infinities. Et in alia translatione est manifestius sic: ET CUM MOTUS INTELLECTUS FUERIT CIRCULARIS, NON SPIRALIS, TUNC COMPREHENDENS COMPREHENDET IDEM MULTOTIENS. Et ideo possibile est ut sermo sit sic: Et si motus intellectus fuerit circulatio, tunc intelliget omnia multotiens. Deinde dixit: ET INTELLIGERE DIGNIUS EST UT ATTRIBUATUR QUIETI QUAM MOTUI. Et intendit ex hoc quod apparet; quoniam actio nostra per ipsum apud quietem est magis perfecta quam apud motum. Et ideo melius est attribuere actionem intellectus quieti quam motui, sicut fecerunt isti.

Page 71

49. ET ETIAM, QUOD NON EST FACILE NON EST DELECTABILE,
SED QUASI VIOLENTUM. SI IGITUR MOTUS NON EST
SUBSTANTIA ANIME, TUNC NON MOVETUR NISI AB
ALIQUO EXTRINSECO A SUA NATURA. ET ETIAM EST VALDE
DIFFICILE UT INTELLECTUS SIT ADMIXTUS CUM CORPORE
ADMIXTIONE QUA NON POSSIT RECEDERE AB
EO, SI MELIUS EST INTELLECTUI UT NON SIT CONIUNCTUS
CUM CORPORE, SICUT EST CONSUETUDO DICENDI,
ET SECUNDUM QUOD PLURES OPINANTUR.

407a34

407b1

407b5

Et etiam manifestum est quod intelligere apud motum magis est difficile quam apud quietem. Motus igitur est ab anima quasi violentus; ergo non est in substantia eius, neque anima constituitur per ipsum, sed est extra naturam eius. Et cum notificavit hoc, incepit dare impossibile contingens eis in hoc quod dicunt intellectum esse corpus. Et dixit: ET EST VALDE DIFFICILE, etc. Idest, et valde est improbable et difficile ad intelligendum, secundum quod homines consueverunt dicere, quod intellectus sit corpus aut admixtum cum corpore tali admixtione quod non potest evadere ab eo omnino; cum omnes, aut plures, opinentur quod melius est ut intellectus sit non coniunctus cum corpore, nedum sit corpus. Natura enim intellectus videtur esse valde opposita nature corporis.

50. ET EX EIS QUE LATENT ETIAM EST CAUSA PROPTER

407b5

QUAM CELUM MOVETUR CIRCULARITER. SUBSTANTIA
ENIM ANIME NON EST CAUSA MOTUS EIUS CIRCULARITER,
SED MOVETUR ISTO MOTU ACCIDENTALITER. NEQUE
ETIAM CORPUS EST CAUSA IN HOC; IMMO ANIMA EST DIGNIOR

Page 72

IN HOC. ET ETIAM NEQUE DIXIT QUARE HOC FUIT
MELIUS; LICET OPORTET QUOD DEUS NON POSUERIT ANIMAM
MOVERI CIRCULARITER NISI QUIA MOVERI EST
ET MELIUS QUAM QUIESCERE, ET QUOD MOVEATUR HOC MODO
EST MELIUS QUAM QUOD MOVEATUR ALIO MODO.

407b10

407b11

Et latet secundum hanc opinionem dare causam propter
quam celum movetur. Secundum enim positionem eorum
substantia anime non dat istum motum, cum substantia
anime apud eos non sit nisi corpus elementorum, et iste motus,
scilicet circularis, est ei accidentaliter, scilicet quia Creator
incurvavit ipsum a rectitudine in circulationem. Deinde dixit:
NEQUE CORPUS ETIAM, etc. Idest, et cum anima non est causa
istius motus essentialiter, que est dignior ut sit causa,
corpus etiam, in eo quod est corpus, remotius est ut sit
causa. Deinde dixit: ET ETIAM NULLUS DIXIT, etc. Idest, et etiam Plato
non dedit in hoc sermonem quare animam moveri circulariter
est melius quam non moveri, aut quam non
moveri circulariter; neque potest dare. Necesse est enim
ut Deus non posuerit animam moveri nisi quia moveri
est melius ei quam quiescere; et posuit eam moveri
circulariter quia talis motus est melior recto. Et
intendit quod omnia ista demonstrant hanc opinionem
esse improbabilem.

51. SI IGITUR ISTA CONSIDERATIO EST MAGIS PROPRIA
ALIO SERMONI, DIMITTENDA EST STATIM A NOBIS. ET
DICAMUS QUOD EST ALIA IMPROBABILITAS CONTINGENS
HUIC SERMONI ET PLURIBUS SERMONIBUS DE ANIMA;
ET EST QUIA IPSI CONIUNGUNT ANIMAM CORPORI

407b12

407b15

Page 73

ET PONUNT EAM IN EO, ET NON DANT CUM
HOC QUA DE CAUSA SIT CONIUNCTA CUM EO, ET QUE
EST DISPOSITIO ILLIUS CORPORIS.

407b17

Dicit quod hec perscrutatio est magis propria alii scientie,
scilicet quare est melius celum moveri quam quiescere, et
quare circulariter magis quam recte; ista enim questio propria
est Prime Philosophie. Quapropter oportet nos
dimittere hoc cito, et dicere quod est improabilitas
contingens huic sermoni, etc. Idest, et ista improabilitas,
que contingit huic sermoni et pluribus sermonibus de
anima, est quod omnes dicentes quod est ens, sive corpus sive non corpus,
coniungunt eam corpori et non dant causam propter
quam ligata est cum corpore, neque etiam dicunt que est dispositio
corporis quod est adaptatum ut ligetur cum ea.

52. ET LICET HOC, UT REPUTO, NECESSARIUM SIT. QUONIAM
PROPTER COMMUNICATIONEM HOC AGIT ET HOC PATITUR
ET HOC MOVET ET HOC MOVETUR, ET NICHIL EX

407b17

HOC FIT IN QUIBUSCUNQUE ADINVICEM. DICERE ENIM 407b19
HOC IN EIS EST SIMILE AC SI ALIQUIS DICERET QUOD ARS 407b24
CARPENTARIA EXISTAT IN MUSICA. ARS ENIM ITA UTITUR
INSTRUMENTIS SICUT ANIMA CORPORE. 407b26

Et hoc quod ignoraverunt de anima, necessarium est
ut causa eius sit data, quoniam in omnibus rebus est communicatio
inter agens et patiens, et movens et motum, et non patitur
quidlibet a quolibet. Hoc igitur quod dicunt quod anima

Page 74

est in corpore sine aliqua communicatione data inter corpus
et animam qua anima digna est movere, et corpus animalis moveri
inter omnia corpora, simile est sermoni dicentis quod anima
existit in quocunque corpore sit, quod est simile sermoni
dicentis quod ars Carpentaria existit subiectum Musice. Si
igitur ars Carpentaria habet propria subiecta et propria
instrumenta quibus utatur, necesse est ut ita sit de
anima cum corpore; corpus enim est instrumentum anime. Et ideo
corpora animalium convenientia sunt animabus eorum.

53. ET ISTI NON QUERUNT LOQUI NISI TANTUM QUID 407b20
EST ANIMA, ET NICHIL DETERMINANT DE CORPORE
RECIPIENTI, SICUT APOLOGUS QUO UTITUR PITAGORAS,
SCILICET UT QUELIBET ANIMA INTRET QUODLIBET
CORPUS. VIDEMUS ENIM QUOD QUIDLIBET HABET
FORMAM ET CREATURAM PROPRIAM. 407b24

Et isti qui locuti sunt de anima non sunt perscrutati
neque volunt perscrutari nisi quid sit tantum, et nichil
dicunt de natura corporis ei proprii. Et quia hoc dimiserunt,
videtur esse possibile apud eos ut quelibet
anima existat in quolibet corpore et transferatur de corpore
in corpus, sicut dixit Pitagoras in Apologo,
quem posuit ad corrigendum animas civium. Et ista
opinio est falsa; videmus enim quod quidlibet habet formam
propriam et corpus proprium, idest animam propriam

Page 75

et corpus animalis proprium. Et hoc quod dicit
est manifestum in speciebus valde. Membra enim
leonis non differunt a membris cervi nisi propter
diversitatem anime cervi ab anima leonis. Et si esset possibile
ut anima leonis existeret in corpore cervi, tunc
Natura ociose ageret. Et hoc etiam manifestum est in individuis
eiusdem speciei; et ideo diversi sunt mores. Et ex
hoc destruximus opinionem Pitagoricam.

54. ET EST ALIA OPINIO DE QUA MULTI CONTENTI 407b27
SUNT, ET NON EST MINOR OPINIONIBUS PREDICTIS.
DICUNT ENIM QUOD EST ALIQUOD 407b30
ARMONICUM. ARMONIA ENIM EST ADMIXTIO ET
COMPOSITIO CONTRARIORUM, ET CORPUS EST
COMPOSITUM EX CONTRARIIS. 407b32

Cum complevit contradictionem eius quod dictum
est in Thimeo, reversus est ad contradicendum sermoni

i.4

dicentis animam esse aliquam formam ex congregatione et armonia propria elementorum. Et quia ista opinio est valde sufficiens, dixit: ET EST HIC ALIA OPINIO DE ANIMA. Deinde dixit: DICUNT ENIM QUOD EST ALIQUA COMPOSITIO ARMONICA, etc. Idest, dicunt enim quod anima est aliquod armonicum et aliqua compositio ex compositionibus elementorum in re composita admixta ex eis. Et dixerunt hoc quia opinabantur quod armonia est compositio et admixtio contrariorum, et quod corpus est compositum ex contrariis. Ergo in corpore est armonia; ergo est anima.

Page 76

55. LICET ARMONIA SIT PROPORTIO INTER RES
ADMIXTAS AUT COMPOSITIO; ANIMA AUTEM NON EST
ALTERUM DUORUM. ET ETIAM, ARMONIA
NON EST INNATA MOVERE; ET IN HOC PROPRIE
CONVENIUNT OMNES ANIMAM HABERE.

407b32

408a1

Cum dixit hanc opinionem, incepit contradicere ei.
Et dixit quod armonia, quam dicunt esse animam, aut est proportio inter res admixtas ex elementis (et hoc erit si compositio corporis ex elementis est secundum modum complexionis), aut anima est ipsa compositio, si compositio ex elementis est vicinatio, non admixtio; v.g. compositio domus ex lapidibus et lateribus. Deinde dixit: ET ANIMA NON EST ALTERUM ISTORUM DUORUM. Et intendit: ut diximus et ut dicemus post. Deinde dixit: ET ETIAM, ARMONIA NON EST INNATA MOVERE, etc. Idest, et apparet cito quod armonia non est anima, quia omnes conveniunt in hoc quod anima movet, et non possunt dare modum secundum quem armonia moveat.

56. ET DIGNIUS EST ET MELIUS DICERE QUOD ARMONIA
CURRIT CURSU SANITATIS, ET UNIVERSALITER CURRIT CURSU
ALICUIUS, SCILICET BONITATUM MORALIUM CORPORALIUM, NON
CURSU ANIME. ET HOC MANIFESTUM EST VALDE CUM
HOMO LABORAVERIT IN PERFICIENDO PASSIONES ANIME
ET ACTIONES EIUS PER ALIQUAM ARMONIAM.
CONVENIENTIA ENIM IN HOC EST VALDE DIFFICILIS.

408a1

408a5

Page 77

Et melius est existimare quod armonia est de corporibus currens cursu sanitatis, idest cursu formarum que sunt in animato in eo quod est animatum, non cursu anime, neque formarum que sunt in anima; et sive armonia sit compositio, aut proportio agens mixtionem et complexionem. Deinde dixit: ET HOC EST VALDE MANIFESTUM, etc. Idest, et differentia inter formas corporales attributas elementis et formas attributas anime manifesta est ex hoc, quod possumus attribuere in formis corporalibus diversitatem contingentem in actionibus et passionibus corporum compositioni facte in eis ex elementis, ita quod possumus dicere quod actio carnis in manu est alia ab actione ossis propter mollitiem et humiditatem carnis et duritiem et siccitatem ossis; et non possumus dicere per quam complexionem

et per quam compositionem differunt actiones sensus
ab actionibus intellectus, et actiones virtutis sensibilis
ab actionibus virtutis motive. Et hoc quod dixit
est una dubitationum contingentium dicenti esse
animam proportionem elementorum aut aliquod
consequens proportionem.

57. ET ETIAM, NOS NON COMPREHENDIMUS ARMONIAM
NISI INTENDENDO ALTERUM DUORUM; SECUNDUM
AUTEM VERUM APUD MAGNITUDINES, CUM HABENT
MOTUM ET SITUM. TUNC IGITUR INTENTA EST
COMPOSITIO EARUM, CUM FUERINT SUPERPOSITE TALI
SUPERPOSITIONE IN QUA NON POTEST INTRARE INTER
EAS ALIQUID SUI GENERIS. QUOD AUTEM EXTRAHITUR

408a5

Page 78

EX HOC EST PROPORTIO QUE EST RERUM ISTARUM.
NON EST IGITUR RECTUM NEQUE DE ALTERA
ISTARUM DUARUM INTENTIONUM. COMPOSITIO AUTEM PARTIUM
CORPORIS FACILE POTEST DETERMINARI; COMPOSITIONES
ENIM PARTIUM CORPORIS MULTE SUNT. INTELLECTUS
IGITUR COMPOSITIO CUIUS PARTIS DEBET EXISTIMARI,
ET QUOMODO? ET SENSUS COMPOSITIO CUIUS
PARTIS? ET DESIDERIUM COMPOSITIO CUIUS PARTIS?

408a10

408a13

Et etiam, nos non comprehendimus armoniam
et sentimus ipsam nisi per duo. Et est unum,
quod dicitur armoni in rei veritate, quando fuerint
magnitudines habentes motum et situm, et fuerint composite
adinvicem, et fuerint superposite ita quod inter illas
nulla magnitudo sui generis possit intrare. Quod autem
assimilatur huic et trahitur ab eo est proportio que fit
in rebus admixtis antequam admisceantur. Et cum
notificavit quod armonia dicitur hiis duobus modis,
incepit declarare quod non est rationabile dicere quod
anima est altera instarum duarum intentionum. Et dixit:
NON EST IGITUR RECTUM DICERE, etc. Idest, non est rationabile
dicere ut differentie partium anime sint date ex
altera istarum duarum intentionum, v.g. dicere quod
intellectus est talis armonia, et sensus talis, et desiderium
tale, sicut est rationabile in partibus corporis. Deinde
incepit declarare hoc, scilicet quod hoc rationabiliter
dicitur in partibus corporis, sed non in partibus anime.
Et dixit: COMPOSITIO AUTEM PARTIUM CORPORIS, etc. Idest,

Page 79

et hoc fuit sic quia, cum perficere formam cuiuslibet membrorum
corporis et dare essentiam eius per compositionem
est facile quia manifestum est sensui quod compositiones
eorum diverse sunt et multifarie, scire autem
que compositio approprietur intellectui et que
sensui et que desiderio, hoc impossibile est ut detur
ratione. Et hec est quasi alia dubitatio contingens
dicentibus animam esse armoniam aut proportionem.
Prima enim dubitatio est quia illi non possunt perficere
actiones et passiones anime per compositionem;
ista autem est quia non possunt perficere diversitatem

substantie eius propter diversitatem compositionis; et indifferentem, in hoc quod contingit eis, sive forme entium compositorum fuerint ex vera armonia, aut ex armonia abstracta a vera.

58. ET EST ETIAM ALIA DUBITATIO UT ANIMA ASSIMILETUR
MIXTIONI. MIXTIO ENIM ELEMENTORUM QUA FIT CARO ET OS NON
EST EIUSDEM PROPORTIONIS. EX QUO CONTINGIT UT IN
CORPORE SINT MULTE ANIME, ET IN TOTO CORPORE, CUM
OMNIA MEMBRA FUERINT EX MIXTIONE ELEMENTORUM, ET
PROPORTIO MIXTIONIS FUERIT ARMONIA ET ANIMA. 408a13
408a15
408a18

Ista est tertia dubitatio contingens dicentibus animam esse armoniam et mixtionem elementorum. Continget enim eis ponere quod quodlibet membrum habet animam particularem, et universum corpus animam universalem. Que igitur est differentia inter proportionem que facit animam et que facit membrum? Quoniam, si anima secundum quod est anima est proportio mixtionis

Page 80

et compositionis, aut illud quod fit ex proportionem mixtionis et compositionis, et forme membrorum sunt aut armonia aut proportio ut aliquod factum ex proportionem, manifestum est quod contingit ex hoc ut in quolibet membro sit anima, et in toto corpore sit anima. Aut dicent que est differentia inter armoniam et proportionem que facit animam, et que facit membrum, cum omnia membra fiant ex mixtione, et anima ex mixtione? Et ista dubitatio similis est prime, in qua interrogavit que mixtio approprietur unicuique virtutum anime.

59. ET DEBET HOMO QUERERE AB EMPEDOCLE
(EMPEDOCLES ENIM DICIT QUOD QUODLIBET MEMBRUM EST IN
ALIQUA PROPORTIONE): UTRUM IGITUR PROPORTIO SIT
ANIMA, AUT ANIMA EST ALIUD, SED FIT IN MEMBRIS? ET
ETIAM: UTRUM AMICITIA EST CAUSA MIXTIONIS
QUALISLIBET, AUT NON EST NISI CAUSA MIXTIONIS
IN ALIQUA PROPORTIONE? ET AMICITIA UTRUM
SIT ISTA PROPORTIO, AUT ILIUD? 408a18
408a20
408a23

Et querendum est ab Empedocle hanc dubitationem; dicit enim quod forma cuiuslibet membri non est nisi per aliquam proportionem factam apud compositionem elementorum in eo. Et cum opinio eius sit talis, querendum est ab eo utrum proportio que est substantia membri sit anima, aut aliud, sed fit in membris ab extrinseco. Et intendit: si igitur dixerit quod sit proportio membrorum, continget ei quod quodlibet membrum habet animam; et si dixerit aliud, continget ei dare differentiam. Deinde dixit: Et querendum est etiam utrum amicitia, quam opinatur esse causam mixtionis, sit causa cuiuscunque

Page 81

mixtionis. Et intendit: et si dixerit quod est causa cuiuslibet mixtionis, continget ut ex omni mixtione sit membrum et anima; et si dixerit quod est causa alicuius mixtionis, oportet ipsum dare causam cuius sit mixtionis,

et maxime si mixtio faciens membra sit alia a mixtione faciente animam. Deinde dixit: ET AMICITIA ETIAM UTRUM EST ISTA PROPORTIO, AUT ALIUD. Et intendit, ut michi videtur: et si dixerit quod sit proportio, tunc proportio non existit ante mixtionem, sed agens debet esse ante patientem; et si dixerit aliud, quid igitur erit? Et quasi intendit notificare quod ille tres dubitationes contingentes dicentibus animam esse complexionem aut compositionem contingent Empedocli, et contingent ei proprie iste dubitationes quas dixit, propter hoc quod ponit amicitiam et litem.

60. ISTE IGITUR SUNT DUBITATIONES. ET SI ANIMA SIT ALIUD A MIXTIONE, QUA DE CAUSA TOLLITUR, SI TOLLITUR PROPTER MIXTIONEM QUE INVENIEBATUR CUM CARNE ET ALIIS MEMBRIS IN ANIMALIBUS? ET ETIAM, SI QUODLIBET MEMBRUM CORPORIS NON HABET ANIMAM, ET ANIMA NON EST PROPORTIO MIXTIONIS, QUID EST IGITUR HOC QUOD CORRUMPITUR QUANDO SEPARATUR AB ANIMA?

408a24
408a25
408a28

Iste igitur sunt dubitationes contingentes dicentibus animam esse complexionem. Licet dicens hoc possit in hoc dare aliquam rationem; quoniam, si anima est aliud a mixtione et a complexione, quare corrumpitur

Page 82

cum corruptione complexionis? Si enim est aliud a forma carnis et a forma membrorum, et tantum invenitur in membris, quare corrumpitur cum corruptione membrorum? Et etiam, si anima non est complexio et mixtio, quare corrumpantur membra quando separantur ab anima, nisi in membris sit aliud corruptibile quando anima separatur? Quid est igitur illud?

61. QUONIAM AUTEM ANIMA IMPOSSIBILE EST UT SIT ARMONIA AUT UT MOVEATUR CIRCULARITER MANIFESTUM EST EX PREDICTIS. QUONIAM VERO MOVETUR ACCIDENTALITER, SICUT DIXIMUS, ET MOVET SE, HOC NON EST NISI QUIA ANIMA MOVETUR PER ILLUD IN QUO EST ET HOC ETIAM MOVETUR AB ANIMA. SECUNDUM AUTEM ALIUM MODUM IMPOSSIBILE EST UT MOVEATUR IN LOCO.

408a29
408a30
408a34

Cum destruxit quod anima est aliquod movens se essentialiter, aut armonia, aut complexio, incepit facere rememorationem et declarare quod non contingit ei movere se nisi accidentaliter. Et dixit: QUONIAM AUTEM ANIMA, etc. Et intendit per hoc quod dixit: AUT UT MOVEATUR IN CIRCUITU, idest, aut ut moveat se essentialiter, ut existimatum est de corporibus celestibus, que moventur circulariter. Et cum declaravit quod impossibile est ut moveatur ex se essentialiter, incepit declarare quod hoc possibile est accidentaliter. Et dixit: QUONIAM VERO MOVETUR ACCIDENTALITER, etc. Idest, quoniam vero movetur accidentaliter et movet se accidentaliter, necessarium est quod anima videtur moveri per illud in quo existit, scilicet corpus, quando corpus illud movetur ab ea. Sed alio modo impossibile est ut anima moveatur in loco.

Page 83

62. ET MAGIS DIGNUM EST DUBITARE IN MOTU 408a34
ANIME PER CONSIDERATIONEM IN ISTIS REBUS: DICIMUS 408b1
ENIM QUOD ANIMA CONTRISTATUR ET GAUDET ET
AUDESCIT ET TIMET ET ETIAM IRASCITUR ET SENTIT ET
DISTINGUIT; ET OMNIA ISTA VIDENTUR ESSE MOTUS; UNDE
HOMO EXISTIMAT QUOD ANIMA MOVETUR. 408b4

Cum declaravit quod impossibile est ut anima moveatur,
nisi accidentaliter, dedit dubitationem super hoc.
Et dixit: Sed est questio cogens ad dicendum quod anima
movetur essentialiter; et est quod nos dicimus quod anima
contristatur et gaudet, etc. Et omnia ista reputantur esse
motus. Et propter has duas propositiones existimatur
quod anima movetur. V.g., anima contristatur; et cum
tristitia est motus, ergo anima movetur.

63. ET HOC NON EST NECESSARIUM; QUONIAM, SI 408b5
CONTRISTARI ET TIMERE ET DISTINGUERE SUNT MOTUS,
ET QUODLIBET EORUM MOVEAT ALIQUID, TUNC
HOC MOVERE NON EST NISI MOVERE AB ANIMA; V.G.,
IRASCI ENIM EST MOTUS AD COR, SCILICET QUOD COR INFLATUR,
ET DISTINGUERE EST MOTUS, SCILICET QUOD TALE MEMBRUM
DECURRIT TALI CURSU, CUM SIT RECTUM UT ALIUD CURRAT
TALI CURSU. ET QUEDAM ISTORUM ACCIDUNT SECUNDUM 408b10
TRANSLATIONEM RERUM, ET QUEDAM SECUNDUM ALTERATIONEM.
QUE AUTEM SUNT ISTA, ET QUOMODO FIUNT,
PROPRIUM EST ALII SERMONI. 408b11

Et licet concedimus ista esse motus, tamen non
est necessarium ut sint motus anime. Quoniam, si timere
et distinguere sint motus, et quilibet motus istorum

Page 84

appropriatur alicui membro corporis, tunc isti motus
non debent attribui nisi illis membris, et illa
motio non est in membro nisi ab anima; v.g. quoniam
irasci videtur esse proprium cordi, scilicet quod cor
movetur hoc motu, idest tumescit. Et similiter timere
videtur esse proprium cordi, cum cor constringatur. Et
cum manifestum est quod isti duo motus debent attribui
cordi, incepit querere cui membro attribuatur
intelligere, si sit motus. Et dixit: ET DISTINGUERE MOTUS,
SCILICET QUOD TALE MEMBRUM CURRIT TALI CURSU. Ita cecidit
in scriptura; et intendit quod si distinguere sit
motus, opinandum est quod aliud membrum est ei proprium,
sicut cor ire. Et dixit hoc quia iam declaratum
est quod omne motum est corpus. Deinde dixit: ET RECTUM EST
UT ALIUD CURRAT TALI CURSU. Ita cecidit in scriptura; et
intendit quod rectum est quod aliquod membrum currat tali
cursu, aut in omnibus passionibus anime, si omnes sunt
motus, aut in quibusdam, si est in eis aliquod in quo
non est motus. Et eorum in quibus sunt motus
quedam moventur secundum locum et quedam secundum
alterationem. Deinde dixit: QUE AUTEM SUNT,
ET QUOMODO, etc. Idest, que autem membra sunt ea que

moventur unoquoque istorum motuum in unaquaque partium anime, et quomodo moventur, proprium est alii loco. Et dixit hoc quia in hoc loco tantum est necessarium quod isti motus sint essentialiter in rebus corporeis et divisibilibus, ut declaratum est in sermonibus universalibus.

Page 85

64. DICERE AUTEM QUOD ANIMA IRASCITUR EST SIMILE EI QUOD TEXTIT UT EDIFICAT. MELIUS ENIM VIDETUR NON DICERE QUOD ANIMA HABET PIETATEM, AUT DOCET, AUT DISTINGUIT, SED DICERE QUOD HOMO FACIT HOC PER ANIMAM. ET HOC NON EST QUIA MOTUS EST IN ANIMA, SED QUANDOQUE PERVENIT AD IPSAM ET QUANDOQUE EST EX EA; V.G. QUOD SENTIRE EST AB ISTIS REBUS, REMEMORATIO AUTEM AB ANIMA.

408b11

408b15

408b17

Quia facit hominem errare hoc, quod est in consuetudine dicendi, quod anima irascitur et timet, unde existimatur quod isti sint motus existentes in anima absque corpore, et quod anima movetur essentialiter istis, incepit declarare quod hoc non dicitur nisi secundum similitudinem, et quod isti motus sunt sicut motus qui sunt in membris apparentibus, sicut edificare et texere, et quod in nullo differunt nisi quia membra illa sunt interiora et hec exteriora. Et dixit: DICERE AUTEM QUOD ANIMA IRASCITUR, .etc. Idest, quemadmodum motus textoris et edificatoris non attribuitur anime nisi accidentaliter, ita est motus ire et timoris.

Deinde dixit: SED MELIUS VIDETUR NON DICERE, etc. Idest, et ideo melius est ut locutio sit in omnibus istis actionibus quod homo faciat hoc per animam, non quod anima distinguat aut edificet aut addiscat aut habeat pietatem, sed homo addiscit per animam aut distinguit per eam. Deinde dixit: ET HOC NON EST QUIA MOTUS EST IN ANIMA, etc. Idest, et isti motus non existunt in anima, sed principium motionis in quibusdam

Page 86

eorum est extrinsecus, et finis in anima. Et cum declaravit quod principium quorundam istorum motuum est extrinsecus, et finis eorum in anima, dedit exemplum; sed in translatione a qua dicimus diminuta est. Et intendit quod motus cuius principium est extrinsecus et finis in anima est motus sensus, et motus cuius principium est in anima et finis extra est motus rememorationis. Et iste motus rememorationis forte pervenit ad sensum et forte non; virtus enim rememorativa quando moverit ymaginativam, tunc forte ymaginativa movebit sensibilem et forte non. Et hoc manifestum est in alia translatione sic: ET DICERE QUOD ANIMA IRASCITUR EST QUASI DICERETUR QUOD TEXTIT AUT EDIFICAT. SED MELIUS EST NON DICERE QUOD ANIMA GAUDET AUT ADDISCIT, SED HOMO PER ANIMAM; ET NON QUIA MOTUS PERVENIT AD IPSAM ET FIT IN EA, SED QUANDOQUE PERVENIT AD IPSAM, UT

SENSUS, QUI REDDIT ILLUD QUOD REDDIT AD IPSAM A SENSIBILIBUS;
ET QUANDOQUE FIT MOTUS PRINCIPIUM AB EA, UT IN
REMEMORATIONE. ET TUNC UT REMANEBIT IN EA ET NON
PERTRANSIBIT AD ALIUD, AUT VENIET AD SENSUS ET TRANSMUTABIT
EOS. Et intendit per hoc quod dixit: NON QUIA
MOTUS VENIT AD IPSAM ET FIT IN EA, idest, non quia anima
est subiectum istius motus dicitur habere ipsum. Et
intendit per hoc quod dixit: ET TUNC AUT REMANEBIT IN
EA, etc., idest quod iste motus cuius principium est ab anima,
scilicet rememoratio, forte remanebit in cerebro, quod
est instrumentum istius virtutis, et forte pertransibit
ad aliud, quousque perveniat ad sensus, idest ad
instrumenta sensuum.

Page 87

65. INTELLECTUS AUTEM VIDETUR ESSE SUBSTANTIA
ALIQUA QUE FIT IN RE ET NON CORRUMPITUR.

408b18

SI ENIM CORRUMPERETUR, MAGIS DIGNUM ESSET UT
CORRUMPERETUR IN FATIGATIONE QUE EST APUD
SENECTUTEM. SED VIDEMUS QUOD ILLUD QUOD ACCIDIT

408b20

IN SENSIBUS EX HOC ACCIDIT IN CORPORE. SENEX
ENIM SI RECIPERET OCULUM IUVENIS, VIDERET UT
IUVENIS. ET SIC SENECTUS NON EST DISPOSITIO IN QUA
ANIMA PATITUR ALIQUID, SED DISPOSITIO IN QUA ANIMA
EST SICUT EST APUD EBRIETATEM ET EGRITUDINEM.

408b24

Cum concessit quod anima movetur accidentaliter, idest propter
subiectum per quod constituitur, et propter hoc est generabilis
et corruptibilis, incepit declarare quod intellectus
materialis inter partes anime videtur esse non mobilis, neque etiam
accidentaliter. Est enim non generabilis et non corruptibilis,
nisi secundum illud in quo agit ex corpore, aut secundum illud
a quo patitur; quia non habet instrumentum corporale quod corrumpitur
per suam corruptionem sicut est dispositio in aliis virtutibus
anime. Et dixit: INTELLECTUS AUTEM VIDETUR ESSE SUBSTANTIA,
etc. Et intendit hic per INTELLECTUM intellectum materiale,
qui comprehendit intentiones omnium entium.
Deinde dixit: QUONIAM, SI CORRUMPERETUR, etc. Idest,
quoniam, si corrumpetur, haberet instrumentum
corporale; esset enim virtus corporis. Et si haberet
instrumentum corporale, accideret ei apud senectutem
illud quod accidit sensibus, et tunc debiliter intelligeret
intentiones rerum intelligibilium. Sed non est sic; et
tunc necesse est ut non habeat instrumentum. Et cum

Page 88

iste intellectus non corrumpitur, tunc illud quod
corrumpitur in se est passio aut actio eius, per corruptionem
eius a quo patitur; cum illud a quo patitur sit intra
corpus, ut declarabitur post. Deinde dixit: SED VIDEMUS
QUOD ILLUD QUOD ACCIDIT IN SENSIBUS EX HOC, etc. Idest,
sed quia videmus hoc, quod accidit in sensibus ex fatigatione
apud senectutem potest attribui virtuti sensitive
tali modo, scilicet non quia virtus transmutata est
et inveterata, sed quia illis per que intelligit accidit fatigatio;
v.g. artifex cuius actio fatigatur propter
fatigationem instrumenti, non propter seipsum. Et cum

iste sermo sit sufficiens in sensibus, quanto magis in intellectu!
Deinde dixit: SENECTUS IGITUR NON EST DISPOSITIO,
etc. Idest, et sic senectus, et inveteratio contingens
homini, secundum hanc rationem non est dispositio in
qua anima patitur ad viam corruptionis; sed dispositio
que accidit ei apud senectutem est similis dispositioni
que videtur accidere ei apud ebrietatem et egritudinem.
Existimatur enim quod anima apud hec duo non
patitur ad corruptionem; et maxime apud ebrietatem.

Et iste sermo postremus est sufficiens, non demonstrativus.
Sed consuetudo Aristotelis est inducere sermones
sufficientes aut post demonstrativos, aut in locis
in quibus non potest inducere
demonstrativos.

66. ET INTELLIGERE ET CONSIDERARE DIVERSANTUR QUANDO
ALIQUID ALIUD CORRUMPITUR INTUS; IPSUM AUTEM IN SE

408b24
408b25

Page 89

NICHIL PATITUR. DISTINCTIO AUTEM ET AMOR ET ODIUM
NON SUNT ESSE ILLIUS, SED ISTIUS, SCILICET QUOD HABET, SECUNDUM QUOD
[line 4 cont.] HABET. ET IDEO
ETIAM, QUANDO HOC CORRUMPETUR, NON REMEMORABIMUR,
NEQUE DILIGEMUS ALIOS. NON IGITUR EST ILLIUS,
SED EIUS QUOD EST COMMUNE, QUOD AMITTEBATUR.
INTELLECTUS AUTEM DIGNIUS EST UT SIT ALIQUOD DIVINUM
ET ALIQUOD IMPASSIBILE. QUONIAM AUTEM IMPOSSIBILE EST UT
ANIMA MOVEATUR MANIFESTUM EST. ET SI OMNINO NON MOVETUR,
MANIFESTUM EST QUOD NON MOVETUR NEQUE EX SE.

408b30
408b31

Cum posuit quod intellectus qui intelligit intelligibilia
neque est generabilis neque corruptibilis, et intelligere,
quod est actio istius intellectus, videtur generabile et
corruptibile, incepit dare modum ex quo contingit
hoc; et est quod illud quod intelligit est intra corpus, et
est generabile et corruptibile. Et dixit: ET INTELLIGERE
ET CONSIDERARE DIVERSANTUR, etc. Idest, et accidit quod intelligere
quandoque sit in potentia, quandoque in actu, non
quia intellectus est generabile et corruptibile, sed quia
intra corpus corrumpitur aliquid aliud, in quo
est intelligere. Deinde dixit: IPSE AUTEM IN SE NICHIL ACCIDIT
EI,...scilicet intellectus ymaginans. Et post declarabit
quod hec est res ymaginata, aut
intellecta; et est illud quod vocat in tertio tractatu
intellectum passibilem. Et cum dedit modum dissolutionis

Page 90

questionis in qua queritur quomodo intellectus
intelligens non est generabilis aut corruptibilis,
et intelligere, quod est sua actio, sit generabilis et
corruptibilis, incepit declarare etiam de virtutibus quod, licet
sint attribute intellectui, videntur generari et
corrumpi, quod ille virtutes non sunt intellectus eterni.

Et facit hoc ne accadat questio in hoc quod dixit in
intellectu materiali in tertio tractatu, scilicet quomodo

intellectus sit ingenerabilis et incorruptibilis, et nos post mortem neque diligimus neque odimus neque distinguimus. Deinde dixit: **DISTINCTIO AUTEM ET AMOR ET ODIUM**, etc. Idest, distinctio utem, que attribuitur virtuti cogitative, et amor et odium, que attribuuntur rationi, scilicet que recipiunt actionem rationis; videtur enim in hac parte anime quod sit aliquod rationabile, quia est obediens intellectui in hominibus bonis. Ista igitur non sunt actiones istius intellectus, sed sunt actiones virtutum habentium hanc actionem secundum quod habent ilam actionem. Et addidit hanc conditionem, scilicet **SECUNDUM QUOD HABENT**, quia impossibile est ut iste virtutes sint nisi cum intelligere; sed si attribute fuerint ei, non erit attributio secundum quod sunt. Deinde dixit: **IDEO ETIAM, CUM HOC CORRUMPITUR, NON DILIGIMUS NEQUE REMEMORAMUR**. Idest, et quia hee actiones sunt in nobis a virtutibus generabilibus et corruptibilibus, aliis a virtute que est intellectus materialis, scilicet qui comprehendit intentiones universales, non potest aliquis dubitare, et dicere quod, si intellectus sit ingenerabilis et incorruptibilis, quare non rememoratur

post mortem neque diligimus neque odimus.
Hee enim actiones sunt virtutum aliarum ab illa virtute.
Deinde dixit: INTELLECTUS AUTEM DIGNIUS EST UT SIT ALIQUOD DIVINUM
ET NON PASSIBILE, idest non transmutabile propter
mixtionem cum materia. Deinde dixit: QUONIAM AUTEM IMPOSSIBILE
EST, etc. Idest, manifestum est igitur ex hoc sermone quod
impossibile est ut anima moveatur; in quibusdam autem
partibus, scilicet in intellectu, neque essentialiter neque accidentaliter;
in quibusdam vero accidentaliter, non essentialiter.
Et cum declaratum fuerit quod non movetur omnino, non movetur
ex se; quia necessarium est in omni moto ex se, quod est
proprium animalibus, ut moveatur ex se essentialiter;
et non convertitur.

Cum complevit contradictionem ad utentes motu tantum in diffinitione anime, incepit contradicere eis qui cum motu utuntur numero. Et dixit: ET MAGIS REMOTUS EST, etc. Idest, et iste sermo in anima est minoris sufficientie omnium sermonum, scilicet sermo dicentis animam esse numerum se moventem.

Contingunt enim ei multa impossibilia; et primo
illa que contingunt dicenti animam esse aliquod movens
se; et proprie ea que contingunt quia ponunt eam esse
numerus moventem se. Deinde dixit: NESCIMUS ENIM, etc. Id est,
[line 17 cont.] nescimus

enim quomodo intelligitur unitas semper mota; omne enim motum habet situm, et unitas non habet situm. Et similiter impossibile est etiam intelligere a quo movetur, quousque dividatur in aliquod motum et in aliquod movens, secundum quod dividitur illud quod movet se; unitas enim in se non dividitur. Et similiter etiam impossibile est intelligere quomodo movetur; quoniam illud quod non dividitur non movetur, ut declaratum est. Deinde dixit: IGITUR OPORTET UT DIVERSETUR. Idest, et si est aliquis modus secundum quem movetur, et alius secundum quem movet, oportet ut isti modi diversentur; et sic erit divisibilis secundum intentionem. Unitas autem non dividitur aliquo modo.

68. ET ETIAM CUM DICUNT QUOD, CUM LINEA MOVETUR,
FACIT SUPERFICIEM, ET PUNCTUS LINEAM. PUNCTUS
ENIM EST UNITAS HABENS SITUM, SICUT NUMERANT
ANIMAM IN SITU, ET HABET SITUM. ET ETIAM, SI DE
NUMERO DIMINUITUR NUMERUS AUT UNITAS,
REMANEBIT ALIUS NUMERUS. ET PLANTE ET PLURA
ANIMALIA REMANEUNT VIVA CUM ABSCINDUNTUR;
ET TAMEN REPUTATUR QUOD ANIMA EORUM EST ILLA
EADEM ANIMA IN SPECIE.

409a3

409a5

409a10

Cum dedit modos ex quibus accidit ut iste sermo contradicat sibi, dedit etiam alia impossibilia. Et dixit: ET ETIAM CUM DICUNT, etc. Idest, et cum consuetudo est Mathematicorum

Page 93

dicere quod, cum linea movetur, fit superficies, et cum punctus, fit linea, unitates autem si moventur necessarium est ut habeant situm, et omnis unitas habens situm est punctus, necesse est ut unitates quas ponunt esse numerum anime sint puncta; et si sint puncta et mota, necesse est ut faciant lineas, non actiones anime. Deinde dedit aliud impossibile. Et dixit: ET ETIAM, SI DE NUMERO DIMINUITUR, etc. Idest, et etiam, modi numerorum diversantur secundum magis et minus. Si enim ex quaternitate auferatur unitas, fiet trinum; et si addatur, fiet quinarium. Et nos videmus omne animatum ex plantis, et plura ex animalibus, quod licet diminuatur ab eis una pars, tamen remanet illud quod remanet equale in specie primo. Unde actio anime videtur in capitulo qualis, non quanti. Et si actio anime esset in quantitate, contingeret ut anima que remanet in plantis esset diversa in specie a priori.

69. ET POTEST HOMO DICERE QUOD NULLA EST DIFFERENTIA
INTER UNITATES ET CORPORA PARVA. QUONIAM
EX SPERIS DEMOCRITI PARVIS FIUNT PUNCTA, ET REMANET
SOLUM QUANTUM, QUASI ESSET IN EO ALIQUOD
MOTUM ET ALIQUOD MOVENS, SICUT EST IN CONTINUO. NON ENIM QUIA
DIVERSANTUR SECUNDUM MAGNITUDINEM ET PARVITATEM
CONTINGIT HOC QUOD DIXIMUS, SED QUIA QUANTUM.
ET IDEO NECESSE EST UT SIT ALIQUID QUOD MOVEAT
UNITATES. SI IGITUR IN ANIMALIBUS EST ALIQUOD MOVENS, EST ETIAM
IN NUMERIS. UNDE NECESSE EST UT ANIMA NON
SIT MOVENS ET MOTUM, SED MOVENS SOLUM.

409a10

409a15

409a18

Page 94

Et potest homo dicere quod nulla est differentia inter ponentem unitates se moventes et ponentem has unitates corpora parva. Ponendo enim eas moventes se ponit eas corpora; et si non, quomodo intelliguntur unitates se moventes? Deinde dixit: FIUNT ENIM EX SPERIS DEMOCRITI PUNCTA. Et intendit, ut michi videtur; et similiter qui ponit quod possibile est ut punctus moveatur concedit ut contingat ei quod punctus sit corpus. Et ideo bene possumus dicere quod sperere Democriti, que moventur ex se, adeo sunt parve quod dicuntur puncta. Punctus enim secundum hanc positionem non est nisi corpus.

Et cum narravit hoc, dedit causam propter quam possibile est in talibus punctis ymaginari quod in eis sit aliquod quasi movens et aliquod quasi motum. Et dixit: ET REMANET SOLA QUANTITAS, etc. Idest, ut michi videtur, quoniam, cum fuerint mote, remanebit in eis sola quantitas, etsi auferat ab eis alias quantitates. Et cum natura quantitatis remanet in eis, possibile est intelligere in eis aliquod motum et aliquod movens, sicut in corporibus. Hoc enim non accidit corpori nisi secundum quod est corpus, non secundum quod est magnum aut parvum, scilicet quod sit motum ex se, et quod movens in eo sit aliud a moto. Et hoc intendebat cum dixit: SICUT EST IN CONTINUO, etc.; idest quod res non dicitur esse mota ex se, et ut movens sit in ea aliud a moto, quia est corpus magnum aut parvum, sed quia

Page 95

est corpus et continuum tantum. Et ideo omnis ponens unitatem motam ex se aut punctum, necesse est ei ponere corpora parva; et sic in nullo differt ponens animam esse unitates aut puncta se moventia a Democrito ponente eam esse speras parvas. Deinde dixit: ET IDEO NECESSE EST, etc. Idest, et cum unitates sint moventes se, et movens in re est aliud a moto, necesse est ut illud quod movet unitates sit aliud ab unitatibus. Si igitur anima est movens in omni moto, anima etiam est movens in unitatibus, non unitates mote que sunt numerus; unde necesse est ut anima sit movens tantum, non movens et motum insimul. Deinde dixit: SI IGITUR ANIMA EST MOVENS, ERGO IN NUMERO ETIAM. Idest, si igitur anima est movens [line 48 cont.] materiam, est etiam movens numerum; unde necesse est ut anima non sit movens et motum ex numero, sed movens solum.

70. ET QUOMODO EST POSSIBILE UT SIT UNITAS? NECESSE EST
ENIM UT HABEAT DIFFERENTIAM QUA DIFFERAT AB UNITATIBUS
ALIIS. QUE IGITUR DIVERSITAS POTEST CADERE IN PUNCTO
ET UNITATE, NISI SIT IN SITU? SI IGITUR PUNCTA ET UNITATES
IN EODEM LOCO FUERINT, QUIA OCCUPANT
LOCUM PUNCTI; LICET NICHIL PROHIBEAT UT IN EODEM
LOCO SINT DUO PUNCTA, ET PUNCTA INFINITA; RES
AUTEM QUARUM LOCUS EST INDIVISIBILIS SUNT ETIAM SIC.

409a18

409a20

409a25

Et quomodo est possibile apud eos ut anima sit aliquod compositum ex unitatibus? Necesse est enim dare differentiam qua unitates que sunt in anima differunt ab unitatibus

numerbilibus; et si non, tunc numerus esset

Page 96

animatus. Et cum narravit quod necesse est eis dare differentiam inter duo genera unitatum, dixit: ET QUE DIVERSITAS POTEST CADERE, etc. Idest, et nichil est in quo differant hee due unitates, inquantum utraque est indivisibilis, nisi aliquis dicat quod unitas que est in anima habeat situm numeri, aut non habeat situm. Et sic unitates que sunt in anima erunt puncta; dictum est enim quod punctus est unitas habens situm. Et cum declaravit quod necesse est eis dicere quod unitates que sunt in anima sunt puncta, incepit declarare quod contingit eis dicere quod sunt eadem cum punctis existentibus in corporibus. Et dixit: SI IGITUR UNITATES ET PUNCTA FUERINT IN EODEM LOCO, necesse est ut unitates que sunt in anima et puncta que sunt in corpore sint idem. Sed dimisit consequens, quia manifeste consequitur a precedente. Deinde incepit declarare antecedens. Et dixit: QUIA OCCUPANT LOCUM PUNCTI. Idest, et necesse est ut sint in eodem loco, quia necesse est ut locus unitatum que sunt in anima sit locus unius puncti punctorum que sunt in corpore. Et cum locus unitatum habentium situm que sunt in anima [line 31 cont.] est locus unius puncti punctorum corporis, necesse est ut sint in eodem loco. Deinde incepit declarare quod necesse est ut locus eorum sit locus unius puncti. Et dixit: LICET NICHIL PROHIBEAT, etc. Idest, nichil prohibet ut duo puncta, immo infinita, sint in eodem loco; immo hoc necessarium est. Omnia enim quorum locus est indivisibilis, cum superponuntur adinvicem, nullum fit divisibile.

71. ET SI NUMERUS ANIME SIT PUNCTA QUE SUNT IN CORPORE, AUT ANIMA EST IN NUMERO QUI EST EX PUNCTIS

409a25

Page 97

QUE SUNT IN CORPORE, QUARE OMNIA CORPORA NON HABENT ANIMAM? OPINANTUR ENIM QUOD IN OMNIBUS CORPORIBUS SUNT PUNCTA, ET INFINITA. ET ETIAM, QUOMODO EST POSSIBILE UT PUNCTA SEparentur A CORPORIBUS, CUM LINEE NON DIVIDANTUR IN PUNCTA?

409a30

Et cum necesse est ex sermone predicto quod unitates que sunt in anima sint puncta que sunt in corpore, aut anima est aliquod existens in numero qui fit ex punctis que sunt in corpore (cum necesse est in duobus punctis quod superponantur quousque fiant idem), quare omnia corpora non sunt animata, cum in omni corpore sint puncta infinita? Immo necesse est ut quelibet pars eius sit animata, quod est impossibile. Deinde dedit eis aliud impossibile; et est quod anima non sit abstracta a corpore, ita quod impossibile est ut animal moriatur nisi per corruptionem sui corporis. Et dixit: ET ETIAM QUOMODO EST POSSIBILE UT PUNCTA SEparentur A CORPORIBUS, etc. Idest, et etiam contingit eis secundum hanc opinionem ut anima non separetur a corpore neque moriatur. Quoniam, si anima sit puncta, et puncta impossibile est ut separentur a corporibus (cum declaratum est quod linee non componuntur

ex punctis neque superficies ex lineis neque corpus ex superficiebus, sed puncta non separentur a linea, quia sunt eius ultima, neque linea aut superficies a corpore), tunc animam impossibile est separari a corpore. Sed tamen possibile est in punctis abstractio si lineae essent compositae ex eis; quod est impossibile, ut declaratum est in Phisicis.

Page 98

72. ET CONTINGIT, SICUT DIXIMUS, ALIQUOD MODO UT SERMO CORUM SIT SIMILIS SERMONI PONENTIS EAM ESSE CORPUS SUBTILIUM PARTIUM; SECUNDUM AUTEM ALIUM MODUM, UT DICIT DEMOCRITUS IN MOTU, PROPRIA EST EIS IMPOSSIBILITAS. QUONIAM, SI ANIMA EST IN TOTO CORPORE SENSIBILI, NECESSE EST UT DUO CORPORA SINT IN EODEM LOCO, SI ANIMA EST ALIQUOD CORPUS. ET NECESSE EST DICIENTIBUS NUMERUM UT IN EODEM PUNCTO SINT MULTA PUNCTA, AUT UT OMNE CORPUS HABEAT ANIMAM; NISI CONTINGAT NUMERUS ALIUS, QUI DIFFERT A PUNCTIS EXISTENTIBUS IN CORPORIBUS.

i.5

409a31

409b1

409b5

409b7

Et contingit aliquo modo dicentibus hunc sermonem impossibilitas contingens dicentibus animam esse corpus subtilium partium; et aliquo modo propria est eis etiam impossibilitas Democrito accidens in hoc quod ponit quod causa motus est quia spere quae sunt anima moventur ex se. Non enim est differentia inter ponentem quod causa motus anime est corpus quod est unitates mote ex se, aut quod spere mote ex se. Deinde inceptit notificare in qua impossibilitate conveniunt isti cum dicentibus animam esse corpus subtile. Et dixit: QUONIAM, SI ANIMA EST IN TOTO CORPORE SENSIBILI, etc. Idest, et impossibilitas communis est, quia necesse est dicentibus animam esse corpus ut duo corpora sint in eodem loco; quoniam fuerit necessarium ut anima sit in toto corpore, quia corpus sensibile in omnibus partibus suis sentit; unde necesse est ut in omni parte eius sit aliqua pars anime, et universa anima sit

Page 99

in universo corpore. Et sic superponantur corpora et penetrentur adinvicem, scilicet corpus quod est anima, et corpus in quo est. Et sic necessario erunt duo corpora in eodem loco. Et est necesse dicentibus animam esse numerum ut in loco eiusdem puncti ex corpore sint multa puncta, distincta per intellectum. Et est hoc simile sermoni dicentis possibile esse multa corpora in eodem loco. Quoniam, cum hoc quod ponunt ea in eodem loco, si non posuerint ea esse distincta, ut declaratum est, continget eis ut puncta quae sunt anima sint puncta ipsius corporis. Et sic omne corpus erit animatum, si non concesserint quod in corpore sint alia puncta diversa a punctis quae sunt in anima. Sed si hoc concesserint, continget eis ut multa puncta sint in loco unius puncti. Et hoc est simile sermoni dicentis quod multa corpora sunt in eodem loco. Et hoc est impossibile contingens dicenti animam esse corpus subtilium partium.

73. ET CONTINGIT EIS UT ANIMAL NON MOVEATUR NISI A NUMERO, SICUT DIXIMUS DE OPINIONE DEMOCRITI.

409b7

NULLA ENIM EST DIFFERENTIA INTER DICENTES PARTES
PARVAS ET DICENTES QUOD UNITATES SUNT SECUNDUM QUOD SUNT MOTE;
NECESSE EST ENIM SECUNDUM UTRUNQUE MODUM UT ANIMAL
NON MOVEATUR NISI ILLIS MOTIS.

409b10

409b11

Vult hic declarare impossibilitatem propriam eis et
Democrito. Et dixit: ET CONTINGIT EIS, etc. Idest, et contingit
eis in hoc quod dicunt quod animal non movetur

Page 100

nisi ab unitatibus motis ex se illud quod contingit
Democrito cum dixit quod animal non movetur nisi ex speris
motis ex se. Deinde dedit modum secundum quem est similitudo
inter utranque opinionem. Et dixit: NULLA ENIM DIFFERENTIA,
etc. Idest, nulla enim est differentia inter dicentem quod illud
quod movet corpus est parvum, aut unitates parve,
cum fuerit positum quod utrumque non movet corpus nisi secundum
quod movetur; contingit enim quod hec duo, scilicet unitates
et partes, non movent nisi secundum quod moventur ex se. Et
intendit: et cum ita sit, impossibilia contingentia Democrito
contingunt etiam huic opinioni.

74. CONGREGANTES IGITUR NUMERUM ET MOTUM IN
EODEM HABENT ETIAM HEC IMPOSSIBILIA, ET ALIA MULTA
SIMILIA EIS. IMPOSSIBILE EST ENIM UT SIT DIFFINITIO
ANIME TALIS, NEQUE ACCIDENS ACCIDENTIUM EIUS. ET HOC
MANIFESTUM EST, SI ALIQUIS VOLUERIT PERFICERE EX
HOC ACTIONES ET PASSIONES ANIME, UT COGITATIONEM
ET SENSUM ET VOLUPTATEM ET TRISTITIAM. HOC
ENIM, SICUT DIXIMUS SUPERIUS, NON EST FACILE,
NEQUE ETIAM PER FIGMENTUM.

409b11

409b15

409b18

Dicit quod diffinientibus animam per numerum et motum
insimul accidunt hec impossibilia predicta, et alia plurima.
Et manifestum est hoc; nullus enim eorum potest
dare causas actionum et passionum in anima propter

Page 101

numerum, neque si finxerit, dicendo quod talis numerus faciat
sensum et talis cogitationem et talis voluptatem.
Quoniam, si cause rerum diversarum sunt diverse, et
cause istarum sunt unitates et numeri, necesse est ut
unitates et numeri cause istarum diversentur. Et sermo
eius in hoc capitulo est palam.

75. ET QUIA DIXIMUS TRES MODOS DIFFINITIONUM
ENIME (QUIDAM ENIM IUDICAVERTUNT IPSAM ESSE
MOTAM EX SE, ET QUIDAM IUDICAVERTUNT IPSAM
ESSE CORPUS VALDE SUBTILE AUT CORPUS VALDE REMOTUM AB
ALIIS CORPORIBUS), ET NOS IAM VISI SUMUS INDUXISSE
DUBITATIONES CONTINGENTES HIIS DUOBUS
SERMONIBUS, REMANET IGITUR QUERERE EAM ESSE
EX ELEMENTIS, CUM DICATUR HOC QUIA SENTIMUS
ENTIA ET COGNOSCIMUS UNUMQUODQUE ILLORUM.

409b18

409b20

409b25

Quia Antiqui diffiniunt animam tribus modis; quorum
quidam est quia movetur ex se, et quidam quia est

corpus valde subtile aut maxime remotum a natura corporea;
quidam vero diffiniunt eam quia est ex principiis
et elementis, quia est, ut dicitur, distinguens et cognoscens;
et quia iam contradiximus opinioni eorum qui
diffiniunt eam per motum, et eorum qui diffiniunt eam

Page 102

per corpus subtile, contradicendum est modo opinioni
eorum qui dicunt eam esse ex elementis. Et debes
scire quod contradictio eius dicentibus eam esse corpus
collocatur sub contradictione ad dicentes eam esse movens
quia movetur. Omnibus enim istis contingit dicere
eam esse corpus, et indifferenter sive posuerint illius
quod movetur ex se speras parvas, ut Democritus,
aut unitates, ut dicentes eam esse numerum se moventem,
aut corpus celeste, ut in Thimeo. Et similiter
collocatur contradictio ad dicentes eam esse complexionem
aut armoniam, et universaliter corpus compositum.
Remanet igitur contradicere opinioni fingentium eam
esse ex elementis, propter cognitionem et sensum.

76. SED HUIC SERMONI CONTINGUNT PLURA IMPOSSIBILIA.
PONUNT ENIM QUOD SIMILE NON COGNOSCITUR
NISI PER SUUM SIMILE, ET QUASI PONUNT ANIMAM ESSE
ISTA. SED ISTA NON SUNT TANTUM HIC, SED PLURA ALIA; IMMO
VIDETUR QUOD EA QUE EX ISTIS SUNT SUNT INFINITA.

409b25

409b29

Et iste sermo verificatur ad eos dicendo quod principia
sunt omnia que fiunt ex ipsis principiis; et principia
non sunt ea que fiunt ex principiis omnibus modis, sed ea
que fiunt ex principiis magis sunt quam principia; immo
recte videtur ut ea que fiunt ex principiis sint infinita. Et
cum ea que fiunt ex principiis omnibus modis alia sunt
aliquo modo a principiis, non iuvantur in dicendo

Page 103

quod anima est ex principiis, quoniam secundum quod est aliud, non
[line 13 cont.] est illic
consimilitudo. Et cum illic non fuerit consimilitudo, non
erit cognition, cum cognoscens non cognoscit nisi per
illam consimilitudinem quam habet cum re cognita.

Et cum declaravit quod facta ex principiis non sunt eadem
principia in formis et essentiis, incepit declarare
impossibilia contingentia huic, cum dixerimus quod nichil
cognoscitur nisi per suum simile.

77. PONATUR IGITUR QUOD ANIMA COGNOSCAT ET SENTIAT EA
EX QUIBUS FIT QUIDLIBET; ET TUNC NEQUE COGNOSCIT
UNIVERSUM NEQUE SENTIT, V.G. QUID EST DEUS, ET
QUID EST HOMO, ET QUID EST CARO, ET QUID EST OS,
ET SIMILITER ALIA COMPOSITA. ESSE ENIM UNIUSCUIUSQUE
ISTORUM NON EST UT ELEMENTA SINT IN QUACUNQUE
DISPOSITIONE, SED IN ALIQUA COMPOSITIONE ET
PROPORTIONE, SICUT NARRAVIT EMPEDOCLES IN GENERATIONE
OSSIS. DICIT ENIM QUOD TERRA MAGNA QUE EST
IN VASIS OSSIS HABET DE PALLORE OCTAVAM PARTEM

409b29

409b30

410a1

410a5

ET DE IGNE QUATUOR PARTES, ET SIC FACTA SUNT
OSSA ALBA. NICHIL ENIM PRODEST QUOD ELEMENTA SINT IN
ANIMA, NISI IN EIS SIT PROPORTIO ET COMPOSITIO; TUNC
ENIM COGNOSCET QUIDLIBET PER SIMILITUDINEM, ET
NON COGNOSCET OS AUT HOMINEM SI HEC DUO NON SINT
IN EA. ET ISTE SERMO NON INDIGET CONTRADICTIONE.
NULLUS ENIM EXISTIMAT QUOD IN ANIMA SIT LAPIS
AUT HOMO, ET SIMILITER VIVUM ET NON VIVUM.

410a10

410a12

Page 104

PONATUR QUOD ANIMA, etc. Idest, ponatur, secundum opinionem
eorum, quod anima cognoscit et sentit elementa ex quibus
componitur quidlibet quia est ex elementis. Contingit igitur
eis ut non cognoscat universum rei composite, et quod
non sentiat formam eius; forma enim est super elementa
in composito. Continget igitur ut non cognoscat
Deum neque hominem neque carnem neque os. Essentia enim
non est elementum, neque ex elementis, et hoc necesse est
in omnibus compositis. Deinde dixit: ESSE ENIM UNIUSCUIUSQUE, etc.
Idest, et essentie et forme rerum necesse est ut sint
supraaddite elementis, quia quodlibet ens compositum ex
elementis componitur in aliqua proportionem terminata
et compositione propria, per quam illud ens est quod est. Et
hoc concedit Empedocles; dat enim in generatione ossis
proportionem, et dicit quod ossa sunt alba quia existit
in eis ex terra, que appropriatur nigredini et pallori,
octava pars, et de igne, qui appropriatur albedini, quatuor
partes. Deinde dixit: NICHIL ENIM PRODEST QUOD ELEMENTA SINT IN
ANIMA, etc. Idest, nichil enim prodest, in hoc quod anima cognoscat
formas et essentias rerum, ut sit ex elementis, nisi
cum hoc quod est ex elementis sint in ea proportionem et
compositionem que appropriantur essentiis rerum; tunc
enim possibile est ut cognoscat quidlibet. Deinde dixit: ET NON
COGNOSCET OS NEQUE HOMINEM NISI HEC DUO FUERINT IN EA.
Idest, necesse est, cum non cognoscat rem nisi per similitudinem,
ut non cognoscat os neque hominem, nisi in ea
sit compositio ossis et hominis. Deinde dixit: ET ISTE SERMO NON

Page 105

INDIGET, etc. Idest, et iste sermo valde est impossibilis;
nullus enim dubitat utrum in anima sit lapis aut non.
Et universaliter nullus existimat quod in anima sit vivum
et non vivum, ita quod cognoscit vivum per partem vivam
que est in ea, et non vivum per partem non vivam.

78. ET SI ENS DICITUR PLURIBUS MODIS (DEMONSTRAT
ENIM HOC, ET QUANTUM, ET QUALE, ET ALIUD
PREDICAMENTORUM), UTRUM ANIMA SIT EX OMNIBUS EIS?
SED NON EXISTIMATUR QUOD OMNIA HABENT ELEMENTA.

410a13

410a15

ET UTRUM NON SIT NISI EX ELEMENTIS
SUBSTANTIE TANTUM? SED SI FUERIT ITA, QUOMODO COGNOSCIT
UNUMQUODQUE ALIORUM? AUT DICANT QUOD QUIDLIBET
GENERUM HABET ELEMENTA ET PRINCIPIA PROPRIA EX
QUIBUS CONSTITUITUR? ANIMA ERIT IGITUR QUALE, ET QUANTUM,
ET SUBSTANTIA. SED IMPOSSIBILE EST UT EX ELEMENTIS
QUANTI SIT SUBSTANTIA, NON QUANTUM. QUI IGITUR DICUNT
QUOD EST EX OMNIBUS, CONTINGUNT EIS HEC ET ALIA SIMILIA.

410a20

410a22

Cum declaravit impossibile contingens eis propter cognitionem formarum rerum, cum forme non sint elementum neque ex elementis, incepit declarare quod contingunt eis alia impossibilia, licet concedamus quod cognoscit composita propter sua principia, idest quia est ex principiis eorum.

Et dixit: ET ETIAM SI ENS, etc. Idest, et etiam, quomodo possunt dicere quod anima cognoscit res propter sua principia? Ens enim quandoque demonstrat hoc, quandoque alia novem predicaments. Et

Page 106

sic querendum est utrum anima cognoscat quodlibet istorum generum quia est ex principiis omnium eorum, si omnia habent principia, aut ex principiis quorundam, si non omnia habent principia. Deinde dixit: SED NON EXISTIMATUR, etc. Idest, sed si posuerint eam esse ex principiis quorundam, querendum est ab eis utrum anima sit ex principiis substantie tantum, cum hoc predicamentum inter omnia existimetur habere tantum principia. Dicetur eis; Quomodo cognoscit unumquodque aliorum predicamentorum?

Deinde dixit: AUT DICANT QUOD QUODLIBET GENERUM, etc. Idest, aut cogentur ad primam divisionem; et est quod quodlibet decem predicamentorum habet propria principia, et quod anima non cognoscit ea nisi quia sunt ex suis principiis. Contingit igitur eis ex hac positione aliud impossibile; et est quod anime quedam pars est substantia et quedam pars quale et quedam quantum, cum impossibile est ut substantia sit elementum aliorum predicamentorum; principia enim non substantie sunt non substantie. Deinde dixit: QUI IGITUR DICUNT QUOD EST EX OMNIBUS, etc. Idest, dicentibus igitur animam esse ex omnibus principiis rerum contingunt hec impossibilia predicta, et alia similia.

79. ET IMPROBABLE EST ETIAM DICERE QUOD SIMILE 410a23
NON PATITUR A SUO SIMILI ET QUOD SIMILE SENTIT SUUM
SIMILE ET QUOD SIMILE COGNOSCIT SIMILE, OPINANDO 410a25
QUOD SENTIRE EST PATI ET MOVERI, ET SIMILITER
DISTINGUERE ET INTELLIGERE. ET TESTATUR QUOD SERMO
QUEM DIXIT EMPEDOCLES, QUOD UNAQUEQUE RERUM
NON COGNOSCIT CORPORALIA ELEMENTA NISI

Page 107

SECUNDUM SIMILITUDINEM, EST MULTARUM DUBITATIONUM
EX HOC QUOD DICEMUS IN HOC LOCO; ET EST QUOD CORPORA 410a30
ANIMALIUM IN QUIBUS EXISTIT SIMPLA TERRA, UT OSSA, 410b1
UT VIDETUR, NICHIL SENTIUNT; NON SENTIUNT IGITUR NEQUE
SIMILIA, LICET HOC NECESSARIUM FUERIT. 410b2

Cum dedit impossibilia contingentia huic opinioni, incepit contradicere propositioni super quam fundatur hec opinio, scilicet propositioni dicenti quod simile non comprehenditur nisi per suum simile, et dixit: ET IMPROBABLE EST ETIAM DICERE, etc. Idest, et improbable est etiam hoc quod Antiqui opinantur, quod simile non patitur a suo simili, et quod passivum non est nisi contrarium a contrario, et opinantur cum hoc quod cognoscere et sentire fiunt per simile; tamen cognoscere et distinguere sunt pati et moveri. Et intendit quod illud quod

consequitur hanc opinionem est contrarium prime. Hoc enim quod ponunt, quod sentire et intelligere fiunt per simile, et quod sunt pati, coget eos ad dicendum quod simile patitur a suo simili; quod non concedunt, quia iam posuerunt simile non pati a suo simili. Et in se etiam est impossibile. Deinde dixit: ET TESTATUR QUOD SERMO QUEM DIXIT EMPEDOCLES, etc. Idest, et testatur quod sermo quem Empedocles dixit (scilicet quod unusquisque non cognoscit generalia corporalia elementa nisi secundum similitudinem; idest, quod nos non cognoscimus terram nisi per illud quod est in nobis de terra, et aquam per aquam, et aerem per aerem, et ignem per ignem) est falsus multitudo dubitationum contingentium illi in hoc loco. Illud

Page 108

enim quod in corporibus animalium magis vicinatur terre simple nichil sentit; ut ossa. Et cum ossa non sentiunt terram, licet in eis dominetur terra, simile non sentit simile. Et hoc intendit cum dixit: NON SENTIUNT IGITUR NEQUE SIMILIA. Deinde dixit: LICET HOC SIT NECESSARIUM; idest quod, si simile debet [line 38 cont.] sentire simile, tunc necessarium esset ut ossa sentirent terram; sed videntur carere sensu.

80. ET ETIAM, UNUMQUODQUE PRINCIPIORUM MAGIS IGNORAT QUAM SCIAT. UNUMQUODQUE ENIM EORUM UNUM TANTUM COGNOSCIT, ET PLURA IGNORAT. ET CONTINGIT EMPEDOCLI ATTRIBUERE DEUM MAXIME IGNORANTIE; IPSE ENIM SOLUS NESCIT DE ELEMENTIS HOC UNICUM, SCILICET LITEM; ANIMAL VERO MORTALE SCIT EA OMNIA; OMNE ENIM ANIMAL FIT EX OMNIBUS ILLIS.

410b2

410b5

410b7

Et etiam contingunt eis impossibilia universalialia, scilicet ut quodlibet principiorum magis ignorat quam sciat. Unumquodque enim principiorum eorum non scit apud eos nisi ea ex quibus componitur; et sunt ea quibus assimilatur. Deinde dixit: ET CONTINGIT EMPEDOCLI ATTRIBUERE, etc. Idest, et contingit Empedocli aliud impossibile proprium, scilicet quod Deus apud ipsum sit in fine ignorantie, ita quod animal mortale est scientius ipso. Contingit enim ei secundum suum sermonem ut non sciat de elementis, que sunt apud ipsum sex, nisi quinque tantum, scilicet quatuor elementa et amicitiam, et quod nesciat litem. Animal autem mortale scit sex, quia apud

Page 109

ipsum componitur ex omnibus. Et opinatur quod Deus componitur ex quinque tantum, idest non ex lite. Contingit ei igitur ut nesciat litem; quapropter animal mortale erit scientius eo. Et dii quos Empedocles opinatur esse compositos ex quatuor elementis sunt orbes; opinatur enim orbes esse deos et compositos ex quatuor elementis et amicitia. Et ideo reputabat ipsum esse immortalem; lis enim est causa corruptionis. Licet iam narravit quod ipse opinatur mundum quod iam corrumpebatur et iam generabatur. Sed forte non opinabatur hoc nisi in eis que sunt sub spera, quamvis ipse videtur hoc opinari in omnibus partibus mundi.

81. ET UNIVERSALITER, QUARE NON OMNIA HABENT ANIMAM,
CUM OMNIA AUT SINT ELEMENTUM AUT EX ELEMENTO
UNO AUT PLURIBUS AUT OMNIBUS?
NECESSE EST ENIM UT SCIANT UNUM AUT QUEDAM AUT OMNIA.

410b7

410b10

Et universaliter necesse est eis dare causam quare non omnia habent animam comprehendentem. Contingit enim eis ut omnia sint comprehensiva, quoniam, si principia et elementa sunt cognoscentia, et omne ens aut est ex elemento aut elementum, necesse est ut omnia sciant. Oportet enim ut omne sciat aut unum eorum, si fuerit elementum aut compositum ex uno elemento (quoniam tunc non sciet nisi illud quod componitur ex illo elemento), aut ut sciat plura, si componitur ex pluribus, aut omnia si ex omnibus. Et hoc intendebat cum dixit: OPORTET ENIM SCIRE AUT UNUM AUT QUEDAM AUT OMNIA.

Page 110

82. ET DEBET HOMO DUBITARE ILLUD QUOD DEDIT
ISTIS ESSE. ELEMENTA ENIM ASSIMILANTUR MATERIE;
ILLUD AUTEM QUOD LIGAT EST VALDE NOBILE. IMPOSSIBILE
EST IGITUR UT ALIQUID SIT NOBILIUS ET PRINCIPALIUS
QUAM ANIMA. ET EST ETIAM VALDE IMPOSSIBILE
UT ALIQUID PRECEDAT INTELLECTUM; NECESSE EST
ENIM UT ISTE SIT PRECEDENS NATURALITER IPSUM
QUOD PER EUM ACQUIRIT NOBILITATEM; ELEMENTA
AUTEM SUNT PRINCIPIA ENTIIUM.

410b10

410b15

Et debet homo querere per quid sunt elementa, scilicet forma. Elementa enim videntur assimilari materie, sed manifestum est quod aliud nobilius eis ligat et congregat ea in composito; et est illud quod est in eis quasi forma et finis. Deinde incepit declarare quod hoc necesse est esse animam, et maxime intellectum. Et dixit: ILLUD ENIM QUOD LIGAT DICITUR VALDE NOBILE, etc. Idest, et illud quod videtur esse nobilius elementis necesse est ut sit anima. Omne enim quod dicitur esse nobilius aliquo minus est dignum nobilitate quam anima. Anima igitur precedit omnia elementa causalitate et nobilitate, elementa autem tempore. Deinde dixit: ET MAGIS EST IMPOSSIBILE UT ALIQUID PRECEDAT INTELLECTUM. Idest, et si anima esset ex elementis, tunc precederent eam elementa nobilitate et causalitate; quod est impossibile. Et magis impossibile est opinari quod aliquod elementorum precedat intellectum secundum nobilitatem et secundum causam finalem. Deinde dedit rationem super hoc. Et dixit: NECESSE EST ENIM UT IPSE SIT, etc. Idest,

Page 111

necesse est enim ut intellectus precedat in esse omnia attributa sibi et que ab eo acquirunt nobilitatem, ut elementa. Deinde dixit: ELEMENTA AUTEM SUNT PRINCIPIA ENTIIUM. Idest, et valde differunt; anima enim et intellectus sunt principia entium secundum finem et formam, elementa autem secundum materiam.

83. ET OMNES FACIENTES ANIMAM EX ELEMENTIS PER
COGNITIONEM ET SENSUM ET PER MOTUM NON LOQUUNTUR
DE OMNI ANIMA. NON ENIM VIDEMUS OMNIA SENSIBILIA
MOTA, CUM QUEDAM ANIMALIA VIDEANTUR
PERMANENTIA IN EODEM LOCO; LICET VIDEATUR QUOD ILLO SOLO

410b16

410b20

MOTU MOVEAT ANIMA ANIMALIA. ET SIMILITER ETIAM EST
DISPOSITIO PONENTIUM INTELLECTUM ET VIRTUTEM
SENSUS EX ELEMENTIS. PLANTE ENIM VIDENTUR VIVERE,
SED NULLAM HABENT PORTIONEM DE MOTU
LOCALI. ET PLURA ANIMALIA NON INTELLIGUNT.

410b24

Et omnes ponentes substantiam anime ex elementis,
quia cognoscit et quia movetur ex se, non loquuntur de
substantia anime nisi particulariter, non universaliter sicut debet
facere ille qui vult naturaliter loqui de ea. Et incepit declarare
hoc. Et dixit: NON ENIM VIDEMUS OMNIA SENSIBILIA MOVERI.
Idest, et diffinitio eorum qui diffinierunt eam per motum
est diminuta. Multa enim sensibilia et animata non moventur
in loco, ut spongia maris, quamvis iste motus apud
eos proprius est anime. Et si ita esset, omne animatum moveretur
in loco. Error igitur accidit eis qui existimant quod iste motus

Page 112

est proprius anime sensibili. Et cum narravit diminutionem
contingentem diffinientibus animam per motum,
incept declarare diminutionem accidentem ponentibus
eam ex elementis per cognitionem. Et dixit: ET SIMILITER
EST DISPOSITIO PONENTIUM INTELLECTUM, etc. Idest, et similiter est
de ponentibus intellectum et substantiam anime ex elementis
quia cognoscit. Plante enim videntur habere vitam, et non
sensus neque motum in loco. Et videmus quod multa animalia
sensibilia non intelligunt. Et si ita esset, necesse esset
ut omne vivum esset sensibile, et omne sensibile esset
intelligens, sicut opinabantur plures Antiqui. Sed non
est ita. Omnes igitur diffinientes substantiam anime per
cognitionem aut motum non incedunt via inducente ad
cognitionem substantie anime.

84. ET SI HOMO CONCESSERIT ISTA ET POSUERIT QUOD
INTELLECTUS EST ALIQUA PARS ANIME, ET SIMILITER ETIAM VIRTUS
SENSUS, TAMEN NEQUE CUM HOC LOCUTI SUNT UNIVERSALITER DE OMNI
ANIMA, NEQUE DE UNA ANIMA UNIVERSALITER. ET SIMILITER
ACCIDIT IN SERMONE QUI DICITUR INVENIRI IN VERSIBUS
ATTRIBUTIS ARCHOIZ; DICIT ENIM QUOD ANIMA
INTRAT INTUS A TOTO APUD ANELITUM, QUIA VENTI
DEFERUNT EAM. HOC IGITUR NON ACCIDIT IN PLANTIS,
NEQUE IN QUIBUSDAM ANIMALIBUS, CUM NON
OMNE ANIMAL SIT HABENS ANELITUM.

410b24

410b25

410b30

411a1

Et si homo concesserit eis quod omne animal est intelligens,
et posuerit quod virtus intellectus et sensus sit eadem,
tamen cum hoc etiam non erunt locuti de omni anima. Qui

Page 113

enim locutus est de ea per cognitionem non loquitur de
anima non cognoscenti; qui utem per motum non loquitur
de anima non mota. Et cum hoc sermo amborum
non est in eadem anima. Natura enim anime mote alia est a natura
cognoscentis. Isti igitur non loquuntur de anima universali, et
cum hoc quidam eorum loquuntur de uno modo
anime, et quidam de alio modo. Deinde dixit: ET SIMILITER ACCIDIT, etc.
Idest, et hoc idem accidit Archoiz, scilicet quod loquitur de anima

particulari, et existimat loqui de anima universali, fingendo quod natura anime est illud quod intrat corpus a toto continente apud anelitum. Iste enim non loquitur de omni anima, quia plante habent animam, tamen non habent anelitum; et similiter plura animalia. Anelans enim est animal ambulans habens sanguinem, ut dictum est in Animalibus.

85. ET IGNORAUERUNT EXISTIMANTES HOC, SCILICET 411a1
PONENTES ANIMAM EX ELEMENTIS, SCILICET QUOD NON DE
NECESSITATE DEBENT PONERE EAM EX OMNIBUS EIS. SUFFICIT
ENIM UNUM CONTRARIORUM IN IUDICANDO SUPER
IPSUM ET SUPER SUUM OPPOSITUM. PER RECTUM ENIM 411a5
SCIMUS RECTUM ET CURVUM; REGULA ENIM IUDICAT
UTRUNQUE PER SUAM RECTITUDINEM. PER CURVUM
VERO NON SCIMUS NEQUE IPSUM IN SE NEQUE RECTUM. 411a7

Et isti ignorauerunt quoniam non indigebant ponere animam ex omnibus contrarietatibus existentibus in elementis. Sufficiebat enim eis ponere eam ex altero duorum contrariorum, scilicet ex illo quod est quasi habitus et forma.

Page 114

Tale enim contrarium sufficit in iudicando super se et super suum oppositum. Scimus enim lineam rectam per regulam rectam in eo quod est recta, et similiter curvam; sed per curvam non scimus neque ipsam neque rectam. Et causa in hoc est quod non debemus iudicare nisi per contrarium quod est primum super contrarium quod est secundum.

86. ET DIXERUNT QUIDAM QUOD ANIMA EST IN TOTO. ET FORTE 411a7
EX HOC LOCO EXISTIMAVIT MELISSUS QUOD OMNIA
SUNT PLENA DEO. SED IN HOC LOCO EST DUBITATIO.
QUERENDUM EST ENIM, CUM ANIMA EXISTAT IN AERE
ET IGNE, QUARE NON FACIT ANIMALIA, ET FACIT HOC 411a10
IN MIXTO; LICET SIT EXISTIMATUM QUOD ANIMA QUE
EST IN ISTIS SIT NOBILIOR. ET DEBET HOMO RESPONDERE
QUARE ANIMA QUE EST IN AERE EST MELIOR
ANIMA QUE EST IN ANIMALIBUS ET MAGIS IMMORTALIS. 411a13

Intendit, ut michi videtur, quod quidam dixerunt quod anima existit in toto, idest in elementis et in compositis. Et ex hoc existimavit Melissus quod omnia sunt plena Deo. Deinde dixit: QUERENDUM EST ENIM, etc. Idest, et prima dubitationum contingentium huic opinioni est quare anima, inquantum est in aere et in igne, non facit animalia in eis; idest, quare hec corpora simplicia non sunt sensibilia comprehensiva. Quoniam, cum anima habeat eandem proportionem ad elementum et ad compositum, necesse est ut, si alterum eorum fuerit animatum, ut alterum etiam sit animatum. Deinde dixit: QUAMVIS SIT EXISTIMATUM QUOD ANIMA QUE EST, etc. Idest, licet existimatum sit quod anima que est

Page 115

in elementis magis digna est ut faciat elementa esse animata; existimatur enim esse nobilior anima que est in mixto ex elementis. Deinde dedit questionem secundam. Et dixit: ET POTEST HOMO RESPONDERE QUARE ANIMA QUE EST IN AERE, etc. Idest, et contingit homini opinanti hanc opinionem respondere

querenti qua de causa anima que est in elementis est nobilior anima que est in animalibus. Anima enim que est in elementis est non mortalis apud eos, et que est in animalibus est mortalis.

87. ET CONTINGIT UTRIQUE SERMONI IMPROBABLE ET 411a13
IRRATIONABILE. DICERE ENIM QUOD IGNIS ET AER SUNT ANIMALIA 411a15
EST SIMILE SERMONI STULTO. ET ETIAM NON DICERE EA ESSE
ANIMALIA ET DICERE EA HABERE ANIMAS EST IMPROBABLE. 411a16

Cum declaravit quod contingit dicentibus quod in elementis est anima ut elementa sint animata, dixit: ET CONTINGIT UTRIQUE SERMONI, etc., idest huic quod ponunt quod elementa sunt animata, aut huic quod ponunt quod elementa habent animam et non sunt animata. Dicere enim quod ignis et aer sunt animata simile est sermoni stultorum. Et dicere etiam quod habent animam et non sunt animata est valde improbabile, quia nulla differentia erit inter animam esse in animato aut non esse.

88. ET VIDENTUR EXISTIMARE QUOD ANIMA EXISTIT IN ISTIS 411a16
QUIA FORMA UNIVERSI EORUM EST SICUT FORMA PARTIUM.
OPORTET IGITUR EOS DICERE QUOD FORMA ANIME
ETIAM EST SICUT FORMA PARTIUM EIUS, CUM

Page 116

ANIMAL NON SIT HABENS ANIMAM NISI CUM IN EO
CONCLUDITUR ALIQUID EX AERE CONTINENTI. SI IGITUR 411a20
AER, CUM SEPARATUR, EST CONSIMILIS FORME, ET ANIMA,
CUM SEPARATUR, NON EST CONSIMILIUM PARTIUM,
MANIFESTUM EST QUOD ALIQUID EIUS ERIT ENS
ET ALIQUID NON ENS. NECESSE EST IGITUR AUT UT SIT
CONSIMILIUM PARTIUM, AUT UT NON EXISTAT IN QUALIBET
PARTE TOTIUS. QUONIAM AUTEM NEQUE COGNOSCERE
EXISTIT IN ANIMA QUIA EST EX ELEMENTIS, NEQUE 411a25
MOVERI DICITUR RECTE, MANIFESTUM EST. 411a26

Cum numeravit impossibilia contingentia huic opinioni, dedit causam ex qua existimaverunt elementa esse animata, et destruxit eam. Et dixit: ET VIDENTUR EXISTIMARE, etc. Idest, et videntur opinari quod anima est in elementis quia unum iudicium habet totum et pars in recipiendo animam. Deinde dixit: OPORTET IGITUR EOS DICERE, etc. Idest, sed cum posuerint quod idem iudicium habet totum et pars elementorum in recipiendo animam, oportet eos ponere quod natura anime universalis et forma eius est sicut forma partium, scilicet quod iudicium universalis in sua natura et particularis est idem. Et cum declaravit hoc, dedit causam propter quam opinati sunt quod pars elementorum est animata, et quod propter hoc debet esse totum animatum. Et dixit: CUM ANIMAL NON SIT HABENS ANIMAM, etc. Idest, et opinati sunt quod pars elementorum est animata quia viderunt quod animal non fit animatum nisi quando

Page 117

in corpus intraverit apud anelitum aliquid aeris continentis; et ideo opinantur quod ista pars aeris que est in corpore animalium est animata; et quia natura partis

est talis, necesse est ut natura totius sit talis. Et ordo verborum debet esse talis: Et videntur existimare quod anima existit in istis, idest in elementis, scilicet quia forma totius et partis est idem; sed pars est animata quia animal non fit animatum nisi per aerem qui concluditur in eo; et ideo oportet eos dicere quod forma anime universalis est sicut forma particularis, scilicet quod natura anime universalis que est in elementis et particularis que est in animalibus est eadem. Et cum narravit hoc, incepit declarare modum secundum quem contingit eis. Et dixit: SI IGITUR AER CUM SEPARTUR, etc. Idest, si igitur aer, cum dividitur, est consimilis forme, scilicet quod natura partis et totius est eadem, et anima que est in elementis, cum dividitur per divisionem elementorum, non est consimilium partium (quoniam illud quod existit ex ea in parte, scilicet in animalibus, est mortalis, et quod existit ex ea in toto est immortalis), manifestum est quod pars que existit ex ea in toto alia est ab ea que existit in parte. Ergo necesse est aut us anima que est in toto sit similis anime que est in parte, si posuerimus quod totum et pars habent idem iudicium in recipiendo animam, aut ut ponamus quod iudicium totius et partis in recipiendo animam non est idem; et est illud quod consequitur positionem eorum, scilicet quod anima que est in toto est nobilior ea que

Page 118

est in parte. Et hoc posito destruitur argumentum eorum per hoc quod anima existit in toto que existit in parte. Quoniam, cum natura anime fuerit diversa, diversabitur etiam natura recipientis; unde necesse est, sicut dixit, ut non quelibet pars eius recipiat animam mortalem, sed partes proprie; iudicium igitur totius et partis non est idem. Et debes scire quod hoc contingit necessario dicentibus elementa esse non animata et quod est ex eis in animalibus esse animatum; scilicet contingit eis dare causam propter quam fuit ita, sicut contingit hoc dicentibus elementa animata sed per animam nobiliorem anima existente in animalibus. Sed causa data a dicentibus elementa esse non animata non potest esse data a dicentibus ea esse animata, scilicet mixtio et complexio. Et ideo visum est nobis quod ponentibus primas perfectiones anime esse factas a mixtione et complexione, non a causa extrinseca, contingit quod elementa sint animata per animam equalem anime existenti in animalibus. Et Alexander videtur hoc opinari in primis perfectionibus anime, et est contra Aristotelem et contra ipsam veritatem. Et in nullo differunt in hoc prime perfectiones et ultime. Et ideo videmus quod ista opinio similis est opinioni dicentium casum esse et negantium causam agentem. Deinde dedit secundum rememorationem summam [line 82 cont.] eorum que predixit. Et dixit: QUONIAM AUTEM NEQUE COGNITION, etc. Idest, manifestum est igitur ex hoc quod diximus quod non est necesse ut sit ex elementis propter.

Page 119

hoc quod cognoscit et sentit; neque etiam hoc quod dicitur quod movet se est verum.

89. ET QUIA ANIMA HABET COGNOSCERE ET SENTIRE 411a26
ET EXISTIMARE ET ETIAM APPETERE ET VELLE ET
UNIVERSALITER MODOS DESIDERII, ET ETIAM ANIMAL
HABET PER ANIMAM MOTUM IN LOCO ET ETIAM 411a30
AUGMENTUM ET COMPLEMENTUM ET DIMINUTIONEM,
UTRUM UNUMQUODQUE ISTORUM EST TOTIUS 411b1
ANIME, ET PER IPSAM TOTAM INTELLIGIT ET
SENTIT ET MOVET ET FACIT ALIOS MOTUS ET ACTIONES
ET PATITUR, AUT NON AGIT NEQUE PATITUR NISI
PER MEMBRA DIVERSA
ACTIONES ET PASSIONES DIVERSAS? ET UTRUM VITA
EST IN UNA ISTARUM AUT IN PLURIBUS UNA AUT IN
OMNIBUS, AUT HABENT ALIAM CAUSAM? 411b5

Cum contradixit sermonibus Antiquorum de anima, incepit hic declarare quod primo considerandum est de anima de numero actionum eius diversarum in genere; deinde utrum omnes proveniant ab una virtute, scilicet ab anima, aut agit unamquamque actionum eius diversarum in genere per virtutes diversas aut secundum diffinitionem et subiectum aut secundum diffinitionem tantum. Et dixit: ET QUIA ANIMA, etc. Idest, et quia anima habet quinque actiones aut passiones diversas in genere, quarum una est scire et existimare, secunda sentire, tertia desiderare et velle, quarta moveri in loco, quinta augeri et minui et nutriri, utrum quelibet istarum actionum diversarum

Page 120

in genere sunt totius anime, ita quod per endem naturam intelligit et sentit et movetur in loco et desiderat et nutritur et universaliter agit et patitur unoquoque aliorum motuum, aut non agit aut patitur unoquoque eorum nisi per virtutes diversas et membra diversa et membra communia eis convenientia? Hec igitur opinio est Aristotelis. Non enim opinatur quod facit diversas actiones per virtutes diversas et unica membra tantum, neque per unicas virtutes et membra diversa tantum, neque etiam per virtutes diversas et membra diversa tantum; sed opinatur quod facit per virtutes diversas et membra unica, scilicet principalia, et membra diversa. Et hoc intendebat cum dixit: PER VIRTUTES DIVERSAS ET MEMBRA DIVERSA; idest, cum hoc quod agit cum membris convenientibus; quoniam si sic non intelligetur, erit idem cum sermone Platonis, Deinde dixit: UTRUM VITA EST IN UNO ISTORUM, etc. Idest, et perscrutandum est, cum hoc, utrum illud quod dicitur vita est in una aliqua istarum quinque virtutum, aut in pluribus una, aut in omnibus.

90. ET QUIDAM DICUNT QUOD ANIMA EST DIVISIBILIS, ET 411b5
QUOD IPSA INTELLIGIT PER HOC ET DESIDERAT PER ALIUD.
QUID IGITUR CONTINUAT ANIMAM, SI NATURALITER
EST DIVISIBILIS? HOC ENIM NON ET CORPUS, QUONIAM
EXISTIMANDUM EST ESSE ECONTRARIO, SCILICET QUOD
ANIMA CONTINUAT CORPUS; ET HOC DEMONSTRATUR

QUIA, CUM EXIERIT AB EO, PUTREFIET.

411b9

Page 121

Innuat Platonem, qui opinatur quod anima essentialiter dividitur in corpore secundum divisionem membrorum in quibus agit suas actiones diversas, et quod non communicatur in aliquo membro, ita quod pars intelligens est in cerebro tantum, et desiderans in corde tantum, et nutriens in epate. Et dixit: ET QUIDAM DICUNT, etc. Idest, et quidam dicunt quod anima dividitur essentialiter per divisionem membrorum corporis, ita quod intelligit per membrum et virtutem alia a membro et a virtute quibus desiderat. Deinde dixit: QUID IGITUR CONTINUAT ANIMAM, etc. Idest, sed si posuerimus quod anima dividitur essentialiter per divisionem membrorum in quibus existit, et manifestum est per se quod anima que est in singulis individuis nobis est unica, quid igitur copulat partes anime ita quod potest dici esse una? Non enim potest aliquis dicere quod hoc sit corpus, quoniam magis rectum est dicere quod corpus est unum qui anima est una, non econtrario. Et hoc intendebat cum dixit: EXISTIMANDUM EST ENIM ESSE CONTRARIUM, etc. Idest, opinio enim quam habemus naturaliter in hoc contraria est huic opinioni, scilicet quod anima magis digna est ut sit causa copulationis corporis et sue unitatis in numero, quam ut sit corpus causa copulationis anime. Omne enim quod est non est unum aut continuum per suam materiam, sed per suam formam. Sed quia ista argumentatio est quasi latens in hoc loco, dedit significationem manifestam. Et dixit: ET HOC DEMONSTRATUR QUIA, CUM EXIERIT A CORPORE, PUTREFIET, idest dividetur.

Page 122

91. SI IGITUR EST ALIUD QUID QUOD FACIT EAM ESSE UNAM, ILLUD PROCULDUBIO EST ANIMA. SED QUERENDUM EST DE ILLO UTRUM SIT UNUM, AUT PLURIUM PARTIUM. SI IGITUR FUERIT UNUM...ET DIVISIBILE, TUNC QUERENDUM EST QUID EST ILLUD QUOD COPULAT IPSUM. ET ERUNT PRINCIPIA EIUS INFINITA.

411b9

411b10

411b14

Si igitur corpus non facit eam esse unam et continuum, et dixerit aliquis quod est aliud quod facit eam esse unam, dicemus quod illud est anima, et revertetur perscrutatio, scilicet utrum illud in se est unum aut plura. Si unum, hoc est quod volumus; si plura, revertetur questio quid copulat illud per quod copulatur anima. Et sic in infinitum, et non erit illic principium prime continuationis. Et hoc intendebat cum dixit: ET PRINCIPIA ILLIUS ERUNT INFINITA. Idest, principia continuationis et unitatis existentis in homine erunt infinita; quapropter nulla unitas erit.

92. ET DEBET HOMO DUBITARE DE EIUS PARTIBUS, ET QUERERE QUE VIRTUS DAT CUILIBET EARUM CORPUS. QUONIAM, SI TOTA ANIMA COPULAT TOTUM CORPUS, OPORTET UT UNAQUEQUE PARTIUM COPULET

411b14

411b15

UNAMQUANQUE PARTEM CORPORIS, ET ISTE SERMO
EST SIMILIS IMPOSSIBILI; DIFFICILE EST ENIM ET
ETIAM IN FINGENDO DICERE QUAM PARTEM COPULAT
INTELLECTUS, ET QUOMODO.

411b19

Page 123

Cum declaravit quod contingit dicentibus animam
esse divisibilem omnibus modis ut sit una secundum
quod est anima, et divisibilis secundum quod habet
actiones diversas, dedit dubitationem super hoc. Et dixit:
ET DEBET HOMO DUBITARE DE PARTIBUS EIUS, cum fuerit
opinatus eam habere partes secundum hunc modum,
scilicet ut sit divisibilis uno modo et unica alio modo,
et querere que virtus dat cuilibet istarum partium
corporis continuationem. Necesse est enim, si tota anima
copulat totum corpus, secundum quod est in eo secundum
totum, ut unaqueque partium eius sit in unaquaque
parte corporis, ita quod copulet ipsam secundum
quod est in ea. Deinde dixit: ET ISTE SERMO EST SIMILIS
IMPOSSIBILI, etc. Idest, et ponere quod quolibet pars eius
copulat unamquamque partem corporis et existit in ea
fere videtur impossibile; intellectum enim videtur
impossibile attribui alicui membro corporis. Et debes
scire quod ista dubitatio non sequitur hic nisi quia non
determinatur utrum sit unica secundum subiectum et
plura secundum virtutes (ita quod divisio anime in suas
partes sit sicut pomi in odorem colorem et saporem),
aut est una propter unam naturam communem, et plura
quia ista natura habet diversas virtutes (ita quod
divisio anime in suas partes sit sicut divisio generis in
species). Quoniam secundum hunc modum contingit
dubitatio predicta; cum enim posuerimus eam unicam
secundum subiectum tantum, non contingit hoc; subiectum
enim partium eius erit unum tantum, et quedam
earum erunt subiectum quarundam.

Page 124

93. ET VIDEMUS PLANTAS VIVERE ETIAM CUM
DIVIDUNTUR, ET SIMILITER QUEDAM ANIMALIA ANULOSA,
QUASI ANIMA IN EIS SIT UNA SECUNDUM FORMAM,
ETSI NON EST UNA SECUNDUM NUMERUM.
VIDEMUS ENIM QUOD UTRAQUE PARS SENTIT ET
MOVETUR IN LOCO ALIQUANDIU.

411b19

411b20

411b22

Cum dedit impossibile contingens sermoni quod
tota anima est in toto corpore et partes in partibus, et
iam dederat impossibile contingens etiam sermoni quod
anima dividitur per divisionem membrorum, absque
eo quod sit in ea virtus universalis copulans corpus,
incepit hic contradicere hiis duabus opinionibus. Et dixit:
ET NOS VIDEMUS PLANTAS, etc. Idest, et signum super hoc
quod partes anime non existunt in partibus corporis
est quia nos videmus plantas et plura animalia, ut anulosa,
cum dividuntur, agit motum utraque pars et
sensus in animalibus, et augmentum et nutrimentum
in plantis, sicut totum. Et si pars sensus esset in alia parte
corporis ab ea in qua existit motus, tunc, cum animal

anulosum divideretur, non moveretur et sentiret per eandem partem, sed pars eius que movetur esset alia ab ea que sentit. Et similiter, si pars nutritiva esset in plantis in parte alia ab augmentativa, tunc impossibile esset ut, cum plures plante dividerentur, ut viverent, et cum plantarentur, ut viverent. Deinde dixit: QUASI ANIMA SIT IN EIS UNA SECUNDUM FORMAM, NON SECUNDUM NUMERUM. Quoniam, si esset una secundum numerum, contingeret ut corrumperetur apud divisionem corporis, sicut accidit hoc in pluribus animalibus et in quibusdam plantis. Et si partes anime essent in partibus corporis, contingeret,

Page 125

cum corpus divideretur in illas partes, ut quolibet earum ageret suum proprium, ita quod pars motiva esset alia a sensibili, et nutritiva ab augmentabili. Et cum ita sit, sicut dixit, necesse est ut anima sit in toto animali una in subiecto et plures secundum virtutes, ita quod quedam partium sit subiectum quarundam, scilicet quod nutritiva sit subiectum sensibilis tangibilis, et tangibilis sit subiectum aliorum sensuum; et similiter quedam quarundam, ut post declarabitur. Et cum anima sit talis in omni animali, aut est una in numero, scilicet in animalibus organicis, quorum pars non vivit post divisionem, aut oportet ut sit in eis quasi una in specie, scilicet in eis quorum pars vivit post divisionem; et sunt illa quorum membra sunt consimilia.

94. ET NON EST INOPINABILE UT REMANEANT; NON ENIM HABENT INSTRUMENTA QUIBUS CONSERVANT SUAM NATURAM; SED TAMEN HOC NON DAT UT IN UNAQUAQUE PARTIUM NON SINT OMNES RES ANIME, ET SUNT CONSIMILES IN SPECIE ADINVICEM. TOTIUS AUTEM ANIME EST, QUIA EST DIVISIBILIS.

411b22

411b25

411b27

Et non est inopinabile ut partes istorum animalium et plantarum remaneant in agendo actiones totius. Causa enim in hoc est quia iste modus animalis non habet diversa instrumenta que appropriantur actionibus diversis anime cum membro communi officiali in quo existunt in potentia omnes actiones anime, sicut est cor cum aliis membris, ut declaratum est in libro

Page 126

de Animalibus; sed quodlibet membrum membrorum istius animalis adaptatur omnibus actionibus anime, et similiter quolibet pars partium unius membri. Et causa in hoc sic debet intelligi: quoniam diffinitio partis membri officialis non est diffinitio totius, necesse est, cum anima impossibile est ut existat in aliquo animali proprio illi anime nisi habeat principium, ut pars eius non adaptetur ad hoc quod habet totum ad recipiendum animam; v.g. quod, si cor habet naturam recipiendi animam quia habet talem figuram, manifestum est quod pars eius non recipit illam animam, quia non habet illam figuram. Unde necesse est ut contrarium iudicium habeant animalia

quorum membra sunt consimilia, scilicet ut illud quod recipit totum recipiat pars, cum habeant eandem diffinitionem. Deinde dixit: SED TAMEN HOC NON DAT, etc. Idest, sed quia iste modus animalis non habet corpus officiale neque habet membra officialia, non est remotum ut anima que est in qualibet parte eius sit consimilis adinvicem in specie, et similis etiam anime que est in toto; immo, quia membra eius non sunt officialia, necesse est ut sit sic. Deinde dixit: TOTIUS AUTEM ANIME EST, QUIA EST DIVISIBILIS. Idest, esse autem animam que est in rebus consimilem in specie est quia est divisa in actu, et unaqueque earum agit actionem alterius; consimilitudo autem inter animam que est in partibus et animam que est in toto in specie (scilicet tota animas) per potentiam et divisibilitatem non secundum actum; quoniam, cum dividetur, tunc totum non remanebit totum. Sed ipse dimisit hoc, quia propalavit alteram duarum divisionum,

Page 127

quoniam hec particula AUTEM demonstrat divisionem Et quasi dicit: consimilitudo autem que est in specie inter partes est quia est divisa in actu; totius vero quia est divisibilis.

95. ET VIDETUR ETIAM QUOD PRINCIPIUM EXISTENS
IN PLANTIS SIT ALIQUA ANIMA; IN HOC ENIM SOLO
COMMUNICANT PLANTE ET ANIMALIA. ET HOC
DIFFERT A PRINCIPIO SENSIBILI, ET NICHIL HABET SENSUM
SINE ISTO.

411b27

411b30

Cum dedit rationem in sermone predicto super hoc quod anima non dividitur essentialiter per divisionem subiecti ex hoc quod apparet in plantis, et iste sermo non est acceptus a ratione nisi ei qui concedit quod plante habent animam, incepit declarare hoc quomodo est. Et dixit: ET VIDETUR ETIAM QUOD PRINCIPIUM, etc. Idest, et videtur etiam quod principium quo plante nutriuntur et augentur sit anima; in hoc enim principio existimantur habere communicationem cum animalibus secundum vitam. Et ideo non dicitur mortuum nisi animal quod caret principio plante, non principio sensus et motus. Et cum narravit quod animalia communicant in hoc principio cum plantis secundum vitam, incepit narrare quod plante non communicant eis in hoc, et quod communicatio sensus et motus cum nutrimento est necessaria. Et dixit: ET HOC DIFFERT A PRINCIPIO SENSIBILI, etc. Idest, et principium quod est nutrimenti et augmenti et generationis separatur a principio sensibili

Page 128

in plantis; sed principium sensibile non separatur ab illo, cum omne animal nutritur et augetur. Sed debes scire quod necessitas essendi nutribile et augmentabile non est sicut necessitas essendi calidum aut frigidum aut humidum aut siccum aut grave aut leve, et quod suum esse augmentabile et nutribile est ei secundum quod est vivum, et esse grave aut leve est ei secundum

quod est corpus naturale. Quoniam, si non fuerit
sic determinatum, non est necesse propter communicationem
cum principio sensibili ut principium
sit anima.

Page 129

AVERROIS CORDVBENSIS

COMMENTARIVM MAGNVM

IN ARISTOTELIS DE ANIMA LIBRVM SECVNDVM

1. HOC IGITUR EST QUOD ACCEPIMUS AB ANTIQVIS
DE ANIMA. MODO AUTEM INCIPIEMUS ALITER IN
DETERMINANDO ANIMAM QUID EST SECUNDUM
DIFFINITIONEM QUE MAGIS COMPREHENDIT IPSAM.

ii.1
412a3
412a5
412a6

Cum contradixit opinionibus Antiquorum,
incepit modo querere de substantia
eius. Et dixit: HOC IGITUR EST QUOD
ACCEPIMUS, etc. Idest, hoc igitur
diximus in contradicendo opinionibus
quas accepimus de anima. Deinde narravit
quod oportet incipere in cognoscendo substantiam eius
et considerare in hoc, quousque sciatur diffinitio que est
magis universalis et magis comprehendens omnes
partes anime. Et dixit: MODO AUTEM INCIPIAMUS, etc. Idest, modo
autem incipiamus loqui de anima eo modo sicut qui
non invenit ab Antiquis aliquid utile de ea. Et primo
debemus invenire diffinitionem que est magis
universalis omnibus partibus eius. Cognitio enim
universalis debet precedere cognitionem propriam.
Et sermo eius est intellectus per se.

2. DICAMUS IGITUR QUOD SUBSTANTIA EST UNUM GENERUM
ENTIUM. SUBSTANTIARUM AUTEM QUEDAM EST
SUBSTANTIA SECUNDUM MATERIAM, ET ISTA NON EST PER SE
HOC; ET QUEDAM EST FORMA PER QUAM DICITUR

412a6

Page 130

IN RE QUOD EST HOC; EST AUTEM TERTIA, ET EST ILLUD
QUOD EST EX AMBOBUS. ET MATERIA EST ILLA QUE
EST IN POTENTIA; FORMA AUTEM EST PERFECTIO. ET
FORMA EST DUOBUS MODIS: UNUS EST SICUT SCIRE,
ET ALIUS EST SICUT SPECULAR.

Cum voluit scire diffinitionem universalem omnibus
partibus anime, et fuit quasi manifestum quod collocatur
in genere substantie, incepit dividere quot modis dicitur
substantia, et in quo modo est anima. Et dixit quod
substantia est unum generum entium; idest entium que
sunt secundum antecedentiam in esse, quorum anima est unum.
Ponere enim animam accidens
est inopinabile secundum quod dat nobis prima cognitio naturalis;
opinamur enim quod substantia est nobilior accidente,

plantis. Quoniam hoc nomen VITA dicebatur in lingua Greca de omni eo quod nutritur et augetur; ANIMAL autem dicitur de omni corpore quod nutritur et sentit. In Arabico autem videntur significare idem; sed tamen non dicitur mortuum nisi animal quod caret principio nutrimenti et sensus insimul, non principio sensus et motus tantum. Et dixit ESSENTIALITER quia invenitur extra vivum aliquid quod assimilatur augmento et diminutioni et non est vivum. Et cum declaravit quod necesse est ut omne corpus habens vitam sit substantia, declaravit cuiusmodi substantia. Et dixit: ET EST SUBSTANTIA SECUNDUM QUOD EST COMPOSITUM. Idest, et necesse est ut corpus vivum sit substantia composita; et est hoc individuum.

4. ET QUIA CORPUS VIVUM EST CORPUS, ET EST TALE, IMPOSSIBILE EST UT ANIMA SIT CORPUS. CORPUS ENIM NON EST EORUM QUE SUNT IN SUBIECTO; IMMO

412a16

Page 133

EST SICUT SUBIECTUM ET MATERIA. UNDE NECESSE EST UT ANIMA SIT SUBSTANTIA SECUNDUM QUOD EST FORMA CORPORIS NATURALIS HABENTIS VITAM IN POTENTIA.

412a20

412a21

Cum declaravit quod corpus vivum est substantia secundum quod est compositum ex substantia que est secundum materiam et ex substantia que est secundum formam, incepit querere de anima utrum est substantia composita, scilicet corpus, aut secundum formam; dicere enim animam esse materiam inopinabile est, et hoc est manifestum per se. Et dixit: ET QUIA CORPUS VIVUM, etc. Idest, et anima non est substantia secundum compositionem. Compositum enim corpus habens vitam non est corpus vivum secundum quod est corpus simpliciter, sed secundum quod est tale corpus. Est igitur vivum per aliquod existens in subiecto, non per aliquod existens non in subiecto; corpus autem est substantia secundum quod est subiectum. Et cum dedit propositiones ex quibus consequitur ut anima non sit substantia secundum quod est corpus sed secundum quod est forma, dixit: UNDE NECESSE EST UT ANIMA SIT SUBSTANTIA SECUNDUM QUOD EST FORMA CORPORIS NATURALIS HABENTIS VITAM IN POTENTIA, etc. Quoniam autem non est substantia secundum corpus declarabitur in secunda figura per illas duas propositiones predictas, scilicet quod anima est in subiecto, et corpus est non in subiecto. Quoniam vero est substantia secundum formam manifestum est ex hoc quod est substantia in subiecto. Hoc enim proprium est forme, scilicet ut sit substantia in subiecto. Et differt ab accidente, quoniam accidens non est pars huius substantie composite, forma autem est pars huius substantie composite. Et etiam equivoco dicitur forma esse in subiecto, et accidens esse in subiecto. Subiectum enim accidentis

Page 134

est corpus compositum ex materia et forma, et est aliquod existens in actu et non indiget in suo esse accidente; subiectum autem forme non habet esse in actu, secundum quod est subiectum, nisi per formam, et indiget forma ut

sit in actu; et maxime primum subiectum, quod non denudatur a forma omnino. Et propter similitudinem inter ista erraverunt plures loquentium, et dixerunt formam esse accidens. Et ex hoc declarabitur perfecte quod anima non est substantia secundum materiam. Materia enim est substantia secundum quod est subiectum, anima autem secundum quod est in subiecto. Et dixit: HABENS VITAM IN POTENTIA. Idest, et necesse est ut anima sit substantia secundum quod est forma corporis naturalis habentis vitam secundum quod dicitur habere illam formam in potentia, ut agat actiones vite per illam formam.

5. ET ISTA SUBSTANTIA EST PERFECTIO; EST IGITUR 412a21
PERFECTIO TALIS CORPORIS. ET QUIA PERFECTIO DICITUR
DUOBUS MODIS, QUORUM UNUS EST SICUT SCIRE
ET ALIUS SICUT ASPICERE, MANIFESTUM EST QUOD ISTA
PERFECTIO EST SICUT SCIRE, QUONIAM APUD IPSUM
EST ESSE ANIME. ET VIGILIA EST SIMILIS STUDIO; SOMPNUM 412a25
AUTEM EST SIMILIS DISPOSITIONI REI CUM POTEST
AGERE ET NON AGIT. 412a26

Cum declaravit quod anima est substantia secundum formam, et forme sunt perfectiones habentium formas, et sunt duobus modis, incepit demonstrare quod perfectio est in diffinitione anime quasi genus. Et dixit: ET ISTA SUBSTANTIA EST PERFECTIO, etc. Idest, et quia substantia que est secundum formam

Page 135

est perfectio corporis habentis formam, et iam declaratum est quod anima est forma, necesse est ut anima sit perfectio talis corporis, idest perfectio corporis naturalis habentis vitam in potentia, secundum quod perficitur per animam. Et cum declaravit quod anima est perfectio, declaravit secundum quot modos dicitur perfectio. Et dixit: ET PERFECTIO EST DUOBUS MODIS, etc.; idest, et quia perfectio est duobus modis, quorum unus est sicut scientia existens in sciente quando non utitur sua scientia, et alius est sicut scientia existens in sciente quando utitur ea. Deinde incepit demonstrare secundum quem modum istorum duorum dicitur quod anima est perfectio. Et dixit: MANIFESTUM EST QUOD ISTA PERFECTIO EST SICUT SCIENTIA. Idest, et quia iam declaratum est quod anima est perfectio corporis naturalis, et perfectio dicitur duobus modis, manifestum est quod perfectio qua est animatum et differt a corpore non animato est existens in eo sicut scientia in sciente. Deinde dedit rationem super hoc. Et dixit: QUONIAM APUD IPSUM EST ESSE ANIME; idest, quoniam apud esse istius perfectionis in animato invenitur anima, non apud esse alterius perfectionis. Et cum demonstravit quod perfectio accepta in diffinitione anime, que est substantia anime, est illa que est quasi scientia existens in sciente quando non utitur ea, dedit exemplum super hoc. Et dixit: ET VIGILIA EST SIMILIS, etc. Idest, et cum animal fuerit dormiens, tunc anima erit in eo secundum primam perfectionem; et hoc est simile esse scientie in sciente in tempore in quo non studet, et non est simile esse ignorantie in non sciente. Manifestum est enim quod animal apud sompnum habet animam sensibilem, sed non

utitur sensu, sicut sciens habet scientiam sed non utitur

Page 136

ea. Dispositio autem anime apud vigiliam in animalibus est similis scientie in sciente quando utitur ea. Et hoc est in anima sensibili; anima autem nutritiva nunquam invenitur in animalibus nisi secundum postremam perfectionem nisi aliquis ponat quod sit quidam modus animalium qui non nutritur in aliquo tempore, scilicet in tempore in quo manet in lapidibus, ut rane magne, que nichil thesaurizant et manent tota hyeme in lapidibus, et similiter plures serpentes. Et secundum hoc erit hoc commune anime sensibili et nutritive eadem intentione; et si non, tunc perfectio accepta in eis erit secundum equivocationem. Et quocunque modo sit, quando intellecta fuerit diversitas inter esse utrunque, tunc non nocebit accipere hoc indiffinite in hac diffinitione, cum sit impossibile aliter. Et dixit: et SOMPNUM EST SIMILIS DISPOSITIONI REI, etc. Idest, et dispositio anime apud sompnum in animalibus est similis dispositione rei in tempore in quo potest agere sed non agit. Et hec est descriptio prime perfectionis, et ex ea intelligitur descriptio postreme perfectionis; et est dispositio rei per quam ens agit aut patitur in tempore in quo agit aut patitur.

6. ET SCIENTIA IN EODEM ANTECEDIT IN ESSE. ET IDEO ANIMA EST PRIMA PERFECTIO CORPORIS NATURALIS HABENTIS VITAM IN POTENTIA. ET EST SECUNDUM QUOD EST ORGANICUM. ET PARTES PLANTARUM SUNT ETIAM ORGANA, SED VALDE SIMPLICIA, V.G. QUOD FOLIA SUNT COOPERTORIA ET VESTES FRUCTIBUS; RADICES AUTEM SIMILES SUNT ORI, QUONIAM ISTI DUO MODI CONTRAHUNT CIBUM

412a26

412b1

412b4

Page 137

Cum declaravit quod genus anime est perfectio que est quasi scientia existens in sciente quando non utitur ipsa, incepit narrare quod ista perfectio precedit in esse secundam perfectionem, et quod propter hoc debet adiungi in diffinitione quod anima est prima perfectio corporis naturalis habentis vitam in potentia. Et dixit: ET SCIENTIA IN EODEM, etc. Idest, et perfectio que est quasi scientia precedit in esse in individuo perfectionem que est quasi studium. Et cum narravit hoc, incepit narrare quod propter hoc debemus dicere hanc intentionem in diffinitione, ut scilicet per eam distinguatur a perfectione postrema. Et dixit: ET IDEO ANIMA EST PERFECTIO PRIMA, etc. Idest, et ideo dicendum est in diffinitione anime, etc. Deinde dixit: ET EST SECUNDUM QUOD EST ORGANICUM. Ita cecidit in scriptura locus albus. Et est corpus secundum quod est organicum, et corpus habens vitam in potentia est primum organicum corpus. Et cum narravit quod omne corpus vivum est organicum, et hoc fuit manifestum in animalibus sed latuit in plantis, incepit demonstrare quod organa existunt etiam in plantis. Et dixit: ET PARTES PLANTARUM SUNT ETIAM ORGANA, etc. Et sermo eius in hoc est manifestus. Et hoc quod dixit de plantis manifestum est; folia enim ita sunt

de plantis sicut corium in animalibus, et radices sunt sicut os, quoniam utrunque comprehendit cibum. Et hoc intendebat cum dixit: QUONIAM ISTI DUO MODI CONTRAHUNT CIBUM, scilicet radices et os et alia ventricula que transeunt ad ipsa.

Page 138

7. SI IGITUR ALIQUOD UNIVERSALE DICENDUM EST 412b4
IN OMNI ANIMA, DICEMUS QUOD EST PRIMA PERFECTIO 412b5
CORPORIS NATURALIS ORGANICI. ET IDEO
NON EST PERSCRUTANDUM UTRUM ANIMA ET CORPUS
SINT IDEM, SICUT NON EST PERSCRUTANDUM HOC
IN CERA ET FIGURA, NEQUE IN FERRO ET FIGURA, NEQUE
UNIVERSALITER IN MATERIA CUIUSLIBET ET IN ILLO
QUOD HABET ILLAM MATERIAM. UNUM ENIM ET ENS
CUM DICUNTUR PLURIBUS MODIS, PERFECTIO EST
ILLUD DE QUO DICITUR HOC PRIMA INTENTIONE. 412b9

SI IGITUR ALIQUOD UNIVERSALE, etc. Idest, si igitur possibile est diffinire animam diffinitione universali, nulla diffinitio est magis universalis quam ista, neque magis conveniens substantie anime; et est quod anima est prima perfectio corporis naturalis organici. Et induxit hunc sermonem in forma dubitationis, cum dixit: SI IGITUR DICENDUM EST, excusando se a dubitatione accidente in partibus istius diffinitionis. Perfectio enim in anima rationali et in aliis virtutibus anime fere dicitur pura equivocatione, ut declarabitur post. Et ideo potest aliquis dubitare, et dicere quod anima non habet diffinitionem universalem. Et ideo dixit: SI IGITUR, etc. Et quasi dicit: si igitur fuerit concessum nobis quod possibile est invenire sermonem universalem comprehendentem omnes partes anime, erit ille sermo iste. Deinde dixit: ET IDEO NON EST PERSCRUTANDUM, etc. Idest, et cum declaratum est quod anima est prima perfectio corporis naturalis, et quod animatum non habet hoc esse nisi ex eo quod habet animam, non est dubitandum

Page 139

quomodo anima et corpus, cum sint duo, fiunt idem, sicut non est dubitandum hoc in cera et in ferro cum figura existente in eis, et universaliter in materia cuiuslibet et in re que existit in illa materia. Hec nomina enim, scilicet UNUM et ENS, licet dicantur pluribus modis, tamen prima perfectio in omnibus istis, scilicet forma, magis digna est ut habeat hoc nomen, scilicet UNUM et ENS, quam illud quod est congregatum ex materia et forma. Congregatum enim non dicitur unum nisi per unitatem existentem in forma; materia enim non est hoc nisi per formam. Et si materia et forma essent in composito existentes in actu, tunc compositum non diceretur unum nisi sicut dicitur in rebus que sunt unum secundum contactum et ligamentum. Modo autem, quia materia non differt a forma in composito nisi potentia, et compositum non est ens in actu nisi per formam, tunc compositum non dicitur unum nisi quia sua forma est una. Et quasi innuit per hoc questionem contingentem dicentibus quod anima est corpus; et est quomodo illud quod congregatur

ex anima et corpore fiat unum.

8. IAM IGITUR DIXIMUS QUID EST ANIMA UNIVERSALITER.
ET EST SUBSTANTIA SECUNDUM HANC INTENTIONEM, SCILICET
SECUNDUM ILLUD QUOD HOC CORPUS EST QUOD EST; QUEMADMODUM,
SI ALIQUOD INSTRUMENTUM ESSET CORPUS
NATURALE, UT SECURIS, TUNC ACUMEN SECURIS
ESSET SUBSTANTIA ET EIUS ANIMA SECUNDUM HANC INTENTIONEM.
ET IDEO, CUM ISTUD EST ABSTRACTUM, NON

412b10

Page 140

ERIT SECURIS POST NISI EQUIVOCE. MODO AUTEM
ERIT SECURIS POST; ANIMA ENIM NON EST QUIDITAS
TALIS CORPORIS ET INTENTIO EIUS, SED EST CORPORIS TALIS
NATURALIS HABENTIS PRINCIPIUM MOTUS ET QUIETIS.

412b15

412b17

Cum predixit quod anima est substantia, deinde declaravit
quod est forma et perfectio, incepit hic inducere
modum per quem potest accidere certitudo quod forme
naturales sint substantie; et hoc est necessarium in
hoc loco. Et dixit: IAM IGITUR DIXIMUS, etc. Idest, declaratum
est igitur ex hoc quod diximus quid est anima universaliter.
Et secundum quod diximus in hac diffinitione anima
est substantia secundum intentionem per quam dicimus in re
per quam hoc corpus naturale est quod est substantia, non alio
modo. Deinde dedit exemplum de corporibus
artificialibus, et fecit differentiam in hoc inter corpora
naturalia et artificialia. Essentie enim rerum artificialium
sunt accidens; et ideo existimaverunt quidam quod ita est
de essentiis corporum naturalium. Et dixit: QUEMADMODUM,
SI ALIQUOD INSTRUMENTUM, etc. Idest, et forme et essentie
corporum naturalium sunt substantie. Quoniam,
quemadmodum si aliquod instrumentum esset corpus
naturale, ut securis, (idest si ymaginati fuerimus ipsum esse
ens naturale), tunc acumen securis esset eius substantia.
Deinde dedit rationem super hoc. Et dixit: ET SIMILITER ISTA
CUM ABSTRACTA EST, etc. Idest, et necesse est in securi, si esset
ens naturale, ut eius acumen esset substantia. Securis
enim non dicitur nisi illud quod congregatum est ex

Page 141

materia, scilicet ferro, et forma, que est acumen. Et si acumen
auferatur, et esset securis corpus naturale, tunc securis
non esset, quia materia et forma non essent, nisi diceretur
securis equivoce. Et illud per cuius ablationem aufertur
hec substantia est substantia; est enim pars eius;
pars autem substantie est substantia. Deinde dixit: MODO
AUTEM ERIT POST SECURIS. Idest, modo autem, quia securis
est corpus artificiale, licet acumen sit ablatum ab eo, tamen
post dicitur securis per suam figuram; figura enim
propria ei eadem est in eo cum acuitate et sine.
Et hoc quod dixit manifestabitur ex hoc quod dico.
Manifestum est enim per se quod hoc nomen SECURIS, sive
fuerit naturale sive artificiale, dicitur de illo congregato
ex illo quod est quasi forma in eo, et ex eo quod est
quasi materia. Et etiam manifestum est per se quod SECURIS
dicitur de aliquo individuorum substantie. Et sic necesse

est ut hoc nomen quod dicitur de eo secundum quod est individuum substantie sit dictum de eo secundum materiam et formam insimul. Unde necesse est ut utrunque sit substantia; partes enim substantie sunt substantia. Et sic necesse est, cum forma fuerit ablata, ut hoc nomen auferatur ab eo, scilicet nomen quod demonstrat ipsum secundum quod est individuum. Aut dicamus quod hoc nomen non dicitur de eo nisi secundum materiam tantum, v.g. secundum quod est corpus ferreum? Et tunc forma erit in eo accidens; et tunc necesse erit, si forma fuerit ablata, ut hoc nomen quod dicitur de eo secundum quod dicitur individuum substantie remaneat. Sed quia forme rerum naturalium cum fuerint ablate auferentur materie, et nullum ens remanet nisi equivoce,

Page 142

necesse est, cum posuerimus securim esse corpus naturale, et ablata fuerit acuitas, que est in eo quasi forma, ut auferatur materia et non remaneat ens. Cum igitur forma fuerit ablata secundum hanc intentionem, statim auferetur hoc nomen SECURIS, quod demonstrat ipsum secundum quod est individuum substantie. Quoniam per ablationem forme aufertur materia; et cum materia et forma auferuntur, nichil remanet de eis que demonstrantur per hoc nomen secundum quod demonstrat aliquod individuorum substantie, nisi sit aliud individuum; et tunc non dicitur securis nisi equivoce. Forme igitur naturales substantie sunt, quia, cum fuerint ablate, aufertur nomen quod demonstrat ens secundum quod est individuum substantie, et similiter diffinitio que est secundum illud nomen; quia auferuntur genus et differentia, quorum unum demonstrat materiam et aliud formam; v.g. quod, cum sensus aufertur a carne, non remanet caro, nisi equivoce, sicut caro mortui. Forma autem artificialis, quia, cum aufertur, non aufertur materia, sed remanet nomine et diffinitione (quoniam, cum figura securis aufertur, remanet ferrum idem sicut ante nomine et diffinitione), necesse est et recte ut remaneat nomen eius, scilicet securis, quod demonstrat hoc instrumentum secundum quod est individuum substantie, licet acuitas auferatur. Et hoc fuit quia nomen dicitur in rebus naturalibus primo de forma et secundo de congregato; in rebus autem artificialibus econtrario, scilicet quia primo de materia, secundo de congregato. In rebus igitur artificialibus demonstrat individuum substantie secundum suam primam significationem quia significat materiam; et in rebus individuis substantie naturalibus demonstrat ipsum secundum suam primam significationem quoniam

Page 143

significat formam. Hoc enim individuum non est hoc nisi per suam formam, non per suam materiam.

Materia enim nullum habet esse in actu in corporibus naturalibus secundum quod est materia, et esse non est in actu nisi forme. Et hoc valde manifestatur in formis rerum simplicium, quoniam, cum forma fuerit ablata, nichil remanet. Et in rebus artificialibus nichil est hoc nisi per suam

materiam, non per suam formam. Et sic declarabitur tibi differentia inter naturalia et artificialia, et intelliges hoc quod dicit Aristoteles, et auferetur dubitatione que inducit credere quod forme sunt accidentia. Deinde dixit: ANIMA ENIM NON EST, etc. Idest, et est de anima econtrario acuitati; nomen enim aufertur ab animato per ablationem anime, et remanet in securi, licet acumen auferatur. Anima enim non est talis corporis in quo est acuitas, scilicet corporis artificialis organici, sed naturalis. Et hoc intendebat cum dixit TALIS. Et hoc quod dixit PRINCIPIUM MOTUS ET QUIETIS est dispositio corporis naturalis.

9. ET CONSIDERANDUM EST QUOD DICITUR DE HOC IN MEMBRIS 412b17
ETIAM. OCULUS ENIM SI ESSET ANIMAL, TUNC
VISUS ESSET ANIMA EIUS; ISTE ENIM EST SUBSTANTIA
OCULI, QUE EST SECUNDUM SUAM INTENTIONEM. ET CORPUS 412b20
OCULI EST MATERIA VISUS, QUI CUM DEFICIT,
NON DICETUR OCULUS NISI EQUIVOCE, SICUT DICITUR
DE OCULO LAPIDEO. ET ACCIPIENDUM EST ILLUD
QUOD DICITUR DE PARTE IN TOTO CORPORE; PROPORTIO
ENIM PARTIS AD PARTEM EST SICUT TOTIUS
SENSUS AD TOTUM SENSIBILE. 412b25

Page 144

Cum declaravit quod ita est anima de corpore sicut forma in materia (forma enim in corporibus naturalibus magis habet hoc nomen SUBSTANTIA quam materia), et quod individuum non sit individuum nisi per formam (quia non est individuum nisi secundum quod est ens in actu, et est ens in actu per suam formam, non per suam materiam), et declaravit hoc ratione, vult modo declarare hoc exemplariter. Et dixit: ET CONSIDERANDUM EST QUOD DICTUM EST IN MEMBRIS. Idest, et hoc quod dictum est in anima, quoniam est substantia quia cum aufertur aufertur nomen ab animato, verificatur in membris habentibus proprie virtutes particulares anime sensibilis. Deinde dedit exemplum in hoc de oculo. Et dixit: OCULUS ENIM SI ESSET ANIMAL, etc. Idest, quoniam proportio visus ad oculum est sicut proportio anime ad corpus, si fuerimus ymaginati quod oculus esset animal, necesse esset ut visus esset anima eius. Visus enim tunc esset substantia anime secundum illud quod est, et oculus esset materia illius anime. Deinde dixit: QUI CUM DEFICIT, etc. Idest, et quia manifestum est de visu quod, cum deficit, non remanet post oculum, nisi equivoce, sicut oculus factus de lapide aut formatus in pariete, qui non habet de intentione oculi nisi tantum figuram, et quod visus est substantia oculi, manifestum est quod anima debet habere talem dispositionem cum corpore, scilicet quod, cum aufertur, aufertur nomen ab animato, et non remanet animatum, nisi equivoce; v.g. quod, cum animalitas fuerit ablata ab aliquo individuo, animal non remanet animal, nisi equivoce; quapropter anima est substantia. Et quia iam posuit primo

Page 145

quod ita est de parte sicut de toto, et quod possibile est ut habeamus certitudinem de toto considerando hoc in partibus, incepit declarare modum ut iudicium totius

et partis sit idem in hoc loco. Et dixit: COMPARATIO ENIM PARTIS AD PARTEM, etc. Idest, et necesse est ut ita sit de toto sicut De parte in hac intentione, quoniam comparatio alicuius membri apud suam formam particularem sensibilem in essendo substantiam illius membri est comparatio totius sensus ad totum corpus sensibile. Et hoc quod dixit manifestum est. Comparatio enim visus, qui est pars sensus, ad oculum est sicut comparatio totius sensus ad totum corpus. Et quia comparatio est eadem, et visus est substantia, igitur anima erit substantia.

10. ET ILLUD QUOD HABET POTENTIAM UT VIVAT NON EST ILLUD A QUO ABLATA EST ANIMA, SED ILLUD QUOD HABET ANIMAM. SEMEN AUTEM ET FRUCTUS SUNT IN POTENTIA CORPUS TALE. QUONIAM, SICUT SECARE ET ASPICERE SUNT PERFECTIONES, ITA ET VIGILIE. ET SICUT VISUS EST POTENTIA INSTRUMENTI, ITA ANIMA; CORPUS AUTEM EST ILLUD QUOD EST IN POTENTIA. ET SICUT OCULUS EST VISUS ET MEMBRUM, ITA ANIMAL EST ANIMA ET CORPUS. 412b25 413a1 413a3

Quia accepit in diffinitione anime potentiam, que dicitur equivoce, incepit declarare quam intentionem intendit, et complere declarationem illius et prime et secunde intentionis, hoc modo declarationis a quo modo incepit, scilicet exemplariter. Et dixit: ET ILLUD QUOD HABET POTENTIAM UT VIVAT, etc. Idest, et cum dicimus in corpore.

Page 146

scilicet quod est quod habet potentiam ut vivat, non intendimus per hoc sicut dicimus in eo quod non habet habitum et formam quibus potest agere et pati (quemadmodum dicimus quod semen et fructus habent potentiam ut vivant, et quod sanguis menstruus habet potentiam ut sentiat aut moveatur), sed dicimus hoc in habente animam in actu qua agit aut patitur, sed in illo tempore neque agit neque patitur, sicut animal dormiens. Et cum demonstravit hoc de potentia que est prima perfectio, dedit differentiam inter istam et potentiam que non est anima in suo esse, et incepit etiam declarare exemplariter differentiam inter primam perfectionem in rebus habentibus formas et secundam. Et dixit: ET SICUT ABSCINDERE ET ASPICERE, etc. Idest, et sicut abscindere in securi et aspicere in oculo sunt postrema perfectiones istarum rerum, ita vigilia est postrema perfectio animalis sensibilis. Et dixit hoc quia manifestum est quod proportio abscisionis ad instrumentum, quando abscindit, et aspectus ad oculum, quando aspicit, est sicut proportio actionis sensuum ad animal in vigilia; vigilia enim est usus sensuum. Et sicut ista dispositio est postrema perfectio oculi, sic vigilia est postrema perfectio animalis. Deinde dixit: ET SICUT VISUS EST POTENTIA INSTRUMENTI, SIC ANIMA. Idest, et sicut visus, quando animal non utitur ipso, dicitur esse potentia qua oculus videt, ita dicimus quod anima est potentia qua animal vivit, quando animal non agit per illas actiones anime. Deinde dixit: CORPUS AUTEM EST ILLUD QUOD EST IN POTENTIA. Idest, corpus autem

animalis est illud quod recipit illam potentiam, aut illud quod dicitur illam virtutem habere. Et dicitur potentia quia

Page 147

quandoque agit et quandoque non; et dicitur potentia in tempore in quo non agit. Deinde dixit: ET SICUT OCULUS EST MEMBRUM ET VISUS, ITA ANIMAL EST ANIMA ET CORPUS. Idest, et sicut hoc nomen OCULUS dicitur de illo membro, quod est corpus compositum, et de virtute visibili, que est in eo, ita ANIMAL dicitur de anima et corpore. Et sermo eius in hoc capitulo est manifestus.

11. QUONIAM AUTEM ANIMA NON EST ABSTRACTA
A CORPORE, AUT PARS EIUS, SI INNATA EST DIVIDI, NON
LATET; EST ENIM QUARUNDAM PARTIUM PERFECTIO.
SED NICHIL PROHIBET UT HOC SIT IN QUIBUSDAM
PARTIBUS, QUIA NON SUNT PERFECTIONES ALICUIUS REI
EX CORPORE. ET CUM HOC NON DECLARATUR UTRUM
ANIMA CORPORI SIT SICUT GUBERNATOR NAVI.
SECUNDUM IGITUR HUNC MODUM DETERMINANDUM
EST HOC DE ANIMA SECUNDUM EXEMPLUM
ET DESCRIPTIONEM.

413a4

413a5

413a10

Cum accepit in diffinitione anime universali quod est perfectio corporis naturalis, incepit declarare quantum apparet ex hac diffinitione de abstractione aut non abstractione. Et dixit: QUONIAM AUTEM ANIMA, etc. Idest, quoniam autem manifestum est ex hoc quod dictum est in diffinitione anime quod impossibile est quod anima sit abstracta a corpore aut secundum omnes partes aut per aliquam partem eius, si innata est dividi, non latet. Apparet enim quod quedam virtutes eius sunt perfectiones partium corporis, secundum quod forme naturales perficiuntur per materiam; sed tale impossibile est ut sit abstractum ab eo per quod perficitur.

Page 148

Deinde dixit: SED TAMEN NICHIL PROHIBET, etc. Idest, sed hoc non est manifestum in omnibus partibus eius, cum sit possibile ut aliquis dicat quod quedam pars eius non est perfectio alicuius membri corporis, aut dicat quod, licet sit perfectio, tamen quedam perfectiones possunt abstrahi, ut perfectio navis per gubernatorem. Propter igitur hec duo non videtur manifestum ex hac diffinitione quod omnes partes anime non possunt abstrahi. Et Alexander dicit quod ex hac diffinitione apparet quod omnes partes anime sunt non abstracte. Et nos loquemur de hoc quando loquemur de virtute rationabili. Deinde dixit: SECUNDUM IGITUR HUNC MODUM, etc. Idest, tanta igitur cognitio est data a talibus diffinitionibus, que inducte sunt exemplariter, et secundum sermones universales, sicut nos fecimus hic; idest quod non notificant rem perfecta notificatione, quousque appareant ex ea omnia convenientia illi rei. Et ideo, cum perscrutati fuerimus de unaquaque partium anime secundum diffinitionem propriam cuilibet, apparebit tunc hec intentio et alia intentionum querendarum in anima.

ii.2

12. ET QUIA RES MANIFESTA QUE EST MAGIS PROPINQUA 413a11
IN SERMONE AD INTELLIGENDUM EST EX REBUS
LATENTIBUS, SED MAGIS APPARENT, QUERENDUM
EST ETIAM UT TALI CURSU CURRAMUS IN ANIMA. OPORTET
ENIM UT SERMO DIFFINIENS NON TANTUM DEMONSTRET
QUID EST RES, SED ETIAM CAUSA ERIT INVENTA ET MANIFESTA 413a15
IN EO. MODO AUTEM INTENTIONES DIFFINITIONUM
SUNT QUASI CONCLUSIONES; V.G. QUADRATURA, ET

Page 149

EST INVENIRE SUPERFICIEM RECTORUM ANGULORUM
EQUALIUM LATERUM EQUALEM LONGO; ET ISTA DIFFINITIO
EST INTENTIO CONCLUSIONIS. DICENS AUTEM QUOD QUADRATURA
EST INVENIRE MEDIUM IN RE NARRAVIT CAUSAM. 413a20

Quia cognitio acquisita ex hac diffinitione non sufficit
in cognitione substantie cuiuslibet partis anime
(quoniam hec diffinitio est universalis omnibus
partibus anime et dicta de eis multipliciter, et tales diffinitiones
non sufficiunt in cognitione rei perfecte cum fuerint
universales univoce, nedum cum sint universales
multiplices; querendum est enim post ad sciendum unamquamque
partium que collocantur sub illa diffinitione cognitione
propria, cum diffinitio non dicatur de eis univoce),
incepit ergo hic demonstrare viam ad cognitionem
diffinitionum que appropriantur cuilibet partium
in rebus ignoratis, et causam propter quam non sufficiunt
diffinitiones in talibus rebus. Et dixit: ET QUIA RES
MANIFESTA QUE EST MAGIS PROPINQUA, etc. Idest, et quia via
naturalis in cognitione causarum propinquarum rebus
est ire de latentibus apud Naturam apparentibus
apud nos, et est ire de posterioribus in esse ad priora,
ut dictum est in Posterioribus, oportet nos ire in cognitione
diffinitionum propriarum unicuique partium anime
per istam viam. Et nulla via est in cognitione talium
diffinitionum, scilicet que componuntur ex propinquis
causis propriis rei, cum fuerint ignote, nisi a posterioribus
apud nos. Deinde dixit: OPORTET ENIM UT SERMO DIFFINIENS
NON TANTUM DEMONSTRET, etc. Idest, et causa propter

Page 150

quam non sufficiunt in cognitione rei tales diffinitiones
universales est quia oportet ut sermo diffiniens perfecte non tantum
demonstret genus rei, sicut faciunt plures diffinitiones,
sed sermo diffiniens debet demonstrare causam
rei propriam propinquam existentem in eo in actu, scilicet
formam, non genus. Et cum notificavit hoc, narravit
cuiusmodi diffinitionum est diffinitio quam querit in unaquaque
partium anime, et cuiusmodi diffinitio est diffinitio predicta.
Et dixit: MODO AUTEM INTENTIONES DIFFINITIONUM SUNT QUASI
CONCLUSIONES. Idest, et ista diffinitio quam modo querimus est similis
diffinitionibus que sunt quasi principium demonstrationis; diffinitio
autem universalis predicta est similis diffinitionibus que sunt quasi
[line 48 cont.] demonstrationis
conclusio. Et cum declaravit hoc, dedit exemplum de diffinitionibus
que sunt quasi conclusio, si fuerint ignorate esse in
diffinito aut fuerit causa quesita in eis, et ex diffinitionibus que

non sunt quasi conclusio demonstrationis, sed sunt, si fuerint manifeste per se, principium demonstrationis; et si fuerint ignorate, tunc impossibile est ut declarentur esse in diffinito nisi per argumentum. Et dixit: V.G. QUADRATURA, etc. Idest, et exemplum diffinitionum universalium que sunt quasi conclusio demonstrationis est respondere querenti quid quadratum quod est superficies rectorum angulorum et equalium laterum, equale longo. Deinde dedit exemplum diffinitionis que est quasi principium demonstrationis. Et dixit: DICENS AUTEM QUOD QUADRATURA, etc. Idest, qui autem diffinit quadratum quod est superficies rectorum angulorum equalium laterum, factum super lineam mediam in proportionem inter latera oblongi quod equabitur ei, diffinit quadratum diffinitione que est quasi principium

Page 151

demonstrationis, cum diffiniat ipsum per causam propinquam. Et cum dixit: MODO AUTEM INTENTIONES DIFFINITIONUM SUNT QUASI CONCLUSIONES, non intendebat quod ista diffinitio inducta in anima est conclusio demonstrationis, sed intendebat quod est ex genere istarum diffinitionum, secundum quod tales diffinitiones sunt universales. Et ideo dixit: SUNT QUASI CONCLUSIONES. Iste enim diffinitiones aut sunt conclusiones aut sunt similes diffinitionibus que sunt conclusiones. Neque intendebat etiam quod diffinitio querenda hic in unaquaque partium anime est ex diffinitionibus que sunt quasi principium demonstrationis, ita quod sunt manifeste per se, quia sunt ignorate apud nos, et via ad cognoscendum eas est ex posterioribus, sicut dixit; sed intendebat quod est ex genere illarum diffinitionum. Tales enim diffinitiones aut sunt principium demonstrationis aut sunt similes diffinitionibus que sunt quasi principium demonstrationis. Et ideo sermo eius ita debet legi; SED ETIAM CAUSA ERIT INVENTA ET MANIFESTA IN EA. Idest, sed sermo diffiniens animam perfecte debet esse ut causa propinqua sit manifesta in ea. Et ista diffinitio est ex diffinitionibus que assimilantur diffinitionibus que sunt principia demonstrationis, inquantum est propria diffinitio. Diffinitio autem quam dedimus modo in anima est ex diffinitionibus que assimilantur diffinitionibus que sunt conclusiones demonstrationis, secundum quod est generalis omnibus partibus anime, et non est inducsta in ea causa propinqua.

13. INCIPIAMUS IGITUR QUERERE ET DICERE QUOD ANIMATUM
DISTINGUITUR A NON ANIMATO VIVENDO. ET

413a20

Page 152

QUIA VIVERE DICITUR MULTIS MODIS, SI IN RE FUERIT
INVENTUS ALIQUIS EORUM UNUS TANTUM, DICEMUS QUIA VIVIT,
V.G. INTELLECTUS ET SENSUS ET MOTUS ET QUIES
IN LOCO ET NUTRIRI ET DIMINUI ET AUGERI.

413a25

Cum notificavit diffinitionem anime universliter, et notificavit quantum dant tales diffinitiones de cognitione rei, et quod diminute faciunt cognoscere, non perfecte, cum sint universales et quasi conclusio demonstrationis, et quod diffinitio querenda in unaquaque partium anime est similis diffinitionibus propriis que sunt quasi principia

demonstrationis, et quod tales diffinitiones cum fuerint non manifeste esse in diffinito, sicut contingit in partibus anime, oportet tunc ire ad cognitionem earum ex rebus posterioribus, que sunt magis note apud nos, scilicet compositis, dixit: INCIPIAMUS Igitur QUERERE, etc. Idest, dicamus igitur quod, quia notum est apud nos quod animatum non differt a non animato nisi per vitam, vivum autem dicitur multipliciter, idest per multas actiones que sunt in eo, manifestum est quod omne de quo dicitur una illarum intentionum aut una illarum actionum aut plures una quod est animatum. Et hoc intendebat cum dixit: SI INVENTUS FUERIT IN RE ALIQUIS EORUM, etc. Deinde numeravit actiones attributas vite. Et dixit: V.G. INTELLIGERE ET SENTIRE ET MOVERI ET QUIESCERE IN LOCO ET NUTRIRI ET DIMINUI ET AUGERI. Idest, et iste actiones attribute vite sunt quatuor generum, quarum una est intelligere, secunda sentire, tertia moveri et quiescere in loco, quarta nutriri et augeri et diminui.

Page 153

14. ET IDEO OMNIA VEGETABILIA REPUTANTUR VIVERE;
EXISTIT ENIM IN EIS POTENTIA ET VIRTUS ET
PRINCIPIUM PER QUOD RECIPIUNT AUGMENTUM
ET DIMINUTIONEM IN DUOBUS LOCIS CONTRARIIS.
NON ENIM AUGENTUR ET DIMINUUNTUR SUPERIUS,
ET INFERIUS NON; SED SUPERIUS ET INFERIUS
SIMILITER. ET OMNE QUOD
[line 6 cont.] NUTRITUR
NECESSARIO VIVIT, ET NON VIVIT NISI DUM POTEST
ACCIPERE NUTRIMENTUM.

413a25

413a30

413a31

Quia vita magis latet in motu nutrimenti et augmenti et diminutionis quam in aliis actionibus quas numeravit, incepit declarare quod ista actio attribuitur anime quia impossibile est attribui virtutibus elementorum ex quibus componuntur corpora que agunt actiones nutrimenti et augmenti. Et dixit: ET IDEO OMNIA VEGETABILIA, etc. Idest, et quia motus nutrimenti et augmenti et diminutionis numeratus est apud nos in actionibus animati, opinamur quod omnia vegetabilia sunt viva, in quibus videmus existere principium quo agunt motum diminutionis et augmenti in duobus locis contrariis, scilicet superius et inferius. Corpus enim simplex aut compositum ad unam partem movetur; quoniam, si simplex fuerit, movebitur aut superius aut inferius; si compositum, movebitur secundum elementum dominans. Et quia corpus augmentabile videtur moveri ad utranque partem ab eodem principio, scilicet ramos et radices, necesse est ut hoc principium sit neutrum, neque grave neque leve; et tale dicitur anima. Et quia augmentum est perfectio actionis nutrimenti, fuit necesse ut principium

Page 154

quod agit nutrimentum esset ex genere eius
quod agit augmentum; principium igitur nutrimenti
est anima necessario. Et ideo omne animal dicitur

vivere, dum nutritur.

15. ET HOC POSSIBILE EST UT SEPARETUR; 413a31
ALIA AUTEM IMPOSSIBILE EST UT SEPARENTUR
AB HOC IN REBUS MORTALIBUS. ET HOC APPARET
IN VEGETABILIBUS; NON EST ENIM IN EIS NEQUE UNA
VIRTUS ALIA AB ISTA EX VIRTUTIBUS ANIME. 413b1

Cum numeravit genera virtutum anime, incepit
demonstrare ordines istarum virtutum adinvicem. Et dixit:
ET HOC POSSIBILE EST UT SEPARETUR AB ALIIS REBUS. Idest, et hoc
principium existens in animato possibile est ut separetur
ab aliis principiis anime que numeravimus, a sensu scilicet et
motu et intellectu. Deinde dixit: ET IMPOSSIBILE EST UT
SEPARENTUR AB HOC IN REBUS MORTALIBUS. Idest, et impossibile
est ut hoc principium separetur, scilicet nutritivum, ab aliis
principiis anime, idest sensu et motu et intellectu, in rebus
que innate sunt mori. Et dixit hoc quia corpora celestia
manifeste videntur intelligere et moveri, sed non nutriri neque
sentire; et ideo dixit: IN REBUS MORTALIBUS, cum declaratum est
hec non esse mortalia. Deinde dixit: ET HOC APPARET IN VEGETABILIBUS,
etc. Idest, et apparet quod hoc principium quod est nutrimentum
et augmentum separatur ab aliis virtutibus
anime, in hoc quod videtur sensui in vegetabilibus.
In istis enim nulla virtus videtur ex virtutibus anime

Page 155

nisi ista. Et innuit contradictionem contra fingentes
quod plante habent sompnum et vigiliam.

16. Vivere IGITUR DICITUR DE OMNI VIVO PER HOC PRINCIPIUM; 413b1
animal AUTEM PER SENSUM. OMNIA
ENIM QUE NON MOVENTUR NEQUE MUTANT LOCUM
SED TANTUM HABENT SENSUM VOCANTUR ANIMALIA, ET
NON SUMUS CONTENTI IN DICENDO EA VIVA TANTUM. 413b4

Vult facere differentiam inter hanc virtutem et virtutem
sensus per nomina posita apud eos. Et dixit: VIVERE IGITUR,
etc. Idest, dicere igitur aliquid vivere non dicitur in hac
lingua, scilicet Greca, nisi de omni quod vivit per hoc principium
quod est nutrimentum et augmentum, non per
aliud. Deinde dixit: ANIMAL AUTEM, etc. Idest, hoc nomen autem ANIMAL
[line 11 cont.] non dicitur
nisi de omni quod habet principium sensus, inquantum habet
hoc principium tantum, licet non habeat principium motus
in loco. Et signum eius est spongia maris, et multa
ex habentibus testam, que habent sensum, tamen non
moventur; et dicuntur ANIMALIA, non tantum VIVA.

17. ET PRIMUS SENSUS EXISTENS IN EIS OMNIBUS EST 413b4
TACTUS. ET QUEMADMODUM NUTRITIVUM POTEST 413b5
SEPARARI A TACTU ET AB OMNI SENSU, ITA TACTUS POTEST
SEPARARI AB ALIIS SENSIBUS. ET INTELLIGO PER
nutritivum PARTEM ANIME IN QUA HABENT
COMMUNICATIONEM PLANTE ETIAM. ET OMNIA ANIMALIA
VIDENTUR HABERE SENSUM TACTUS. 413b9

Et prima virtus sensus, que est prior naturaliter in esse aliis virtutibus sensus, est sensus tactus; quoniam, sicut virtus nutritiva potest separari in plantis a tactu et ab omni virtute sensu, ita tactus potest separari ab aliis sensibus; idest, cum fuerit inventus, non est necesse ut inveniatur alii sensus, et cum alii sensus fuerint inventi, necesse est ut ille inveniatur. Est igitur prior naturaliter aliis sensibus, sicut nutrimentum est prius naturaliter sensu tactus. Deinde dixit: ET OMNIA ANIMALIA VIDENTUR HABERE SENSUM TACTUS. Idest, et iste sensus est necessarius omnibus animalibus inter omnes modos sensus; omne enim animal habet sensum tactus, non autem sensum visus aut alium, sed animal perfectum Et sermo eius est manifestus.

18. CAUSA AUTEM PROPTER QUAM UTRUNQUE ISTORUM 413b9
DUORUM CONTINGIT DICENDA EST POST. IN HOC 413b10
AUTEM LOCO TANTUM EST DICENDUM, SCILICET QUOD ANIMA EST
PRINCIPIUM ISTORUM QUE DIXIMUS, SCILICET NUTRITIVI ET
SENSIBILIS ET DISTINGUENTIS ET MOVENTIS. 413b13

Causa autem propter quam virtus nutritiva videtur separari ab aliis virtutibus et antecedere eas naturaliter, et similiter tactus cum aliis virtutibus sensus, dicenda est post, scilicet causa finalis. Et hoc fecit in fine istius libri. Deinde dixit: IN HOC AUTEM LOCO, etc. Idest, in hoc autem loco tantum declaratum est, scilicet quod anima dividitur in hec quatuor genera, et quod substantia eius

est in istis principiis; alia autem querenda perscrutaturus est post.

19. UTRUM IGITUR UNAQUEQUE ISTARUM SIT ANIMA, 413b13
AUT PARS ANIME? ET SI EST PARS ANIME, UTRUM EST
PARS SECUNDUM QUOD EST ABSTRACTA IN SOLA INTENTIONE, 413b15
AUT IN LOCO ETIAM? QUONIAM AUTEM QUEDAM
SUNT SIC NON EST DIFFICILE AD SCIENDUM; IN
QUIBUSDAM AUTEM EST DUBITATIO. 413b16

Cum declaravit quod virtutes anime sunt plures una, et posuit hoc positione quasi manifesta per se, dixit: UTRUM IGITUR UNAQUEQUE ISTARUM, etc. Idest, utrum igitur unumquodque istorum principiorum existentium in animali sit anima aut non, et si est anima, utrum est anima per se aut pars anime, et si est pars anime, utrum est pars et alia in essentia et in loco ex corpore in animato, perscrutandum est. Et intendit per hoc quod dixit: UTRUM EST ANIMA AUT PARS ANIME, utrum est possibile ut unum istorum sit in animali absque anima, aut impossibile est ut sit in animali absque alio cuius est pars. Et cum narravit hoc, incepit demonstrare diversitatem dispositionum eorum in unoquoque modo animalium. Et dixit: QUONIAM AUTEM QUEDAM SUNT SIC NON EST DIFFICILE, etc. Idest, quoniam autem iste virtutes in quibusdam animalibus sunt eadem in subiecto et alia in diffinitione

non est difficile; in quibusdam autem difficile est, et habet dubitationem. Et similiter, utrum unumquodque

Page 158

istorum principiorum sit in anima aut non in quibusdam est manifestum et in quibusdam latet.

20. QUONIAM, QUEMADMODUM IN PLANTIS EST QUIDDAM QUOD, SI
DIVIDITUR, VIVIT ET SEPARATUR ABINVICEM, 413b16
QUASI ANIMA QUE EST IN EO EST EADEM IN FIGURA
IN OMNIBUS VEGETABILIBUS, IN POTENTIA
AUTEM PLURA, ITA ACCIDIT IN ALIO MODO ANIME 413b20
IN ANIMALIBUS ANULOSIS QUANDO ABSCINDUNTUR;
UTRAQUE ENIM PARS HABET SENSUM ET MOTUM IN LOCO.
ET OMNE HABENS SENSUM HABET DESIDERIUM
ET YMAGINATIONEM; UBI ENIM INVENITUR SENSU,
ILLIC INVENITUR VOLUPTAS, ET CUM ISTA INVENIUNTUR,
INVENITUR NECESSARIO APPETITUS. 413b24

Cum narravit quod non est difficile in pluribus animalibus declarare quod iste virtutes sunt eedem in subiecto et plures in intentione, incepit demonstrare hoc. Et dixit: QUONIAM, SICUT PLANTARUM QUIDDAM, SI ABSCINDATUR, etc. Idest, et quemadmodum videmus quod quedam plantarum licet dividantur vivunt partes, postquam separantur abinvicem, vita propria plantis, ita quod anima que est in illo vegetabili quasi sit in forma una in actu in illo vegetabili et plures in potentia (idest quod potest dividi in animas que sunt eedem in forma cum anima existente in eo), ita est in aliquo modo animalium, scilicet anuloso, scilicet quod, postquam abscinduntur, faciunt partes de actionibus vite illud quod faciebat illud animal. Et cum narravit quod, postquam

Page 159

dividitur iste modus, habent partes omnes actiones quas totum habebat, incepit declarare quomodo hoc apparet in omnibus. Potest enim aliquis dicere quod pars non habet ex actionibus totius, in hoc animali quod dixistis, nisi sensum et motum tantum, non alias partes anime, que est ymaginatio et concupiscentia. Et dixit: QUONIAM UTRAQUE PARS HABET, etc. Idest, et diximus quod omnes virtutes anime in hoc animali videntur eedem in subiecto, quia sentimus quod utraque pars, postquam dividitur, habet sensum et motum in loco; et omne habens sensum et motum necesse est ut habeat desiderium et ymaginationem. Quoniam, ubi existit sensus, illic necesse est ut existat voluptas et tristitia apud comprehensionem rei sensibilis; et cum illic fuerit voluptas et tristitia, illic erit necessario motus ad illud voluptuosum et motus a contristante; et illud ad quod est motus non est in actu delectabile aut contristans; unde necesse est ut sit ymaginatum et desideratum. In omni igitur parte istius animalis existit anima sensibilis et desiderativa et ymaginativa movens in loco; quoniam, quando motus in loco fuerit propter voluptatem et tristitiam, necessario erunt due virtutes illic. Sed tamen debes scire quod in quibusdam animalibus virtus ymaginativa

semper est coniuncta cum sensu, non quando sensatum est absens; et est animal diminutum; in eis autem que sunt perfecta invenitur in absentia sensatorum.

21. INTELLECTUS AUTEM ET VIRTUS SPECULATIVA, NICHIL ADHUC DECLARATUM EST DE EIS. SED TAMEN VIDETUR

413b24
413b25

Page 160

QUOD HOC SIT ALIUD GENUS ANIME, ET ISTE SOLUS POTEST ABSTRAHI, SICUT SEMPITERNUM ABSTRAHITUR A CORRUPTIBILI.

413b27

Cum dixit quod querendum est in unoquoque istorum principiorum utrum sit anima aut non, incepit declarare virtutem que non videtur esse anima, sed manifestius est de ea ut sit non anima. Et dixit: INTELLECTUS AUTEM ET VIRTUS SPECULATIVA, etc. Idest, intellectus autem in actu, et virtus que perficitur per intellectum in actu, adhuc non est declaratum utrum sit anima aut non, sicut est declaratum de aliis principiis, cum ista virtus non videatur uti in sua actione instrumento corporali sicut alie virtutes anime utuntur. Et ideo non fuit manifestum ex predicto sermone utrum sit perfectio aut non. Omne enim in quo manifestatur aut manifestabitur quod perficitur secundum quod forme perficiuntur per materias necessario est anima. Et cum declaravit quod hoc latet in intellectu, incepit demonstrare que pars duarum partium contradictoriarum in hac intentione querenda est magis manifesta in opinione hominum et secundum quod apparet, donec hoc declaretur ratione demonstrativa post. Et dixit: SED TAMEN VIDETUR ESSE ALIUD GENUS ANIME, etc. Idest, sed tamen melius est dicere, et magis videtur esse verum post perscrutationem, ut istud sit aliud genus anime, et si dicatur anima, erit secundum equivocationem. Et si dispositio intellectus sit talis, necesse est ut ille solus inter omnes virtutes anime sit possibilis ut abstrahatur a corpore et non corrumpatur per suam

Page 161

corruptionem, quemadmodum sempiternum abstrahitur. Et hoc erit cum quandoque non copulatur cum illo et quandoque copulatur cum illo.

22. ALIE VERO PARTES ANIME MANIFESTUM EST QUOD SUNT NON ABSTRACTE SICUT DICUNT QUIDAM, SED QUOD SUNT DIVERSE IN INTENTIONE. ESSE ENIM ALICUIUS IN SENSU ALIUD EST A SUO ESSE IN COGITATIONE; SENTIRE ENIM ALIUD EST A COGITARE. ET SIMILITER DE UNAQUAQUE ALIARUM PREDICTARUM.

413b27

413b30
413b32

Cum declaravit quod latet de intellectu utrum sit abstractus aut non, quamvis manifestius est ut sit abstractus, secundum quod est non anima, incepit describere quod contrarium est in aliis partibus anime, et quod videntur esse non abstracte. Et dixit: ALIE VERO PARTES ANIME, etc. Idest, manifestum est ex sermonibus predictis in diffinitione anime

quod alie partes anime non sunt abstracte; declaratum est enim in unaquaque earum quod est perfectio corporis naturalis organici. Perfectio enim est finis et complementum perfecti; finis autem non separatur a finito; unde necesse est ut ille partes anime sint non abstracte. Et cum declaravit quod dubium est de quibusdam harum virtutum utrum sint abstracte aut non, et quod in quibusdam manifestum est quod sunt non abstracte, incepit demonstrare quid est illud quod manifeste videtur existere in omnibus; et est illud quod hec quatuor genera

Page 162

sunt diversa secundum intentionem. Et dixit: SED TAMEN MANIFESTUM EST QUOD SUNT DIVERSE SECUNDUM INTENTIONEM, etc. Idest, sed tamen manifestum est per se quod omnes iste virtutes sunt diverse secundum sensum et intentionem, et quod esse virtutis que constituitur per sensum aliud est ab esse virtutis que constituitur per considerationem, cum actio cuiuslibet istarum sit alia ab actione sui comparis. Sentire enim, quod est actio virtutis sensus, aliud est ab intelligere, quod est actio virtutis intellectus. Deinde dixit: ET SIMILITER CUIUSLIBET ALIORUM PREDICTORUM. Idest, et similiter apparet in diversitate aliarum virtutum predictarum in intentione et diffinitione, quia differunt etiam in actionibus.

23. QUONIAM AUTEM QUEDAM ANIMALIA HABENT

413b32

OMNIA ISTA, ET QUEDAM UNUM TANTUM, ET QUOD HOC

FACIT DIVERSITATEM INTER ANIMALIA, ET QUARE,

414a1

PERSCRUTANDUM EST POST. ET SIMILE HUIC CONTINGIT IN

SENSIBUS ETIAM. QUEDAM ENIM HABENT OMNES SENSUS, ET

QUEDAM QUOSDAM, ET QUEDAM UNUM; ET EST

ILLUD QUOD EST VALDE NECESSARIUM, SCILICET TACTUS.

413a3

Quoniam autem quedam animalia habent istas quatuor virtutes, et quedam habent quasdam istarum virtutum, et quedam habent unam tantum, et qui modi sunt isti modi animalium, et quod hoc inducit diversitatem inter animalia, et qua de causa inducuntur hec in animalibus,

Page 163

dicendum est post. Hoc enim quod accidit animalibus in quatuor virtutibus anime quas numeravimus, simile accidit animalibus in virtutibus sensus tantum; quedam enim animalia habent quinque virtutes sensus, et quedam quasdam tantum, ut talpa, et quedam unum, scilicet tactum, ut spongia maris. Et sermo eius in hoc capitulo est manifestus per se.

24. ET QUIA ILLUD PER QUOD VIVIMUS ET SENTIMUS

414a4

DICITUR DUOBUS MODIS, ET SIMILITER DICIMUS IN RE PER

414a5

QUAM SCITUR, QUORUM UNUS EST SCIENTIA ET ALIUS

ANIMA, QUONIAM PER UTRUNQUE ISTORUM DICIMUS QUOD SCIMUS

(ET SIMILITER DICIMUS IN RE PER QUAM SANATUR QUOD UNA

EST SANITAS ET ALIA ALIQUOD MEMBRUM CORPORIS

AUT TOTUM CORPUS); SCIENTIA AUTEM EX ISTIS

ET SANITAS EST ALIQUA FORMA ET INTENTIO IN ACTU

ILLIS DUOBUS RECIPIENTIBUS (HOC ENIM RECIPIT

414a10

SCIENTIAM ET HOC RECIPIT SANITATEM; EXISTIMATUR ENIM

QUOD ACTIO AGENTIUM NON EST NISI IN RECIPIENTE PASSIONEM
ET DISPOSITIONEM); ET ANIMA EST ILLUD
PER QUOD PRIMO VIVIMUS ET SENTIMUS ET DISTINGUIMUS;
NECESSE EST IGITUR UT SIT ALIQUA INTENTIO
ET FORMA, NON QUASI MATERIA ET QUASI SUBIECTUM.

414a14

Modo reversus est ad declarandum quod anima est substantia
secundum formam, non secundum materiam, neque secundum
compositum ex eis, scilicet corpus. Et dixit: ET QUIA ILLUD PER
QUOD VIVIMUS ET SENTIMUS, etc. Idest, et quia manifestum
est per se quod actio nutrimenti et sensus et scientie et aliarum

Page 164

virtutum anime attribuuntur nobis per duo, quorum
unum est per ipsam virtutem, et aliud per habens illam
virtutem v.g. quod sensus attribuitur nobis per sensum
et per ipsum sentiens; quandoque enim dicimus quod videmus
per visum, et quandoque per oculum; et similiter in scientia
quandoque dicimus quod scimus per scientiam, et quandoque per
animam, que est virtus habens scientiam; et similiter
est de omnibus virtutibus animati; v.g. quod dicimus
quandoque quod sumus sani sanitate, et quandoque per corpus
sanum aut per membrum sanum. Et cum posuit
hanc propositionem pro manifesta per se et per inductionem,
incepit ponere aliam propositionem. Et dixit: ET SCIENTIA
EST EX ISTIS, etc. Idest, et apparet quod unum istorum duorum,
quod est quasi scientia de anima, et sanitas
de corpore, est forma, et aliud est materia.
Forma enim est ex istis, et est intentio que invenitur in
duobus recipientibus ea, scilicet in sapiente scientiam et in
recipientem sanitatem. Unde necesse est ut omnis actio
attributa alicui enti propter aliqua duo existentia in eo,
ut unum eorum sit materia et aliud forma; sed dimisit
hanc conclusionem, quia bene apparebat ex his que
posuit. Deinde dixit: EXISTIMATUR ENIM QUOD ACTIO AGENTIUM, etc. Idest,
et diximus quod unum eorum duorum est forma; et est
illud quod est quasi scientia et sanitas, quia sanitas et
scientia et similia sunt actiones agentis, scilicet dantis sanitatem
et largientis, et actio agentis est illud quod existit
in recipiente, et est forma; unde necesse est ut scientia
sit existens quasi forma, et anima quasi materia. Et
cum declaravit quod omnis actio attributa alicui enti

Page 165

propter aliqua duo, necesse est ut alterum eorum sit
materia et alterum forma, et fuerit manifestum quod propter
formam attribuitur actio enti primitus, et quod
actiones animati videntur attribui corpori et anime,
sed primo anime et secundo corpori, manifeste concluditur ex
hoc quod anima est forma et corpus materia. Et dixit: ANIMA
AUTEM EST ILLUD PER QUOD VIVIMUS, etc. Sed
non propalavit nisi quasdam istrum propositionum,
et dimisit quasdam quia erant manifeste. Et sillogismus
sic componitur: Actiones animati attribuuntur
corpori et anime insimul; et omnis actio que attribuitur
alicui enti propter aliqua duo, necesse est ut unum
eorum sit materia et aliud forma; ergo alterum

istorum duorum, scilicet corporis et anime, est forma, et alterum materia. Et cum coniunxerimus huic quod propter formam attribuitur actio primitus enti, et quod ista convertitur, et coniunxerimus sue converse quod actio attribuitur animato per animam primitus, concluditur ex hoc quod anima est forma, et corpus materia.

25. QUONIAM AUTEM SUBSTANTIA DICITUR TRIBUS MODIS, 414a14
SICUT DIXIMUS, MATERIA SCILICET ET FORMA ET COMPOSITUM 414a15
EX EIS, ET MATERIA ISTORUM EST POTENTIA, ET
FORMA EST ENDELECHIA, ET QUOD FIT EX EIS EST ANIMATUM,
TUNC CORPUS NON EST PERFECTIO ANIME, SED
ANIMA EST PERFECTIO ALICUIUS CORPORIS. 414a19

Ista est alia declaratio a predicta quod anima est substantia secundum formam, non secundum materiam. Sed quia ista declaratio dat causam et esse, prima autem

Page 166

dat tantum esse, induxit eam quasi causam sermonis predicti. Et dixit: et quia iam prediximus quod substantia dicitur tribus modis, materia et forma et compositum ex eis, et esse materie est in potentia, et esse forme est in endelechia et actu, et compositum ex anima et corpore est animatum, ita quod per alterum eorum est in potentia animatum et per alterum in actu, manifestum est quod anima est endelechia corporis, non corpus anime; est enim animatum in actu per animam, et quod est in actu debet esse endelechia eius quod esset in potentia, et non econtrario. Et quasi intendebat, cum dixit: ET QUOD EST EX EIS EST ANIMATUM, idest, et quia quod est ex eis est animatum in actu per [line 21 cont.]animam et in potentia per corpus, necesse est ut corpus non sit endelechia anime, sed anima corporis.

26. ET PROPTER HOC BENE EXISTIMAVERUNT DICENTES 414a19
QUOD ANIMA NON EST EXTRA CORPUS NEQUE EST CORPUS. 414a20
CORPUS AUTEM NON EST, SED PER CORPUS,
ET PROPTER HOC EST IN CORPORE, ET IN TALI CORPORE,
NON SICUT FECERUNT ANTIQUI IN PONENDO
EAM IN CORPORE ABSQUE DETERMINATIONE ILLIUS
CORPORIS, QUOD CORPUS SIT ET CUIUSMODI; ET HOC
LICET NON QUODCUNQUE RECIPIAT QUANCUNQUE. 414a25

Et propter hoc quod apparuit de anima, quod est endelechia corporis naturalis, recte dixerunt opinantes

Page 167

quod anima non est extra corpus, neque est corpus. Endelechia enim talis est, scilicet ut sit in corpore et quod non sit corpus. Corpus enim non perficitur per corpus, cum corpus non sit innatum ut sit in subiecto. Et hoc intendebat cum dixit CORPUS AUTEM NON EST, SED IN CORPORE. Quoniam autem est corpus, secundum quod est perfectio, non est possibile, sed existit in corpore. Deinde dixit: ET PROPTER HOC EST IN CORPORE, etc. Idest, et ex hoc modo quem dedimus in substantia anime possibile est dare causam propter quam

anima existit in corpore et corpus recipiens eam est tale,
non ex illo modo quem dederunt Antiqui in substantia
anime, cum dixerunt quod est corpus et quod intrat aliud corpus,
et non determinaverunt que natura est natura illius
corporis, et quare habuit proprium ut esset animatum
absque aliis corporibus, et ex quo modo fuit consimilitudo
inter hec duo corpora, scilicet quod unum recipit alterum,
cum non quodcunque recipit quodcunque. Necesse est enim
istis hominibus dare causam propter quam hoc corpus recipit
illud corpus quod est anima. Et necesse est eis dicere quare
hoc corpus quod est anima existit proprie in hoc corpore
et non in aliis. Et hoc intendebat cum dixit: ABSQUE
DETERMINATIONE ILLIUS CORPORIS, QUOD CORPUS SIT, scilicet receptum,
ET CUIUSMODI, scilicet recipiens. Et dixit hoc quia diffinitiones
demonstrative innate sunt dare causas omnium que videntur in diffinito;
et si diffinitio non erit talis, non erit diffinitio.

ii.3

27. ISTE AUTEM VIRTUTES ANIME QUAS DIXIMUS
INVENIUNTUR IN QUIBUSDAM ANIMALIBUS OMNES,

414a29

414a30

Page 168

SICUT DIXIMUS, ET IN QUIBUSDAM QUEDAM,
ET IN SINGULARIBUS INVENITUR UNA.
ET APPELLAMUS VIRTUTES NUTRITIVAM ET SENSIBILEM
ET DESIDERATIVAM ET MOVENTEM IN LOCO
ET DISTINGUENTEM. ET ISTARUM IN PLANTIS EST
SOLA NUTRITIVA, IN ALIIS VERO EST ISTA ET SENSIBILIS
ET DESIDERATIVA; DESIDERIUM ENIM EST APPETITUS
ET IRA ET VOLUNTAS. ET OMNIA ANIMALIA HABENT
SALTEM UNUM SENSUM, SCILICET TACTUM. ET OMNE
HABENS SENSUM HABET VOLUPTATEM ET TRISTITIAM,
ET OMNE HABENS ISTAS HABET APPETITUM; APPETITUS
ENIM EST DESIDERIUM VOLUPTABILIS.

414b1

414b5

414b6

Cum voluit incipere loqui in unaquaque virtutum anime,
incepit primo numerare eas esse, et quod quedam
animalia habent proprie quasdem earum, secundum quod Artifex
ponit subiectum sue artis. Artifex enim necesse est ut
ponat subiectum de quo loquitur, et dividit genera eius
quasi manifesta in esse; Artifex enim non potest demonstrare
subiectum sue artis neque species illius subiecti.
Et quod dixit in hoc capitulo est manifestum. Et hoc
quod dixit IN SINGULARIBUS, intendit: et in paucis. Idest,
et in paucis animalibus existit una virtus sensuum, scilicet
tactus. Deinde dixit: ET APPELLAMUS VIRTUTES, etc. Idest, et cum
dixerimus VIRTUTES, intelligenda est virtus nutritiva et
sensibilis. Et intendit per NUTRITIVAM omnia principia
que agunt in nutrimento; et sunt tria, scilicet nutritivum
et augmentativum et diminutivum. Et intendit
per DESIDERATIVAM appetitum ad cibum. Et ideo separavit

Page 169

ipsum a moventi in loco, et posuit ipsum genus per se,
cum ista virtus inveniatur in animalibus que non moventur.
Et intelligit per DISTINGUENTEM intelligentem.
Deinde dixit: ET ISTARUM IN PLANTIS, etc. Idest, in plantis autem
invenitur sola nutritiva; in animalibus vero sensus, qui est

tactus, et desiderium, quod est desiderium nutrimenti;
et hoc est commune omnibus. Deinde dixit: DESIDERIUM ENIM EST
APPETITUS ET IRA ET VOLUNTAS. Idest, et intendimus per DESIDERIUM
appetitum; desiderium enim dicitur de appetitu et
de ira et voluntate et universaliter de pluribus. Et
voluit declarare quod appetitus existit in omni animali
habente sensum, quia hoc non fuit manifestum sensui.
Et dixit: ET OMNE HABENS SENSUM HABET VOLUPTATEM. Et sermo
eius in hoc capitulo est manifestus.

28. ET ETIAM HABET SENSUM CIBI, QUONIAM DISTINCTIO
CIBI EST SENSUS. OMNE ENIM VIVUM NON
NUTRITUR NISI PER SICCA ET HUMIDA ET CALIDA
ET FRIGIDA, ET TACTUS SENTIT ISTA. SENTIRE AUTEM
ALIA SENSIBILIA EST SECUNDUM ACCIDENS IN NUTRIMENTO,
QUONIAM NON IU VATUR ALIQUID IN NUTRIMENTO PER VOCEM
NEQUE PER COLOREM NEQUE PER ODOREM; SAPOR
AUTEM EST UNUM TANGIBILIMUM. FAMES AUTEM
ET SITIS EST APPETITUS: FAMES AUTEM CALIDI
ET SICCI, SITIS VERO FRIGIDI ET HUMIDI. SAPOR AUTEM
EST QUASI CAUSA ISTORUM.

414b6

414b10

414b14

Page 170

Cum posuit quod omne animal habet sensum tactus et
desiderium ad nutrimentum, et in declarando hoc non
sufficit inductio, incepit declarare hoc ratione. Et dixit: ET
ETIAM HABET SENSUM NUTRIMENTI. Idest, et etiam necesse est ut
omne animal habeat sensum per quem comprehendat conveniens
et inconveniens ex nutrimentis, ut expellat nocivum
et attrahat iuvativum. Et hoc fuit quia nutrimentum
eius non existit in potentia in pluribus rebus
sicut est in plantis (et ideo plante non indigent sensu
quo distinguant cibum). Et iste locus indiget magna consideratione.
Et cum narravit quod necesse est quod omne animal habeat
sensum quo distinguat cibum, incepit declarare qui sensus
est iste sensus qui est necessarius in distinguendo cibum. Et dixit:
OMNE ENIM VIVUM NON NUTRITUR, etc. Idest, et quia omne vivum non
nutritur nisi per siccum et humidum et calidum et frigidum, cum
nutrimentum est loco eius quod dissolvitur ex elementis ex
quibus componitur, necesse est ut sensus nutrimenti sit sensus
qui innatus est comprehendere has qualitates, et iste
est sensus tactus. Et quasi dicit: et quia omne vivum non nutritur
nisi per siccum et humidum et calidum et frigidum, et
sensus tactus est illud quod sentit ista, necesse est ut tactus
sit sentiens quod distinguit cibum; omne igitur animal
habet tactum necessario. Deinde dixit: SENTIENS AUTEM ALIA
SENSIBILIA, etc. Idest, sensus autem comprehendentes alia sensibilia
accidentaliter sentiunt cibum, idest non sunt necessarii
in distinguendo cibum secundum quod est cibus, cum
accidentaliter sentiant cibum; sensibilia enim eorum non

Page 171

sunt in cibo secundum quod est cibus. Et hoc intendebat cum dixit:
QUONIAM NON DEBET ESSE IN CIBO, etc., idest secundum quod est cibus.
Deinde dixit: SAPOR AUTEM EST UNUM TANGIBILIMUM. Idest, sapor
autem, si existit in cibo secundum quod est cibus, est unus
modorum rerum tangibilium, et sensus gustus est aliquis

tactus. Et propter hoc quod dixit opinandum est quod iste sensus existit etiam in omni animali, sicut sensus tactus, cum sit quasi species eius; et post declarabitur qualiter est in rei veritate. Et cum narravit quod frigidum et calidum et humidum et siccum existunt in cibo secundum quod est cibus, et quod sapor existit in eo secundum quod est cibus, incepit declarare modum secundum quem existit quodlibet istorum in cibo. Et dixit: ET FAMES ET SITIS EST, etc. Idest, sed si sapor existit in cibo in eo quod est cibus, tamen prime qualitates existunt in eo primo et essentialiter. Et signum eius est quia, cum animal desiderat cibum non desiderat nisi calidum et frigidum et humidum et siccum. Fames enim est appetitus calidi et sicci, et sitis frigidi et humidi. Et non desiderat dulce neque amarum; sapor autem est coniunctus cum istis qualitatibus. Et hoc intendebat cum dixit: SAPOR AUTEM EST CAUSA ISTORUM, idest causa quod animal sciret conveniens ex illis et non conveniens. Et non intendebat hic per CAUSAM causam in esse; prime enim qualitates sunt causa saporis. Et forte intelligit quod sapor est causa propter quam animal utitur cibo propter delectationem coniunctam cum eo.

Page 172

29. ET DECLARANDUM EST HOC POST. IN HOC LOCO	414b14
AUTEM CONTENTI SUMUS HAC DETERMINATIONE; ET	
EST QUOD OMNE VIVUM HABENS TACTUM HABET DESIDERIUM.	414b15
DE YMAGINATIONE AUTEM LATET, ET	
QUERENDUM EST POST. ET PONAMUS CUM HOC	
MOVENS IN LOCO ETIAM. ET IN ALIIS DISTINGUENS	
ET INTELLECTUS, UT IN HOMINIBUS ET IN ALIIS REBUS,	
SI FUERINT SIC AUT MELIORES.	414b19

Quia vult ponere hic numerum istarum virtutum secundum quod Artifex ponit subiecta sue artis, non vult ponere nisi illud quod manifestum est per se, et dimittit alia, que non sunt manifesta, quousque perscrutetur de eis. Et ideo dixit: ET HOC DECLARANDUM EST POST. IN HOC AUTEM LOCO CONTENTI SUMUS HAC DETERMINATIONE, idest que est manifesta per se aut fere, scilicet quod omne animal carens tactu caret desiderio; hoc enim manifestum est per se. Deinde narravit quod hoc latet de ymaginatione. Et dixit: DE YMAGINATIONE AUTEM LATET, idest utrum ymaginatio existit in omni habente sensum tactus aut non. Deinde dixit: ET PONAMUS CUM HOC MOVENS IN LOCO. Idest, et ponamus pro manifesto quod omne motum in loco est ymaginans. Et potest intelligi: et ponamus in numero istarum virtutum que manifeste videntur et differunt in diffinitione et essentia virtutem moventem in loco; et intendit virtutem concupiscibilem. Deinde dixit: ET IN ALIIS DISTINGUENS ET INTELLECTUS. Idest, et ponamus etiam pro manifesto quod virtus cogitativa et intellectus existunt in aliis modis animalium que non

Page 173

sunt homines, et quod proprie sunt in aliquo genere,

ut in hominibus, aut in alio genere, si demonstratio surgat quod alia sunt huiusmodi; et hoc erit si fuerint equales hominibus aut meliores eis.

30. DICAMUS IGITUR QUOD MANIFESTUM EST QUOD EX VIA
HUIUS EXEMPLI EADEM ERIT DIFFINITIO ANIME ET DIFFINITIO
FIGURE. NON ENIM EST ILLIC PERFECTIO EXTRA VIRTUTES
PREDICTAS, SED POSSIBILE EST IN FIGURIS ETIAM
UT SIT DIFFINITIO UNIVERSALIS CONVENIENS OMNIBUS
FIGURIS ET NON SIT PROPRIA ALICUI EARUM;
ET SIMILITER IN OMNIBUS PREDICTIS. ET IDEO QUI
QUESIERIT IN ISTIS ET IN ALIIS SERMONEM UNIVERSALEM
QUI NON EST NEQUE PROPRIUS ALICUI EX
OMNIBUS NEQUE EST SECUNDUM MODUM HUNC
CONVENIENTEM QUI NON DIVIDITUR, ET DIMISERIT
TALEM SERMONEM, IUSTUM EST UT DERIDEATUR.

414b20
414b25
414b28

Cum genera accepta in diffinitionibus aut sunt univoca, ut ANIMAL in diffinitione hominis, aut dicta multipliciter, ut ENS et POTENTIA et ACTUS, inceptit declarare cuiusmodi sit genus acceptum in diffinitione anime, et dixit quia neque est equivocum neque univocum. Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD MANIFESTUM EST, etc. Idest, dicamus quod manifestum est ex exemplo quod illud quod dat diffinitio anime universalis ex intentione communi omnibus partibus anime est simile illi quod dat diffinitio figure universalis omnibus figuris. Manifestum est enim per se quod, sicut nulla perfectio est alicuius partis anime extra perfectionem universalem quam

Page 174

accepimus in diffinitione omnium virtutum, etsi iste virtutes sunt diverse in intentione propria unicuique earum, ita non est hic figura aliqua extra diffinitionem figure universalis, licet figure differant abinvicem in terminis propriis (quedam enim est rotunda et quedam recta et quedam composita ex utroque). Et hoc exemplum est valde simile diffinitioni anime; non est enim ex diffinitionibus equivocorum nominum (quoniam, si ita esset, tunc Geometria esset Sophistica), neque etiam ex generibus que dicuntur univoce (quoniam, si ita esset, tunc necesse esset alterum duorum: aut ut sit hic una virtus in diffinitione et in nomine, in qua communicent omnes virtutes quas numeravimus, quemadmodum modi animalium communicant in diffinitione animalitatis simplicis; aut ut omnes virtutes anime sint eedem in diffinitione et essentia). Et cum narravit quod diffinitio anime per exemplum est similis diffinitioni figure, inceptit dare modum consimilitudinis. Et dixit: SED POSSIBILE EST IN FIGURIS ETIAM, etc. Idest, et ista diffinitio non est univoca, sed quemadmodum possibile est in omnibus figuris, licet differant, ut habeant diffinitionem universalem magnam convenientem omnibus eis, licet multum differant in diffinitione et in essentia, sic possibile est ut iste virtutes diverse habeant unam diffinitionem universalem convenientem omnibus, sicut diffinitio figure convenit omnibus figuris et nulli appropriatur. Deinde dixit: ET IDEO QUI QUESIERIT, etc. Idest, et propter hoc quod diximus, qui quesiverit in anima

et in aliis similibus entibus unam diffinitionem universalem que non appropriatur alicui ex omnibus, et non est talis qualis ista diffinitio quam dedimus in anima, sed sicut universalitas diffinitionis animalitatis simplicis specierum animalis, neque etiam est una, idest unius nature diffinitio non divisibilis secundum speciem, et dimiserit talem diffinitionem qualem dedimus, iustum est ut derideatur, cum isti duo modi diffinitionis non inveniantur in talibus naturis, et non invenitur in eis nisi este modus diffinitionis quo usi sumus. Qui enim laborat in dando in anima primum modum diffinitionis est in hoc quod laborat in querendo impossibile, sicut qui dimittit hanc diffinitionem in dimittendo possibile; dimittere enim possibile est simile secundum locutionem ad querere impossibile.

31. ET DISPOSITIO DE ANIMA SIMILIS EST DISPOSITIONI IN FIGURIS; INVENITUR ENIM SEMPER IN POTENTIA	414b28
IN FIGURIS ET IN REBUS ANIMATIS PRECEDENS IN CONSEQUENTE, V.G. TRIANGULUS IN QUADRATO, ET NUTRITIVUM IN SENSIBILI. OPORTET IGITUR QUERERE IN QUOLIBET QUID EST SECUNDUM SUAM DIFFINITIONEM; V.G. ANIMA PLANTE QUID EST, ET ANIMA BRUTI QUID EST. ET QUERENDUM EST QUIDEM QUA DE CAUSA SUNT TALIS DISPOSITIONIS EX CONSEQUENTIBUS, CUM SENSIBILE NON SIT SINE NUTRITIVO, SED SENSIBILE SEPARATUR IN PLANTIS; ET ETIAM NULLUS ALIORUM SENSUUM SIT EXTRA TACTUM SED TACTUS EST EXTRA ALIOS SENSUS; MULTA ENIM VIVA NON HABENT VISUM NEQUE AUDITUM NEQUE ODORATUM NEQUE ALIUM SENSUM.	414b30
	415a1
	415a5
	415a6

Cum declaravit quod diffinitio anime est similis diffinitioni figure, incepit declarare modum consimilitudinis et demonstrare cuius nature est naturarum diffinitionum. Et dixit: ET DISPOSITIO IN ANIMA SIMILIS EST, etc. Idest, et dispositio in rebus que continentur in diffinitione anime est sicut dispositio in rebus que continentur in diffinitione figure. Quemadmodum enim invenitur in figuris prius et posterius, et prius existit in potentia in posteriori, ita est de virtutibus anime; v.g. in figuris, quod triangulus est prior quadrato, et trinagulus existit in potentia in quadrato; et ideo, si quadratum est, triangulus est, et non econtrario. Et similiter in virtutibus anime; nutritivum enim prius est sensibili, et existit in eo in potentia; et si sensibile est, nutritivum est, et non econtrario. Et cum declarvit naturam istius diffinitionis, et quantum largitur de cognitione, dixit: OPORTET IGITUR QUERERE IN QUOLIBET QUID EST, etc. Idest, et cum declaratum est quod ista diffinitio anime est de genere diffinitionis figure, et quemadmodum non sufficit in cognitione figure rectorum linearum et figure circularis cognitio figure simpliciter, ita est in diffinitione anime universalis, querendum est igitur, post cognitionem istius diffinitionis universalis, diffinitionem propriam uniuscuiusque virtutis

anime, scilicet que est anima plantarum, et que est anima hominis propria [line 38 cont.] illi, et que bruti. Deinde dixit: ET OPORTET QUERERE QUA DE CAUSA SUNT TALIS DISPOSITIONIS. Idest, et oportet perscrutari etiam quere invenitur in virtutibus anime prius et consequens. Sensibile enim impossibile est ut sit absque nutritivo; nutritivum autem potest esse absque sensibili; et hoc est in

Page 177

plantis. Et etiam apparet quod impossibile est ut aliquis quatuor sensuum sit sine tactu; tactus autem potest esse extra alios sensus. Plura enim animalia carent visu et auditu et odoratu et gustu (et hoc intendebat cum dixit: NEQUE ALIUM SENSUM). Et iste locus indiget consideratione. Existimatur enim quod gustus est unus modorum tactus, secundum quod dixit superius; sed si aliquod animal nutritur ex rebus carentibus sapore, tunc gustus istius animalis non erit nisi secundum calidum et frigidum et humidum et siccum.

Aut intendit, cum dixit: NEQUE ALIUM SENSUM, idest, quod alius sensus non distinguitur in ultimo, idest in fine, a sensu tactus secundum quod invenitur in animalibus perfectis. Et universaliter opinandum est quod, si aliquid habet sensum tactus et nutritur a suis radicibus, sicut plante nutriuntur, ut dicitur de spongia maris, istud animal habet sensum tactus sine gustu. Et forte innuit tales istos modos animalium; omne enim animal habens os habet aliquem gustum.

32. ET EX EIS QUE SENTIUNTUR EST QUOD QUEDAM HABENT MOTUM IN LOCO ET QUEDAM NON. COMPLEMENTUM AUTEM ET FINIS EST ILLUD QUOD HABET COGNITIONEM ET DISTINCTIONEM. OMNE ENIM EX REBUS CORRUPTIBILIBUS HABENS COGNITIONEM HABET OMNIA ALIA; HABENS AUTEM ALIQUOD ILLORUM NON EST NECESSE UT HABEAT COGNITIONEM, SED QUEDAM NON HABENT YMAGINATIONEM, ET QUEDAM NON VIVUNT NISI PER ISTA TANTUM. INTELLECTUS AUTEM SPECULATIVUS ET COGNITATIVUS, SERMO IN EO EST ALIUS. DECLARATUM EST IGITUR QUOD SERMO IN UNAQUAQUE ISTARUM VIRTUTUM EST SERMO MAGIS CONVENIENS IN ANIMA. 415a6 415a10 415a13

Page 178

Et comprehenditur sensu quod quedam animalia moventur in loco (et est modus perfectus), et quedam non. Complementum autem animalium et finis eorum, qui intendebatur in generatione, quem cum Natura potuit pertingere, stetit, est modus animalium habens virtutem speculativam et cogitativam, idest intelligibilem. Deinde dixit: OMNE ENIM EX REBUS CORRUPTIBILIBUS, etc. Idest, et apparet quod omne habens virtutem cogitativam ex rebus generabilibus et corruptibilibus necessario habet alias virtutes anime. Et dixit hoc preservando se de corporibus celestibus; declaratum est enim quod illa non habent de virtutibus anime nisi concupiscentiam et intellectum. Deinde dixit: QUOD AUTEM HABET UNUM ILLORUM, etc. Idest, habens autem unam virtutum que sunt priores naturaliter intellectu non est necesse ut habeat cogitationem aut intellectum; sed quedam

non habent ymaginationem, nedum haberent cogitationem, et quedam vivunt per illa que sunt sub ymaginatione ex virtutibus prioribus ea. Et hoc intendebat cum dixit: ET QUEDAM VIVUNT PER ISTA TANTUM. Deinde dixit: SERMO AUTEM DE INTELLECTU SPECULATIVO, etc. Idest, sermo de eo est ita quod sit extra istam naturam; existimatur enim quod non est anima neque pars anime. Et innuit nobilitatem eius, et diversitatem illius ad alias partes; opinandum est enim quod est ex natura superiori nature anime. Deinde dixit: DECLARATUM EST ENIM, etc. Idest, declaratum est enim ex predictis quod primum quod intenditur de scientia anime, quod est magis conveniens sermoni in anima, est loqui de anima uniuscuiusque istarum virtutum.

Page 179

ii.4

33. ET INDIGET NECESSARIO QUI VOLUERIT PERSCRUTARI DE ISTIS SCIRE UNAMQUANQUE ISTARUM QUE SIT; DEINDE POST PERSCRUTETUR DE CONTINGENTIBUS ILLIS. ET SI NECESSE EST DICERE UNAMQUANQUE ILLARUM QUE SIT, V.G. INTELLECTUS QUID SIT, ET SENTIENS QUID SIT, ET NUTRITIVUM QUID SIT, OPORTET PREDICERE INTELLIGERE QUID SIT; ACTIONES ENIM ET OPERATIONES ANTECEDUNT IN INTELLECTU VIRTUTES. ET SI ITA SIT, ET CONSIDERARE DE ALIIS REBUS OPPOSITIS ISTIS DEBET PRECEDERE CONSIDERATIONEM DE ISTIS, OPORTET NOS UT INTENDAMUS AD DIFFINIENDUM ILLAS PRIMO PROPTER ISTAM CAUSAM, V.G. CIBUM, ET SENSATUM, ET INTELLECTUM.

415a14

415a15

415a20

415a22

Cum declaravit quod diffinitio universalis anime predicta non sufficit in cognitione sue substantie, incepit dicere quid oportet scire de anima post illam diffinitionem. Et dixit: ET INDIGET NECESSARIO, etc. Idest, et oportet necessario illum qui voluerit acquirere perfectam cognitionem de anima perscrutari de unaquaque virtutum anime per se, quousque sciat per demonstrationem unamquamque illarum que sit, et quam naturam habet, v.g. perscrutari quid est intellectus, et quid est sensus; deinde post hoc perscrutari de unicuique contingentibus istarum virtutum, universalibus et propriis, v.g. utrum virtus intelligibilis possit abstrahi aut non. Et cum declaravit illud. quod oportet nos perscrutari de anima, incepit demonstrare

Page 180

viam ad hanc cognitionem, et quod est ex eis que sunt magis nota apud nos et sunt posteriora in esse, ad ea que sunt magis nota apud Naturam, que sunt priora in esse. Et dixit: ET SI NECESSE EST DICERE UNAMQUANQUE ISTARUM, etc. Idest, et si oportet, secundum quod declaravimus, scire que est unaquaque istarum virtutum, necesse est prescire actiones proprias unicuique istarum virtutum que sunt, v.g. quid est intelligere per intelligens, et sentire per sentiens, et nutrire per nutriens. Cognitio enim actionum istarum virtutum prior est apud nos in nostra prima cognitione quam cognitio istarum virtutum. Et cum narravit quod cognitio actionum debet precedere cognitionem virtutum, narravit etiam quod cognitio patientium

illas actiones debet precedere cognitionem illarum actionum, propter illam eandem causam propter quam debet precedere cognitio actionum cognitionem virtutum. Et dixit: ET SI ITA SIT, etc. Idest, et si ita sit, scilicet quod debemus ire semper de eis que apud nos sunt magis nota ad illa que apud Naturam sunt magis nota, et considerare de rebus oppositis istis virtutibus (et sunt passiva earum) debet precedere considerationem in actionibus et in virtutibus, necesse est prescire primo cibum quid sit, qui est passivum virtutis nutritive, et sensatum quid sit, et intellectum quid sit, antequam sciatur nutriri et sentire que sunt. Et vocabit ea opposita; passivum enim et activum videntur esse quoquo modo opposita.

Page 181

34. OPORTET IGITUR PRIMO LOQUI DE NUTRIMENTO	415a22
ET GENERATIONE. ANIMA ENIM NUTRITIVA EST	
PRIOR IN OMNIBUS VIVENTIBUS, ET EST UNIVERSALIOR	
VIRTUTIBUS ANIME QUIBUS VIVUM VIVIT. ET ACTIONES	415a25
ISTIUS SUNT GENERARE, ET UTI NUTRIMENTO;	
ACTIO ENIM QUE EST MAGIS CONVENIENS NATURE OMNIS	
VIVENTIS, EX EIS QUE SUNT PERFECTA ET NON HABENT	
OCCASIONEM NEQUE GENERANTUR CASU PER SE,	
EST UT AGAT ALIUD SIMILE. ANIMAL IGITUR FACIT ANIMAL	
ET PLANTA PLANTAM, ITA QUOD HABEAT COMMUNICATIONEM	
CUM SEMPITERNO DIVINO SECUNDUM SUUM	
POSSE. OMNIA ENIM DESIDERANT HOC, ET PROPTER HOC	415b1
AGIT OMNE QUOD AGIT NATURALITER.	415b2

Cum declaravit que diffinitio est magis universalis inter omnes anime, et quantum largitur de cognitione, et quod non sufficit in cognitione substantie anime perfecte, et quod est necessarium prescire quamlibet virtutum anime per suam diffinitionem propriam, et quot modis sunt iste virtutes diverse, et quomodo adunantur, incepit narrare quod oportet primo incipere de cognitione istarum virtutum ab ea que est valde prior, scilicet nutritiva, et quod primo debet considerari de passivis et de actionibus istarum virtutum. Et dixit: OPORTET IGITUR PRIMO LOQUI DE NUTRIMENTO ET GENERATIONE, etc. Idest, et cum declaratum est quod primo oportet considerare de actionibus et de passivis ante ipsas virtutes, necesse est ut primo loquamur inter omnes istas actiones de cibo et de generatione, que sunt passivum anime istius et actio. Et est necesse ut

Page 182

primo loquamur de anima nutritiva quia est prior naturaliter aliis rebus per quas aliquid dicitur vivum, et ideo est magis universalis inter alias virtutes anime. Et innuit quod propter prioritatem et eius universalitatem oportet preponi in consideratione; universale enim notius est apud nos quam proprium, ut dictum est alibi. Et cum declaravit hoc, incepit numerare actiones attributas illi, cum ante debemus scire esse quam quid esse. Et dixit: ET ACTIONES ISTIUS SUNT, etc. Idest, et actiones istius virtutis sunt nutrire, et generare, et uti cibo. Et dicimus quod generare est actio istius virtutis quoniam actio que maxime convenit nature

eius quod dicitur vivum per hanc virtutem est generare simile in specie. Et hoc fit tribus conditionibus; quarum una est ut pertingat tempus in quo habet hanc virtutem, cum non sit in effectum in omni tempore; secunda est ut cum hoc non habeat occasionem; ista enim impedit hanc actionem, licet pertingat tempus in quo pervenit ab illo illa actio; tertia est ut illud vivum non sit ex eis que fiunt per se. Quando igitur in vivo fuerint congregata hec tria, tunc generabit. Et hoc intendebat cum dixit: QUONIAM ACTIO QUE MAGIS CONVENIT, etc. Deinde dedit causam finalem propter quam ista virtus existit in animalibus et plantis. Et dixit: ITA UT HABEAT COMMUNICATIONEM CUM SEMPITERNO. Idest, et ista virtus existit in vivo ut generabile et corruptibile communicet cum sempiterno secundum suum posse. Sollicitudo enim divina, cum non potuit facere ipsum permanere secundum individuum, miserta est in dando et virtutem

Page 183

qua potest permanere in specie. Et in hoc non est dubium, scilicet quod melius est in suo esse quod habeat istam virtutem quam ut non habeat. Deinde dixit: OMNIA ENIM HOC DESIDERANT, etc. Idest, et hoc fuit ita quod omnia desiderant permanentiam sempiternam, et moventur erga ipsam secundum quod innata est natura eorum ad recipiendum; et propter hunc finem agunt omnia entia quod agunt naturaliter.

35. ET PROPTER QUID DICITUR DUOBUS MODIS,
QUORUM UNUS EST IN QUO EST, ET ALIUS CUIUS EST.
QUIA IGITUR IMPOSSIBILE FUIT UT HABERET COMMUNICATIONEM
CUM SEMPITERNO DIVINO IN ETERNITATE,
QUIA IMPOSSIBILE EST UT ALIQUOD CORRUPTIBILE
PERMANEAT IDEM IN NUMERO, IDEO HABET
COMMUNICATIONEM QUIDLIBET CUM EO SECUNDUM
SUUM POSSE; ET HOC MAGIS, ET HOC MINUS. ET SIC
PERMANET NON ILLUD IDEM, SED SUUM SIMILE, NEQUE
UNUM IN NUMERO, SED UNUM IN FORMA.

415b2

415b5

415b7

Cum dedit causam finalem propter quam virtus generativa existit in vivo universaliter (et est assimilatio corruptibilis cum sempiterno, secundum quod habet naturam assimilandi), et quod omnia entia faciunt actiones erga istum finem, narravit secundum quot modos dicitur iste finis. Et dixit: ET PROPTER QUID DICITUR DUOBUS MODIS, QUORUM UNUS EST ILLUD QUOD EST IPSE FINIS, ET ALIUS ILLUD IN QUO EST ISTE FINIS; v.g. in hoc sermone, quod omnia entia agunt propter

Page 184

permanentiam sempiternam, et propterea in quibusdam invenitur permanentia sempiterna aut aliqua dispositio permanentie sempiternae. Et cum declaravit hoc, incepit declarare modum in quo generabilia et corruptibilia possunt communicare cum eternis, et causam propter quam diminuta sunt a permanentia sempiterna. Et dixit: QUIA IGITUR IMPOSSIBILE EST, etc. Et intendit per SEMPITERNUM DIVINUM corpus celeste; celestia enim illa permanent secundum individuum. Et per hoc quod dixit: ET HOC MINUS ET HOC MAGIS, intendit generativum et non generativum. Utrunque

enim permanet secundum speciem, sed generativum habet hoc semper, et non generativum in maiori parte temporis et in pluribus subiectis.

36. ANIMA IGITUR EST CORPORIS VIVI CAUSA ET PRINCIPIUM 415b8
TRIBUS MODIS DETERMINATIS. EST ENIM ILLUD 415b10
EX QUO FIT MOTUS, ET ILLUD PROPTER QUOD
FUIT CORPUS; ET ETIAM ANIMA EST CAUSA SECUNDUM QUOD
EST SUBSTANTIA, QUE EST CAUSA ESSE OMNIUM. 415b13

Cum apparuit ex diffinitione universali anime quod anima est causa corporis secundum formam, et apparuit hic quod virtus generativa est causa agens animatum, incepit declarare quod anima non est causa solummodo secundum formam, sed causa [line 9 cont.] secundum tres modos secundum quos dicitur causa; et hoc est tribus modis. Et hoc necessarium est, scilicet prescire hoc antequam loquatur de

Page 185

unaquaque partium anime, licet iam sit declaratum universaliter quod omnis forma naturalis talis est. Et dixit: ANIMA IGITUR EST CORPORIS VIVI CAUSA ET PRINCIPIUM. Et quia hec duo dicuntur multipliciter, similiter anima est causa secundum tres modos determinatos, scilicet causa movens, et finalis, et formalis, que determinate sunt in sermonibus universalibus phisicis. Deinde dixit: EST ENIM ILLUD EX QUO FIT MOTUS, scilicet causa agens motum. Et possumus intelligere ex hoc motum in loco, et generationem, et motum in augmento et diminutione; anima enim est causa agens istos tres motus in animato. Deinde dixit: ET ILLUD PROPTER QUOD FUIT CORPUS, scilicet causa finalis. Corpus enim non fuit nisi propter animam, cum declaratum est quod anima ita est de corpore sicut forma de materia; et declaratum est in sermonibus universalibus quod materia est propter formam tantum, et quod non est aliquod consequens materiam aut aliquod quod sit de necessitate materie, sicut existimabant Antiqui, non concedentes causam formalem esse neque finalem. ET ANIMA ETIAM EST CAUSA, etc. Idest, et anima etiam est causa corporis secundum substantiam et formam, que est causa esse omnium.

37. ET ESSE VIVI EST VIVERE, ET ANIMA EST CAUSA ET 415b13
PRINCIPIUM ISTIUS. ET ETIAM ENDELECHIA EST INTENTIO
EIUS QUOD EST IN POTENTIA ENS. ET MANIFESTUM 415b15
EST QUOD ANIMA EST CAUSA SECUNDUM PROPTER QUID,
QUONIAM, QUEMADMODUM INTELLECTUS NICHIL
AGIT NISI PROPTER ALIQUID, ITA NATURA; ET HOC EST
FINIS EIUS. ET SIMILITER ANIMA IN ANIMALIBUS ET IN OMNIBUS;

Page 186

OMNIA ENIM NATURALIA SUNT ORGANA
ANIME, SICUT IN ANIMALIBUS, SIC ET IN PLANTIS, ITA QUOD EST ETIAM
CAUSA ANIMATI. ET PROPTER QUID DICITUR DUOBUS 415b20
MODIS, QUORUM UNUS EST ILLUD PROPTER QUOD, ET
ALIUS CUIUS EST HOC. ET ANIMA EST ETIAM ILLUD EX QUO
PRIMO FIT MOTUS IN LOCO, SED ISTA VIRTUS NON INVENITUR
IN OMNIBUS VIVIS. ET ALTERATIO ETIAM ET
AUGMENTUM FIUNT PER ANIMAM; SENSUS ENIM

EXISTIMATUR ESSE ALTERATIO ALIQUA, ET NICHIL SENTIT
NISI HABEAT ANIMAM. ET SIC EST DE AUGMENTO
ET DIMINUTIONE; NICHIL ENIM AUGETUR AUT DIMINUITUR
NATURALITER NISI NUTRIATUR, ET NICHIL NUTRITUR
NISI HABEAT PARTEM IN VITA.

415b25

415b28

Cum posuit quod Anima est causa corporis tribus modis
de quibus dicitur hoc nomen CAUSA, incepit declarare
istos modos esse in ea, et in primo quod est causa corporis
secundum formam. Et dixit: ET ESSE VIVI, etc. Idest, et signum
quod anima est forma corporis est quod hoc ens vivum non habet
esse, secundum quod est vivum, nisi per illud per quod vivit,
idest quod est causa istius actionis, scilicet vite; et manifestum
est quod causa istius actionis est anima; ergo hoc esse vivi,
secundum quod est vivum, est per animam. Et illud per quod
ens est hoc est sua forma; ergo anima est forma animati,
cum non est hoc et ens nisi per animam. Et dedit secundam
rationem super hoc. Et dixit: ET ETIAM ENDELECHIA EST INTENTIO EIUS

Page 187

QUOD EST IN POTENTIA ENS. Idest, et etiam anima est, secundum quod iam
declaratum est, perfectio; perfectio autem est forma et intentio
eius quod est in potentia ens; ergo anima est forma.

Et cum declaravit eam esse causam secundum formam, declaravit
etiam eam esse causam secundum finem. Et dixit: ET MANIFESTUM EST
QUOD ANIMA EST ETIAM CAUSA, etc. Idest, et manifestum est per se quod
[line 38 cont.] anima est causa
corporis animati secundum illud propter quod fuit corpus animatum.
Quemadmodum enim multa artificialia non
aguntur nisi propter aliquid, sic etiam est de Natura, scilicet quod non
agit nisi propter aliquid; et hoc est finis Nature, scilicet quod non
agit nisi propter aliquid, sicut Ars non agit nisi propter
aliquid. Deinde declaravit quod istud propter quod Natura
agit naturata videtur esse anima in animalibus, et non solum in
animalibus, sed in omnibus rebus naturalibus. Et dixit: ET SIMILITER
ANIMA IN ANIMALIBUS ET IN OMNIBUS. Idest, et quemadmodum forma
est finis Artis in artificialibus, ita anima est finis Nature in
animalibus et in omnibus naturalibus. Deinde declaravit modum
ex quo apparet quod anima est finis omnium naturalium.
Et dixit: OMNIA ENIM NATURALIA SUNT INSTRUMENTA ANIME, etc. Idest,
et diximus quod anima est finis omnium naturalium quia omnia
naturalia videntur instrumenta anime indifferenter in omnibus
animatis; et sicut videtur in animalibus, ita videtur in
plantis. Deinde dixit: ITA QUOD ETIAM ILLA EST CAUSA ANIMATI, etc. Idest, et
hoc quod diximus de ea non latet, immo est manifestum
per se, adeo quod apparet ex hoc quod anima etiam est causa animati.
Illud enim propter quod dicitur
vobis modis; quorum unus est illud propter quod invenitur

Page 188

aliquid, et ista est proportio anime ad corpus; et
alius est illud cuius est hoc propter quod invenitur aliquid,
et ista est proportio anime ad animatum. Dicimus enim
quod anima et corpus utrunque non sunt nisi propter animatum.
Et cum declaravit eam esse causam secundum formam et
secundum finem, declaravit etiam eam esse causam moventem secundum

omnes modos motuum existentes in animato, sive veros aut existimatos esse motus. Et dixit: ET ANIMA ETIAM EST ILLUD EX QUO PRIMO FIT MOTUS IN LOCO, SED ISTA VIRTUS NON EST IN OMNIBUS VIVIS, idest in omnibus animalibus. Deinde dixit: ET ALTERATIO ETIAM ET AUGMENTUM, etc. Idest, et alteratio attributa sensibus, sicut quidam reputant, si concesserimus eam esse motum, erit per animam, et similiter augmentum et diminutio; nichil enim dicitur habere hunc motum, scilicet sensum, nisi habeat animam. Deinde dixit: ET SIMILITER EST DE AUGMENTO ET DE DIMINUTIONE. Idest, et quemadmodum apparet quod non sentit nisi habens animam, sic apparet quod non augmentatur neque diminuitur nisi illud quod habet communicationem cum animalibus in aliqua parte anime. Nichil enim diminuitur naturaliter aut augmentatur naturaliter nisi habeat virtutem nutriendi, et nichil nutritur nisi habeat communicationem in vita attributa animalibus. Et ideo hoc nomen MORTUUM non dicitur de animali nisi cum caruerit communicatione quam habet cum plantis.

38. EMPEDOCLES AUTEM NON RECTE DIXIT IN HOC ET
VERE, CUM DIXIT QUOD AUGMENTUM QUOD ACCIDIT IN

415b28

Page 189

PLANTIS, IN HOC AUTEM QUOD RAMIFICATUR PER RADICES
INFERIUS, FIT PER MOTUM IPSIUS TERRE NATURALITER
AD ISTAM PARTEM (ET HOC POSUIT CAUSAM),
IN HOC VERO QUOD RAMIFICATUR SUPERIUS, FIT QUIA
IGNIS MOVETUR SIMILITER AD SUPERIUS (ET HOC POSUIT
CAUSAM). HOC ENIM QUOD UTITUR ETIAM IN SUO SERMONE
DE SUPERIORI ET INFERIORI NON RECTE FUIT
DICTUM. SUPERIUS ENIM ET INFERIUS NON SUNT
IDEM OMNIBUS REBUS ET OMNI, SED QUEMADMODUM
CAPUT EST ANIMALIBUS, ITA RADICES
PLANTIS, CUM PER ACTIONES DEBEMUS DICERE IN
INSTRUMENTIS EORUM QUOD SUNT CONVENIENTIA
AUT DIVERSA.

416a1

416a5

Cum declaravit quod motus augmenti non est ex principio quod est elementum, incepit declarare quod Empedocles erravit cum opinabatur quod hoc principium est ex elementis, et quod augmentum in plantis ad inferius est propter partem gravem et superius propter levem, scilicet aerem et ignem. Et dixit: EMPEDOCLES AUTEM, etc. Idest, Empedocles autem non bene existimabat cum opinabatur quod hoc principium non est anima, et quod hoc quod accidit de augmento in plantis est per naturam elementorum; illud igitur quod augetur inferius est per naturam terre, et hoc posuit causam eius. Idest, et posuit causam motus istius ad inferius naturam gravem, et causam in augmento ramorum ad superius naturam levem, scilicet igneam. Deinde incepit narrare quid contingit huic sermoni de errore. Et dixit: HOC ETIAM QUOD USUS FUIT IN SERMONE SUO DE SUPERIORI,

Page 190

etc. Idest, et iste sermo quem induxit in dando causam istius motus contrarii qui invenitur in augmentabili non est verus. Hoc enim quod existimabatur, quod superius in plantis

est superius in mundo, et inferius inferius, non est verum, quoniam neque in parte conveniunt neque in natura et in potentia; in parte autem quia, licet hoc concedamus in plantis, tamen in pluribus animalibus non possumus illud concedere; superius enim in eis non respicit superius mundi. Et veritas non concedit hoc; natura enim inferioris in plantis alia est a natura inferioris in mundo, sed contingit congregatio eorum in parte tali casu, et ipsa eadem est natura superioris in animalibus. Et signum eius est quod caput in animalibus est simile radici in plantis, cum actio eorum sit eadem; et per actiones debemus respicere convenientiam et diversitatem in partibus augmentabilis. Et dixit: SUPERIUS ENIM, etc. Idest, et primus error Empedoclis est quod superius et inferius non sunt eadem pars in omnibus rebus et in omni, scilicet mundo; quoniam, licet hoc concedamus in plantis, quid possumus dicere in pluribus animalibus? Superius enim in animalibus non respicit superius mundi. Deinde dixit: SED QUEMADMODUM CAPUT, etc. Idest, sed non concedimus quod inferius in plantis sit inferius in mundo secundum naturam et potentiam, neque superius in eis superius in mundo, licet sint in eadem parte. Natura enim capitis in animalibus est natura radicis in plantis, cum habeant easdem actiones, et secundum actiones est dicendum quod partes animalium et plantarum et instrumenta eorum sunt convenientia aut diversa in natura. Et cum natura radicis in

Page 191

plantis est natura capitis in animalibus, tunc superius in plantis est in rei veritate inferius in mundo. Et si nos concessissemus quod esset inferius, tunc hoc quod accidit plantis, scilicet quod inferius in eis est in inferiori mundi, non accidit nisi casualiter, non quia habent eandem naturam ita quod ad inferius in plantis movetur pars gravis et ad superius levis; quoniam, si ita esset, tunc neque superius neque inferius haberet animal, neque natura superioris et inferioris in plantis et animalibus esset eadem. Et dixit quod potentia capitis in animalibus est potentia radicis in plantis quia hoc est principium eius per quod animal est animal, scilicet sensus; hoc autem est principium eius per quod plante sunt plante, scilicet cibi. Et ideo si caput ex animali et radix ex plantis abscindantur, depereunt.

39. ET POSTEA, QUID EST ILLUD QUOD RETINET IGDEM
ET TERRAM CUM MOVENTUR AD PARTES CONTRARIAS?
SUNT ENIM VELOCES AD SEPARATIONEM, NISI ALIQUID
PROHIBEAT. ET SI ILLIC SIT ALIQUOD PROHIBENS,
ILLUD PROHIBENS DEBET ESSE ANIMA,
ET CAUSA IN AUGMENTO ET NUTRIMENTO.

416a6

416a9

Et si concesserimus quod natura superioris et inferioris in plantis est natura superioris et inferioris in mundo, et quod pars ignea movetur in plantis ad superius et terrestres ad inferius, et nos videmus quod eadem pars movetur ad superius et ad inferius insimul (videmus enim quod quelibet

Page 192

pars posita sensibilis et quodlibet membrum

movetur ad utranque partem insimul); si igitur posuerimus quod illa pars sit unica, scilicet que movetur ad utranque partem, tunc principium per quod movetur istis duobus motibus insimul est unicum principium. Istud igitur principium habet potentiam ut moveatur ad utranque partem insimul, quod non est in elementis, quoniam una pars eorum non habet nisi unicum motum, sive fuerit simplex sive composita (quoniam si fuerit compositum ex eis, movebitur secundum elementum dominans). Et si partes que moventur in illa eadem parte in sensu aut in natura ad superius sint alie a partibus que moventur in illa parte ad inferius, tunc ille partes necessario sunt distincte abinvicem, aut quia sunt simplices, aut quia illud quod dominatur in eis que moventur ad inferius de corporibus simplicibus est aliud ab illo quod dominatur in eis que moventur ad superius. Et si ita sit, quid est illud quod retinet ignem et terram, aut partem igneam et terrestrem, cum non possumus dicere quod hec duo sint admixta (quoniam, si essent admixta, moverentur ad eandem partem, scilicet dominantis), et si ita esset, cito separarentur, nisi aliquid prohiberet? Sed contingit eis necessario dicere illic esse prohibens, cum videntur non separari sed permanere insimul dum vivit planta. Et hoc est necessarium eis. Et cum concesserint illic esse prohibens, cuius potentia non est potentia elementorum, dicemus eis quod illud prohibens est anima. Secundum hoc igitur est sermo eius in hoc intelligendus, licet sit valde brevis.

Page 193

40. ET QUIDAM EXISTIMANT QUOD NATURA IGNIS EST	416a9
SIMPLICITER CAUSA NUTRIMENTI ET AUGMENTI. IGNIS	416a10
ENIM INTER CORPORA AUT INTER ELEMENTA NUTRITUR	
ET AUGETUR, ET IDEO EXISTIMATUR QUOD IPSE FACIT	
HOC IN PLANTIS ETIAM ET IN ANIMALIBUS.	416a13

Cum destruxit sermonem fingentium quod augmentum est per principium elementare, scilicet grave aut leve, incepit etiam destruere sermonem fingentium quod principium nutrimenti et augmenti in nutribili est ignis aut pars ignis ut aliquod igneum. Et dixit: ET QUIDAM, etc. Idest, et quidam existimant quod natura ignis in eo quod est ignis, non secundum quod est aliquis ignis (et hoc intendebat cum dixit SIMPLICITER), est causa nutrimenti et augmenti. Et opinaverunt hoc quia viderunt ignem alterare omnia in suam substantiam adeo quod augmentatur per illud. Et quia nutribile apud eos nutritur alterando omnia in suam substantiam, ideo existimaverunt, per duas affirmativas in secunda figura, quod ignis facit hoc simpliciter.

41. DICAMUS IGITUR QUOD IGNIS NON EST CONIUNCTUS	416a13
CAUSE NISI ALIQUO MODO, ET NON EST CAUSA	
SIMPLICITER, SED ANIMA DIGNIOR EST UT SIT.	416a15
AUGMENTUM ENIM IGNIS EST IN INFINITUM, DUM	
COMBUSTIBILE EST; EA AUTEM QUE CONSTITUUNTUR PER NATURAM	
OMNIA HABENT FINEM ET TERMINUM IN QUANTITATE	
ET AUGMENTO. ET ISTA SUNT ANIME, NON IGNIS,	
ET SUNT DIGNIORA INTENTIONI QUAM MATERIE.	416a18

Cum narravit hanc opinionem, incepit primo narrare partem veram que est in ea et partem falsam. Et dixit: DICAMUS IGITUR [line 10 cont.] QUOD IGNIS, etc. Idest dicamus nos igitur quod ignis non est causa nutrimenti et augmenti in animalibus simpliciter, sed attribuitur cause quasi instrumentum suorum instrumentorum; immo anima est illa ad quam attribuitur simpliciter hec actio. Et concessit quod ignis est coniunctus cause secundum quod aliquid attribuitur alicui cuius actio non perficitur nisi per illud; quia nutribile non videtur alterare cibum nisi per partem igneam existentem in eo. Hoc enim elementum inter alia aut est alterans alia, aut magis dominatur in eo alterare quam in aliis elementis, et ideo fuit necesse ut esset dominans in corporibus nutribilibus. Et cum declaravit quod, si ista actio fuerit attributa ei, non erit attributa nisi secundum quod est coniunctus cause, non quod ipse sit causa, declaravit modum ex quo non oportet attribuere istam actionem igni simpliciter, et quod dignius est attribuere eam simpliciter anime. Et dixit: AUGMENTUM ENIM IGNIS EST IN INFINITUM, etc. Idest, et signum quod primum movens in nutrimento et augmento est anima, non pars ignea, est quia iste motus, scilicet alterare aliquid in substantiam alterantis, et eius augmentum per illud quod alterat, si fuerit in solo igne absque alia virtute sibi coniuncta (scilicet ut primum movens sit potentia ignis secundum quod est ignis, non alia virtus coniuncta igni), invenietur infinitus, et non cessabit in aliquo termino dum combustibile invenerit; motus autem alterandi et augmentandi qui invenitur in hac natura augmentabili semper invenitur finitus et terminatus in quantitate. Unde manifestum est, in secunda figura, quod iste motus non est ignis

simpliciter. Et cum non est ignis, necessario est alterius principii, et illud vocamus animam nutritivam. Et intendit per TERMINUM ET MENSURAM ultima naturalia que inveniuntur in quantitatibus corporum augmentabilium.

Deinde dixit: ET SUNT DIGNIORES INTENTIONI QUAM MATERIE. Idest, et ista actio que invenitur in hoc motu, scilicet qui incepit a principio terminato et pervenit ad finem terminatum, dignius est ut attribuatur ei quod est in ista actione quasi forma, scilicet anima, non illi quod est quasi materia et instrumentum, scilicet ignis. Et dixit hoc quia apparet quod actio augmenti est composita ex actione ignis et ex aliqua intentione in igne. Alterare enim quod est in eo debet attribui igni; et quia est terminatum, debet attribui alteri virtuti coniuncte cum igne, quemadmodum mollificare ferrum per ignem ad faciendum aliquod instrumentum secundum quod est mollificare attribuitur igni, et secundum quod illa mollificatio habet terminum notum in unoquoque instrumento attribuitur virtuti Artis.

42. QUIA IGITUR VIRTUS NUTRITIVA ET GENERATIVA
SUNT EEDEM, OPORTET NECESSARIO PRIUS DETERMINARE
QUID EST NUTRIMENTUM, ET DISTINGUERE

416a18

416a20

Cum narravit prius quod vult loqui primo de virtute nutritiva, cum sit magis universalis, et primum eorum que apparent in eo, vel primum eorum de quibus consideratur ex hac virtute, est quod est in anima, et quod sue actiones sunt augmentare et nutrire et generare, incepit modo determinare quid est illud de quo oportet considerare

Page 196

primo in hac virtute, postquam cognoscitur esse in anima. Et dixit: ET QUIA POTENTIA NUTRIENDI ET GENERANDI, etc. Idest, et quia subiectum potentie nutritive et augmentabilis et generative idem est, scilicet nutrimentum, et iam diximus primo quod via ad cognitionem substantiarum istarum virtutum non est nisi per cognitionem passivorum earum primo, unde necesse est primo incipere et determinare cibum quid sit, et nutrire quid sit. Et cum narravit hoc, incepit demonstrare quid est cibus.

43. DICAMUS IGITUR QUOD EXISTIMATUR QUOD NUTRIMENTUM
EST CONTRARIUM CONTRARIO; ET NON OMNE
CONTRARIUM OMNI CONTRARIO, SED CONTRARIA QUE
NON TANTUM FIUNT ABINVICEM, SED ETIAM AUGENTUR.
PLURA ENIM FIUNT ABINVICEM, SED NON OMNIA
AUGENTUR, V.G. SANUM AB INFIRMO. ET
INVENIMUS ETIAM QUOD NON EODEM MODO SUNT NUTRIMENTUM
ADINVICEM; SED AQUA EST NUTRIMENTUM
IGNI, IGNIS AUTEM NON EST NUTRIMENTUM
AQUE. IN CORPORIBUS AUTEM SIMPLICIBUS HEC
DUE PROPRIE EXISTIMANTUR QUOD ALTERUM EST
NUTRIMENTUM ET ALTERUM NUTRIBILE.

416a21

416a25

416a29

Dicamus quod existimatum est quod nutrimentum est illud quod est contrarium nutribili, sicut quidam existimati sunt. Sed ista existimatio non est in omni contrario, sed in eis contrariis que non tantum fiunt abinvicem, sed etiam augmentantur. Plura enim contrari que generantur abinvicem non augmentantur abinvicem; sanum enim

Page 197

fit ab infirmo, sed non nutritur ex eo. Et hoc intendebat cum dixit: ET NON OMNE CONTRARIUM OMNI CONTRARIO, etc. Et sermo eius est intellectus per se. Et innuit per hoc contraria que sunt in substantia; ista enim existimantur augmentari abinvicem et nutriri abinvicem. Et cum declaravit quod ista existimatio non invenitur nisi in contrariis que sunt in substantia, et sunt ea que possibile est ut reputentur nutriri abinvicem, declaravit etiam quod hoc non equaliter invenitur in utroque contrario; contraria enim non videntur nutrire se abinvicem equaliter. Et dixit: ET VIDEMUS ETIAM QUOD NON EODEM MODO SUNT NUTRIMENTUM, etc. Idest, et ista existimatio non invenitur in utroque contrariorum que sunt in substantia equaliter, scilicet ut utrunque eorum nutriat suum compar equaliter. Aqua enim et universaliter corpora humid videntur esse nutrimentum ignis; ignis autem non videtur esse nutrimentum alicui. Et cum narravit quod ista

existimatio debilis est, si accepta fuerit absolute, narravit quod ista existimatio tantum invenitur in elementis. Et dixit: IN CORPORIBUS AUTEM SIMPLICIBUS, etc. Idest, existimare autem quod nutriens est contrarium nutribili non invenitur proprie nisi in duobus hiis corporibus simplicibus, quorum alterum est ignis et alterum humidum, ut aqua et aer.

44. SED IN HOC EST LOCUS DUBITATIONIS. QUIDAM 416a29
ENIM DICUNT QUOD SIMILE NUTRITUR PER SIMILE, ET 416a30
SIMILITER ETIAM AUGMENTATUR. ET QUIDAM ECONTRARIO,
SCILICET QUOD CONTRARIUM NUTRITUR PER SUUM
CONTRARIUM; SIMILE ENIM NON PATITUR A SUO SIMILI;

Page 198

ET NUTRIMENTUM TRANSMUTATUR ET DIGERITUR,
ET TRANSMUTATIO IN QUOLIBET EST AD DISPOSITIONEM
OPPOSITAM, AUT AD MEDIUM. 416a34

Sed ista existimatio, licet invenitur in elementis per sensum et inductionem, tamen in ipsa questione est locus dubitationis ex propositionibus famosis. Est enim sermo quidam qui dat quod nutrimentum est simile, et alius qui dat nutrimentum esse contrarium. Deinde dedit rationem super utrunque sermonem. Et dixit: QUIDAM ENIM DICUNT, etc. Idest, quidam enim Antiquorum opinabantur quod nutrimentum debet esse simile, quia simile nutrit suum simile et augmentat ipsum; contrarium enim transmutat suum contrarium, sed non nutrit ipsum neque augmentat. Et cum dedit hanc rationem, dedit etiam rationem quod nutrimentum est contrarium. Et dixit: ET QUIDAM ECONTRARIO. Idest, et dixerunt hoc, scilicet quod contrarium nutritur a suo contrario, non a suo simili, quia opinati sunt quod nutrimentum patitur a nutribili, et simile non patitur a suo simili; ergo nutrimentum non est simile. Et cum viderunt etiam quod nutrimentum transmutatur in nutribile et patitur, et omnis transmutatio est a contrario ad contrarium, aut ad illud quod est medium inter contraria, concluderunt ex hoc quod nutrimentum est contrarium

45. ET ETIAM, NUTRIMENTUM PATITUR QUOQUO MODO 416a34
A NUTRIBULI, SED NON ECONTRARIO, SICUT CARPENTARIUS 416b1
NON A MATERIA, SED MATERIA AB ILLO; CARPENTARIUS
AUTEM TRANSMUTATUR TANTUM AD ACTIONEM
EX OCIO. INTER HOC IGITUR QUOD NUTRIMENTUM SIT ILLUD

Page 199

QUOD COPULATUR IN POSTREMO, ET HOC, SCILICET
UT SIT ILLUD QUOD PRIUS COPULATUR, EST DIFFERENTIA.
SI IGITUR NUTRIMENTUM EST UTRUNQUE, SED HOC
EST ILLUD QUOD DIGERITUR, ILLUD UTEM QUOD DIGESTUM 416b5
EST, POSSIBILE EST DICERE QUOD NUTRIMENTUM
EST UTRUNQUE; SECUNDUM AUTEM QUOD EST NON DIGESTUM,
CONTRARIUM NUTRITUR A SUO CONTRARIO; SECUNDUM
VERO QUOD DIGESTUM, SIMILE A SIMILI. QUONIAM AUTEM
UTRAQUE ISTARUM SECTARUM VERE ET NON
VERE DICITUR ALIQUO MODO MANIFESTUM EST. 416b9

ET ETIAM, NUTRIMENTUM PATITUR QUOQUO MODO, etc.

Et potest intelligi quod iste sermo est quasi ratiocinatio iuvans dicentem quod nutrimentum est contrarium, et removens obiectiones contradicentes huic sermoni. Potest enim aliquis dicere quod, si nutrimentum est contrarium nutribili, oporteret ut utrunque transmutaretur a suo compari et pateretur ab eo. Et quasi dicit respondendo quod nutrimentum est quod patitur a nutribili, non nutribile a nutrimento. Non enim est necesse ut ab omni patiente patiatur agens eo modo quo patiens patitur ab eo; lignum enim patitur a Carpentario, sed Carpentarius non patitur a ligno; nisi aliquis vocet illam transmutationem que est ex ocio ad operationem passionem. Et forte preponebatur iste sermo ad illud quod vult de dissolutione istius dubitationis ad demonstrandum illud quod collocatur de vero in utroque istorum duorum sermonum oppositorum. Quoniam, cum hoc fuerit scitum de nutrimento et nutribili, scilicet quod nutrimentum est illud quod transmutatur

Page 200

in formam nutribilis, non nutribile in formam nutrimenti, neque utrunque a suo compari equaliter, et quod ita est de nutrimento cum nutribili sicut de Carpentario ad lignum, non sicut contraria quorum eadem est materia, declarabitur statim quod nutrimentum dicitur duobus modis. Dicitur enim de illo quod adhuc non digeritur neque transmutatur in naturam nutribilis, et dicitur etiam de illo quod digestum est et transmutatur in naturam nutribilis, quod cibum esse similem vere dicitur de digesto, et contrarium de indigesto. Et ideo dixit post: INTER HOC IGITUR QUOD NUTRIMENTUM, etc. Idest, et cum nutriens est illud quod alterat nutrimentum in suam substantiam, manifestum est quod magna differentia est inter hoc quod sit nutrimentum hoc quod copulatum est cum nutribili apud complementum digestionis, et inter illud quod innatum est ut copuletur cum nutribili, sed nondum.

Deinde dixit: SI IGITUR NUTRIMENTUM EST UTRUNQUE, etc. Idest, si igitur hoc nomen NUTRIMENTUM dicitur de utroque, sed alterum eorum est nutrimentum in potentia (cum innatum est digeri sed tamen adhuc non digeritur), alterum autem est nutrimentum in actu (et illud est quod iam digeritur), vere possumus dicere utrunque de cibo, scilicet simile et dissimile, sine aliqua contradictione. Hii enim duo sermones non essent contrarii, nisi hoc nomen NUTRIMENTUM diceretur eodem modo. Nutrimentum enim non digestum, quod est nutrimentum in potentia, potest dici vere contrarium; nutriens enim non agit in ipsum nisi secundum quod est contrarium. Nutrimentum

Page 201

autem digestum potest dici simile; non enim est pars nutribilis nisi secundum quod est simile. Deinde dixit: QUONIAM AUTEM [line 62 cont.] UTRAQUE ISTARUM DUARUM SECTARUM, etc. Idest, manifestum est igitur ex hoc sermone quod in sermone utriusque istarum duarum sectarum est aliqua pars vera, et aliqua falsa.

IN VITA, IDEO CORPUS ANIMATUM EST NUTRIBILE SECUNDUM 416b10
QUOD ANIMATUM. NUTRIMENTUM IGITUR ATTRIBUITUR
ANIMATO NON ACCIDENTALITER. 416b11

Et quia nichil videtur nutriri nisi communicet in aliqua
intentionum de quibus dicitur hoc nomen VITA, ut declaratum
est, ideo corpus non nutritur
nisi
secundum quod habet animam, non secundum quod est corpus. Ista
[line 9 cont.] igitur actio
attribuitur anime essentialiter, non accidentaliter, et
substantia partis anime cui attribuitur ista actio non est nisi virtus
que innata est habere estam actionem. Cum igitur
cognoverimus hanc actionem proprie, tunc cognoscemus
substantiam istius virtutis proprie.

47. ET ESSE NUTRIMENTUM EST ALIUD AB ESSE AUGMENTATIVUM. 416b11
EST AUTEM NUTRIMENTUM SECUNDUM HOC ET SUBSTANTIAM,
ET QUIA CONSERVAT SUBSTANTIAM NUTRIBILIS, QUONIAM

Page 202

SEMPER NUTRITUR. ET AGIT GENERATIONEM 416b15
NON QUIA SE GENERAT, SED QUIA FACIT GENERATIONEM
SIMILIS NUTRIBILI; ILLUD ENIM HABET ESSE. ET NICHIL
GENERAT SE, SED SE CONSERVAT. 416b17

Vult distinguere tres actiones nutrimenti, scilicet nutrire
et augmentare et generare. Et dixit. ET ESSE NUTRIMENTUM,
etc. Idest, et aliquid esse nutrimentum aut nutritivum
aliud est ab esse augmentativum. Nutrimentum enim dicitur
secundum quod conservat substantiam rei nutribilis ne corrumpatur;
dat enim ei aliquid loco dissoluti. Et ideo permanet
in esse dum nutritur, et cum cessat nutrimentum,
corrumpitur. Est vero augmentativum secundum quod perficit
quantitatem naturalem eius quod diminuitur in principio
propter necessitatem; sed tacuit hoc, quoniam differentia
inter augmentum et nutrimentum est manifesta (si forte
non esset diminutio scriptoris). Et cum divisit has
duas actiones, inceptit dicere tertiam actionem, que est
generare. Et dixit: ET EST AGENS GENERATIONEM, etc. Idest, et
nutrimentum habet aliam actionem a conservatione et
augmentatione, scilicet generare. Deinde exposuit generationem.
Et dixit: NON GENERATIONEM NUTRIBILIS, SED GENERATIONEM SIMILIS
NUTRIBULI, idest in specie. Deinde dixit: ILLUD ENIM HABET ESSE. Et
potest intelligi: illud enim quoquo modo est suum esse,
et conservat generabile ut permaneat unum in specie,
ut prediximus. Deinde dixit: ET NICHIL GENERAT SE, SED CONSERVAT
SE. Idest, et differentia inter has duas actiones est quia nutrire

Page 203

est conservare se, et hoc generare est generare alterum, non
se; impossibile enim est ut aliquid generet se.

48. HOC IGITUR PRINCIPIUM EST VIRTUS ANIME QUE 416b17
POTEST CONSERVARE ILLUD QUOD EST EI SECUNDUM
DISPOSITIONEM. ET NUTRIMENTUM EST ILLUD PER
QUOD PREPARATUR AD AGERE. ET IDEO, CUM NUTRIMENTUM

DEFICIT, IMPOSSIBILE EST UT SIT.

416b20

Et cum declaratum est quod iste actiones sunt diverse secundum diversitatem suorum finium, licet subiectum sit idem, scilicet nutrimentum, et est necesse ut iste actiones sint attribute alicui virtuti anime, et cum ita sit, necesse est ut hoc principium anime, scilicet virtus nutritiva, sit virtus que potest conservare ens in sua forma secundum dispositionem, idest secundum [line 11 continued] aliquam dispositionem conservationis. Et dixit hoc quia sunt aliquae virtutes que conservant esse secundum omnem dispositionem et omnes partes eius eodem modo, scilicet virtutes corporum celestium

Deinde dixit: ET NUTRIMENTUM EST ILLUD PER QUOD PREPARATUR, etc. Idest, et nutrimentum est instrumentum per quod facit hanc actionem. Et ideo, cum ista virtus caret nutrimento, tunc non habet hanc actionem, quemadmodum Carpentarius, cum caret serra, tunc non potest serrare.

49. SUNT IGITUR TRIA: NUTRIBILE, ET PER QUOD NUTRITUR, ET NUTRITIVUM. NUTRITIVUM IGITUR EST PRIMA ANIMA; NUTRIBILE AUTEM EST CORPUS; ILLUD

416b20

Page 204

VERO PER QUOD NUTRITUR EST NUTRIMENTUM. ET QUIA OPORTET UT OMNIA SINT VOCATA EX SUIS FINIBUS, ET FINIS EST GENERARE SIMILE, IDEO PRIMA ANIMA EST GENERANS SIMILE.

416b25

Cum descripsit hoc principium anime, et descripsit nutrimentum, reversus est ad distinguendum intentiones istorum nominum que denominantur a nutrimento. Et dixit: SUNT IGITUR TRIA, etc. Idest, et manifestum est per se tria esse diversa secundum diversitatem rerum relativarum, quorum unum est nutritibile, et secundum illud per quod nutritur, tertium autem est nutriens. Et iam declaratum est quod illud quod nutrit est anima cui attribuitur hec action (unde manifestum est quod nutriens est anima prima aliarum virtutum que attribuuntur nutrimento; et intendit hic per PRIMAM priorem naturaliter), et quod nutritibile est corpus, et illud per quod nutritur est cibus. Deinde dixit: ET QUIA OPORTET UT OMNIA, etc. Idest, et quia oportet ut omnia appellentur ex suis finibus, cum hec causa finalis sit dignior essentie rei omnibus causis, necesse est ut anima nutritiva describatur per actionem que est suus finis, et est generare simile, non per actionem nutriendi, que est conservare, ut prediximus. Dicendum est igitur quod anima nutritiva est virtus que est innata generare a cibo simile individuo in quo existit in specie, cum omnes sue actiones non sint nisi propter hanc virtutem. Et hoc manifestum est in plantis et in animalibus.

50. ET ILLUD PER QUOD NUTRITUR EST DUPLEX (QUEMADMODUM ILLUD PER QUOD GUBERNATUR NAVIS: ET MANUS, ET REMUS), QUORUM UNUM EST MOTOR ET MOTUM, ET ALIUD EST MOVENS TANDUM. ET

416b25

Page 205

NECESSE EST UT OMNE NUTRIMENTUM POSSIT DIGERI;
ET FACIENS DIGESTIONEM EST CALIDUM; UNDE
OMNE ANIMATUM HABET CALOREM. IAM IGITUR
DIXIMUS SECUNDUM DESCRIPTIONEM CIBUS QUID SIT.
ET POST EXPONEMUS SERMONEM IN EO.

416b30
416b31

Cum demonstravit modos actionis anime nutritive,
et descripsit eam, et descripsit nutrimentum, incepit declarare
modo instrumentum primum per quod ista anima agit in
cibum; iam enim fuit dictum universaliter quod diffinitio anime est
perfectio corporis organici. Et dixit: ET ILLUD PER QUOD NUTRITUR,
etc. Idest, et illud per quod completur actio nutrimenti
est duplex, scilicet primum movens, quod non movetur cum
movet, et movens quod movet et movetur;
et est illud quod est de primo motore quasi subiectum,
et primus motor de eo quasi forma. Et de hoc quod
dixit, quedam declaravit hic et quedam in sermonibus
universalibus. Quod igitur declaratum est hic est quod anima
nutritiva est primum movens in cibo, et quod agit in
cibo per calorem, per quem fit digesto. Utrum autem
oportet ut moveat et non moveatur, secundum quod est primum
movens, et quod calor moveat ita quod moveatur a primo motore,
hoc declaratum est in sermonibus universalibus.
Declaratum est enim illic quod omnis primus motor, si fuerit
corporale, componitur ex motore non moto et ex motore
moto, secundum quod componuntur res ex materia et forma.

Sed est dubitatio in hoc quod dixit. Motus enim virtutis
nutritive est in capitulo alterationis, et illud quod
movetur ex se, quod componitur ex motore non moto
et ex motore moto, non invenitur nisi in motu locali.

Page 206

In motu autem alterationis non invenitur motum ex se;
non enim est necesse quod primum alterans corporeum alteretur
et tunc alteret, sicut est necesse in primo motore
corporeo, scilicet ut non moveat in loco nisi moveatur. Quomodo
igitur dixit hic quod alterum eorum est movens et motum,
et alterum movens tantum, et dedit exemplum ex rebus moventibus
in loco? Et si hic esset locutus de motu locali
animalium, tunc exemplum esset verum. Dicamus igitur;
quoniam propinquum alterans cibum debet esse corpus manifestum
est; quoniam vero corpus alterans non sufficit
in essendo primum movens istum motum declaratum
est prius, quando dixit quod calor non sufficit in agendo actionem
alterativam terminatam, nisi sit illis aliqua virtus que non est
corpus sed in corpore est. Corpus igitur quod est primum alterans
componitur ex alterante quod non alteratur, scilicet anima,
et ex alterante alterato, scilicet calore naturali. Declaratum
est igitur quod illud per quod fit nutrimentum est duplex,
scilicet alterans non alteratum (omne enim alteratum
est corpus), et istud est anima, et alterans alteratum, scilicet calor
naturalis. Hoc igitur nomen MOTUS large et universaliter
accipitur in hoc loco. Et secundum hanc expositionem non
indiget illo quod declaratum est in illo sermone, scilicet quod
primus motor in loco componitur ex motore non moto
et ex motore moto. Et possumus dicere quod calor naturalis

non alterat cibum nisi primo moveatur in loco. Declaratum est enim quod motus localis antecedit ceteros motus, et maxime istum motum qui est terminatus, scilicet qui alterat rem in aliqua hora et in alia non. Et etiam non alterat tantum, sed attrahit et expellit cibum; et hoc est motus

Page 207

localis. Et secundum hanc expositionem erit dispositio manifesta, sed prima expositio videtur magis conveniens. Et etiam fuit exemplum largiter acceptum; manus enim non est primus motor navis qui non movetur, sed ipse gubernatur. Et cum declaravit quod anima nutritiva est forma in corpore, cum propinquum alterans corpus quod est cibus necessario debet esse corpus, et quod forma sit alterans non alterata, cum sit non corpus, et quod corpus alterans est alteratum, incepit declarare quid est hoc corpus. Et dixit: ET OPORTET NECESSARIO UT OMNE NUTRIMENTUM, etc. Idest, et oportet necessario ut omne nutrimentum quod iam est nutrimentum in actu digeratur per corpus alterans quod est instrumentum anime nutritive. Et cum hoc corpus debet esse alterans et digestivum, et tale est corpus calidum (unde Antiqui dixerunt quod ignis nutritur), oportet necessario ut omne habens animam nutritivam habeat calorem; sed non absolute, immo calorem naturalem; declaratum est enim in quarto Meteororum quod illud quod facit digestionem est calor conveniens illi enti, non extraneus. Deinde dixit: IAM IGITUR DIXIMUS SECUNDUM DESCRIPTIONEM, idest universaliter et largiter ... etc. Idest, et complementum sermonis in unaquaque parte eorum ex quibus constituitur nutrimentum exponendum est post in loco convenienti. Et dixit hoc quia sermo de nutrimento et augmento non perficitur nisi in pluribus libris. In libro enim de Generatione et Corruptione determinatus est motus augmenti et diminutionis; in Meteoris autem determinati sunt modi calorum et modi actionum, ut decoqui et

Page 208

assari; et in hoc libro etiam declaratus est primus motor in istis motibus; et in libro etiam de Animalibus determinatum est quot sunt instrumenta istius virtutis in unoquoque animali, et quomodo completur actio per ipsam in unoquoque eorum, et per quot membra, et quomodo serviunt illi illa membra, et qualis est proportio eorum in ista actione adinvicem, et huiusmodi, Et ideo dixit quod illud quod declaratum est hic de nutrimento non est nisi primus motor et primum instrumentum tantum.

ii.5

416b32

51. ET CUM IAM DETERMINAVIMUS ISTA, DICAMUS

IAM IN OMNI SENSU UNIVERSALITER. DICAMUS

IGITUR QUOD SENTIRE ACCIDIT SECUNDUM MOTUM

ET PASSIONEM, SICUT DIXIMUS; EXISTIMATUR

ENIM QUOD EST ALIQUA ALTERATIO. ET QUIDAM

416b35

DICUNT QUOD SIMILE PATITUR A SUO SIMILI,

ET DISSIMILE A DISSIMILI. ET IAM DIXIMUS IN SERMONIBUS

417a1

UNIVERSALIBUS DE AGERE ET PATI QUOMODO

POSSUNT FIERI AUT NON FIERI; ET IN HOC LOCO

ETIAM LOCUTI SUMUS DE EO.

Cum fuit locutus de virtute nutritiva, incepit loqui de sensibili, et primo de illo quod commune est omnibus sensibus. Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD SENTIRE, etc. Idest, dicamus igitur quod sentire fit per aliquam passionem et motum in sensibus a sensibilibus, non per actionem sensuum in sensibilia; hoc enim est primum consideratum de sensu, scilicet utrum sit numeratus in virtutibus activis aut passivis. Et cum posuit ipsum in genere virtutum passivarum, dedit causam istius existimationis.

Page 209

Et dixit: EXISTIMATUR ENIM, etc. Idest, et diximus quod sensus fit secundum passionem quia existimatur quod sensus alterantur a sensibilibus aliquo modo alterationis. Et dixit ALIQUA ut notet proprium, quia post declarabitur quod ista transmutatio non dicitur alteratio nisi multipliciter. Deinde dixit: ET QUIDAM DICUNT QUOD SIMILE, etc. Idest, et cum posuerimus quod genus sensus est passio, considerandum est in quibus existit passio; quidam enim dicunt simile pati a suo simili, et quidam econtrario, scilicet quod contrarium patitur a suo contrario. Et intendebat hic per SERMONES UNIVERSALES librum de Generatione et Corruptione. Et non sufficit ei quod declaratum fuit in illo libro, quia sermo hic videtur magis proprius; subiectum enim de quo loquitur hic magis proprium est subiecto de quo loquebatur illic. Et primo incepit dare dubitationem in hoc quod posuit quod sensus est de virtutibus passivis, non activis.

52. SED EST IRRATIONABILE QUARE SENSUS NON SENTIUNT SE, ET QUARE ETIAM NULLUS SENSUS AGIT ABSQUE EXTRINSECO, ET IN EIS SUNT IGNIS ET TERRA ET ALIA ELEMENTA, ET SUNT ILLA QUE COMPREHENDUNTUR A SENSU PER SE, ET ACCIDENTIA CONTINGENTIA EIS. DICAMUS IGITUR QUOD SENSUS NON EST IN ACTU, SED TANTUM IN POTENTIA, ET IDEO NON SENTIMUS; QUEMADMODUM COMBUSTIBILE NON COMBURITUR A SE ABSQUE COMBURENTE; ET SI HOC NON ESSET, COMBURERET SE ET NON INDIGERET QUOD IGNIS ESSET IN ACTU.

417a2

417a5

417a9

Page 210

Cum posuit sensum esse de virtutibus passivis, incepit dubitare dubitationem cogentem ut sit de passivis, non de activis; et hoc si non intendit per EXISTIMATUR certificatur; multotiens enim utitur existimatione pro certitudine. Et dixit: SED EST IRRATIONABILE QUARE SENSUS NON SENTIUNT SE. Idest, ut michi videtur, sed est irrationabile, cum posuerimus quod virtutes sensitive sunt active, dicere quare sensus non sentiunt ex se absque extrinseco. Necesse enim est, si virtutes sensitive sunt active, dicere quare sensus non sentiunt ex se absque extrinseco. Necesse enim est, si virtutes sensus essent active, ut sentirent ex se, et ut non indigerent in sentire aliquo extrinseco. Deinde dixit: ET EX EIS EST IGNIS ET TERRA ET ALIA ELEMENTA. Idest, et sensuum quidam attribuitur

in sua compositione unicuique elementorum, et ista sunt sensibilia; oportet igitur ut sentirent se. Et hoc intendebat cum dixit: ET ACCIDENTIA CONTINGENTIA EIS, idest contingentia istis sensibilibus ex quibus componuntur instrumenta istorum sensuum. Et cum narravit quod est irrationabile dicere quare sensus non sentiunt absque extrinsecis, si posuerimus sensus esse ex virtutibus activis, incepit narrare modum secundum quem erit responsio huic questioni, Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD SENSUS NON EST IN ACTU, SED IN POTENTIA, etc. Idest, dicamus igitur in respondendo quod sensus non est ex virtutibus activis, que agunt ex se absque eo quod indigeant in actione que provenit ab eis motore extrinseco, sed sunt ex virtutibus passivis, que indigent motore extrinseco. Et ideo non sentiunt ex se, quemadmodum combustibile non comburitur ex se absque motore extrinseco, scilicet igne. Et quemadmodum

Page 211

combustibile, si esset combustibile ex se, tunc possibile esset ut combureretur sine igne existente in actu, sic sensus, si sentirent ex se, secundum quod sunt virtutes active, tunc possibile esset ut sentirent absque extrinseco. Et debes scire quod hec est prima differentia qua virtutes anime differunt ab invicem, et est principium considerationis de intellectu et de aliis virtutibus. Virtus autem nutritiva manifestum est ex predictis quod est ex virtutibus activis.

53. ET QUIA DICERE QUOD ALIQUID SENTIT EST DUOBUS MODIS
(QUOD ENIM IN POTENTIA AUDIT ET VIDET, DICIMUS
IPSUM AUDIRE ET VIDERE, LICET SIT DORMIENS;
ET ILLUD QUOD PERVENIT AD ACTUM, DICIMUS IN EO
HOC); UNDE SENSUS DICITUR POTENTIA ET ACTU. ET SIMILITER
ETIAM SENTIRE EST
POTENTIA ET EST ACTU.

417a9
417a10

417a14

Cum declaravit quod sensus est ex virtutibus passivis, non activis, et ista habent duplex esse, scilicet esse in potentia, antequam virtutes eius perficiantur a motore extrinseco, et esse in actu, quando fuerint perfecte et invente in actu a motore extrinseco, incepit declarare quod hec duo contingunt virtutibus animae. Et dixit: ET QUIA DICERE QUOD ALIQUID SENTIT, etc. Idest, et quia manifestum est per se quod dicere quod aliquid sentit est duobus modis, quorum unus est cum dixerimus in aliquo audiente et vidente in potentia quod audit et videt, ut dicimus de dormiente. Et hoc intendebat cum dixit: QUOD ENIM AUDIT ET VIDET, etc. Idest, quod enim est in potentia propinqua audiens et videns dicitur secundum consuetudinem audiens et videns licet sit dormiens, qui est magis remotus

Page 212

omnibus modis potentie; quod enim est in obscuro est videns in potentia, sed ista potentia est propinquior actui quam potentia que est visui dormientis. Deinde dixit: ET QUOD PERVENIT AD AGERE, DICITUR IN EO HOC. Idest, et illud quod pervenit de rebus sensibilibus ut videat et audiat

et universaliter sentiat dicitur etiam quod audit et videt et universaliter
[line 26 cont.] sentit.

Et cum declaravit quod hoc nomen SENSUS dicitur de utraque
intentione, dixit: ET OPORTET UT SENSUS ETIAM DICATUR DUOBUS
MODIS, DE POTENTIA ET ACTU, ET SIMILITER SENTIRE,
etc. Idest, et similiter oportet
ut sentire, quod est actio sensus, dicatur etiam duobus modis,
sicut de habitu et forma ex quibus provenit sentire.

54. SERMO IGITUR NOSTER PRIMO NON EST SECUNDUM QUOD 417a14
PATI ET MOVERI EST IDEM CUM AGERE ET MOVERE. MOTUS 417a15
ENIM EST ALIQUA ACTIO, SED NON PERFECTA, UT DICTUM
EST IN ALIIS LOCUS. ET OMNE QUOD PATITUR ET MOVETUR
NON PATITUR ET MOVETUR NISI AB ALIQUO AGENTE IN
ACTU. ET IDEO PATI QUANDOQUE EST AS SIMILI, QUANDOQUE A
DISSIMILI. ET SECUNDUM QUOD DIXIMUS, DISSIMILE EST ILLUD QUOD 417a20
PATITUR; ET POSTQUAM PATITUR, FIT SIMILE. 417a21

Cum declaravit sensum esse ex virtutibus passivis,
et quod est duobus modis, dixit: SERMO IGITUR NOSTER, etc.
Idest, et magna differentia est inter sermonem de sensu
opinando in eo quod est virtus passiva, et sermonem
de eo opinando quod est virtus activa. Sermo enim de aliquo
secundum quod opinamur in eo quod suum esse est pati et moveri
alius est a sermone in eo secundum quod opinamur
quod suum esse est agere et movere. Et cum narravit hoc,

Page 213

dedit differentiam inter utrunque esse. Et dixit: MOTUS ENIM EST
ALIQUA ACTIO, SED NON PERFECTA. Idest, et hec duo genere
essendi sunt diversa; esse enim unius generis est de genere
esse motus, et iam declaratum est quod motus est
actio non perfecta (est enim perfectio alicuius
in potentia secundum quod est in potentia); esse autem alterius
generis est actio perfecta. Deinde dedit aliam differentiam
inter utrunque esse. Et dixit: ET OMNE QUOD PATITUR ET
MOVETUR, etc. Idest, et differunt etiam quoniam omne numeratum
in genere passionis non habet esse nisi ab alio, scilicet agente,
et ideo, si agens non fuerit, hoc non erit; omne autem numeratum
in genere actionis habet esse ex se, non ex alio. Deinde dixit:
ET IDEO PATI QUANDOQUE EST A SIMILI, etc. Idest, et quia esse
virtutum passivarum est admixtum ex potentia et actu;
passivum enim, antequam patiatur, est contrarium agenti,
et cum passio completur, est simile, et dum patitur,
est admixtum ex simili et contrario; non enim cessat, dum movetur,
corrumpi in eo pars contrarii et fieri pars similis. Et manifestum
est quod qui non intellexerit virtutes passivas in
tali esse non poterit dissolvere predictam questionem,
neque etiam qui non concesserit quod virtutes sensus sunt de
virtutibus passivis potest etiam dicere utrum sensibile
sit simile aut contrarium. Et hoc est fundamentum,
et oportet ut conservetur sicut diximus in aliis virtutibus
anime, et maxime in virtute rationabili, sicut
apparebit post.

55. ET OPORTET NOS DETERMINARE ETIAM POTENTIAM ET 417a21
PERFECTIONEM, QUONIAM IN HOC LOCO LOCUTI SUMUS DE

EIS SIMPLICITER. DICAMUS IGITUR QUOD INTENDIMUS, CUM

Page 214

DICIMUS QUOD ALIQUID, V.G. HOMO, QUOD EST SCIENS, QUOD HOMO
EST DE HABENTIBUS SCIENTIAM. ET QUANDOQUE DICIMUS HOC
SICUT DICIMUS DE EO QUI IAM ACQUISIVIT SCIENTIAM
GRAMATICE QUOD EST SCIENS. SED POTENTIA
IN UTROQUE ISTORUM NON EST EODEM MODO, SED POTENTIA
PRIMI EST QUIA SUUM GENUS EST TALE, SECUNDI
AUTEM EST QUIA, CUM VOLUERIT, POTEST INSPICERE, DUM
LIQUID EXTRINSECUM NON IMPEDIAT IPSUM.

417a25

417a28

Cum declaravit quod sensus dicitur duobus modis, potentia
scilicet et actu, et etiam quod utrunque istorum dicitur duobus
modis, incepit determinare hoc. Et dixit: ET OPORTET
DETERMINARE ETIAM, etc. Idest, et oportet nos, cum sciverimus
quod sensus invenitur duobus modis, potentia scilicet et
actu, determinare intentiones de quibus dicitur potentia
et perfectio et actus simpliciter, cum in hoc loco non
sumus locuti de eis nisi simpliciter. Et cum dedit causam
propter quam oportet loqui in hoc loco de potentia
et actu simpliciter, scilicet que existunt in sensu simpliciter,
dixit: DICAMUS IGITUR QUOD INTENDIMUS, etc. Idest, dicamus
igitur quod manifestum est quod, cum dixerimus quod aliquid
est tale in potentia, quod hoc intenditur duobus modis: aut
sicut dicimus quod homo est sciens in potentia, idest innatus
scire, aut sicut dicimus in sciente Gramaticam in
actu quod est sciens in potentia quando non utitur sua
scientia. Et cum declaravit istos duos modos potentie,
dedit differentiam inter eos. Et dixit: SED POTENTIA QUE
EST IN UTROQUE NON EST EODEM MODO, etc. Idest, sed intentio
potentie in utroque eorum non est eadem; sed cum dicimus
quod ignorans est sciens in potentia, intendimus quod genus

Page 215

eius et materia est receptibile scientie; et cum dicimus
in sciente Gramaticam quod est sciens in potentia,
dicitur quia habet potentiam considerandi in
Gramatica cum voluerit.

56. QUI AUTEM CONSIDERAT EST IN PERFECTIONE, ET EST IN REI
VERITATE SCIENS HOC. ILLI IGITUR DUO PRIMI SUNT
SCIENTES IN POTENTIA, SED ALTER EORUM CUM ALTERABITUR
PER DOCTRINAM ET MUTABITUR MULTOTIENS
EX HABITU AD DISPOSITIONEM CONTRARIAM, ALIUS
AUTEM QUANDO MUTABITUR EX HABERE SENSUM AUT
SCIENTIAM GRAMATICE (SED NON AGIT) QUOUSQUE
AGAT; MODUS IGITUR EIUS EST ALIUS.

417a28

417a30

417b1

417b2

Sciens autem Gramaticam considerando in ea
est sciens secundum ultimam perfectionem; et tale dicimus
sciens in rei veritate hoc de quo considerat,
non in eo quod scit illud sed non considerat actu de eo.
Deinde dixit: ILLI IGITUR DUO PRIMI SUNT SCIENTES IN POTENTIA,
scilicet ignorans, et sciens qui non utitur sua scientia.

Deinde dixit: SED ALTER EORUM, etc. Idest, sed alter eorum mutabitur ex

potentia in actum cum alterabitur per doctrinam et mutabitur multotiens ex habitu ad dispositionem contrariam et ex dispositione contraria ad habitum, quousque habitus sit firmus et fixus. Et intendit per HABITUM formam scientie, et per DISPOSITIONEM CONTRARIAM ignorantiam. Deinde dixit: ALTER AUTEM CUM MUTABITUR EX HABERE SENSUM AUT SCIENTIAM GRAMATICE (SED NON INTELLIGIT) QUOUSQUE AGAT. Idest, et alter exit de potentia

Page 216

in actum et in ultimam perfectionem quando mutabitur ex habere sensum in actu aut scientiam Gramatice in actu in tempore in quo non intelligit ab eo, quousque agat ab eo. Modus igitur istius virtutis est alius modus.

57. ET PASSIO ETIAM NON EST SIMPLICITER, SED QUEDAM
EST ALIQUA CORRUPTIO A CONTRARIO, ET QUEDAM MAGIS VIDETUR
ESSE EVASIO EIUS QUOD EST IN POTENTIA 417b2
AB EO QUOD EST IN ACTU ET EST SIMILE. ISTA IGITUR 417b5
EST DISPOSITIO EIUS QUOD EST IN POTENTIA APUD
PERFECTIONEM; NON ENIM CONSIDERAT NISI HABENS
SCIENTIAM. ET HOC AUT NON EST ALTERATIO, QUONIAM
ADDITIO IN IPSO ERIT AD PERFECTIONEM, AUT
EST ALIUD GENUS ALTERATIONIS. 417b7

Et hoc nomen PASSIO non significat eandem intentionem simplicem, sed quedam est passio que est corruptio patientis a contrario a quo patitur, ut passio calidi a frigido, et humidi a sicco. Deinde dixit: ET QUEDAM VIDETUR MAGIS, etc. Idest, et etiam est passio que est evasio patientis in potentia ab eo quod est in perfectione et actu, secundum quod illud quod est in actu est simile, non contrarium, scilicet extrahens ipsum a potentia ad actum, econtrario dispositioni in prima passione. Deinde dixit: ISTA IGITUR EST DISPOSITIO, etc. Idest, et iste ultimus modus passionis est dispositio eius quod est in potentia ex anima apud perfectionem moventem illud quod est in potentia et extrahentem eam in actum non secundum primum modum passionis.

Page 217

Deinde dixit: NON ENIM CONSIDERAT, etc. Idest, et iste modus passionis est ex modo qui est evasio patientis ab eo quod est in actu movens ipsum, non corruptio eius; non enim considerat in aliquo, postquam non considerabat, nisi qui scit illud. Et hoc non est alteratio secundum primam intentionem, que est corruptio patientis. Deinde dixit: ADDITIO ENIM IN EO EST AD PERFECTIONEM, etc. Idest, et quia ista transmutatio non est ex non esse, sed est additio in transmutabili et ire ad perfectionem absque eo quod sit illic corruptio aut mutatio ex non esse, ponitur sicut mutatio ex ignorantia ad scientiam. Et quasi intendit quod hoc est magis remotum a vera alteratione duobus modis. Alteratio enim que est evasio patientis est duplex, alteratio scilicet de non esse ad perfectionem, et alteratio de prima perfectione ad ultimam; et hoc est additio quam innuit. Deinde dixit: AUT EST ALIUD GENUS ALTERATIONIS. Idest, et iste modus qui est evasio patientis aut non

dicetur alteratio, aut erit aliud genus alterationis.

58. ET SIMILITER, NON EST RECTUM DICERE IN EO 417b8
QUOD INTELLIGIT, QUANDO INTELLIGIT, QUOD ALTERATUR,
SICUT NON DICITUR QUOD EDIFICATOR, QUANDO EDIFICAT,
ALTERATUR. QUOD AUTEM REVERTITUR AD PERFECTIONEM 417b10
AB EO QUOD IN POTENTIA EXISTIT IN CAPITULO INTELLIGENDI
NON EST RECTUM UT VOCETUR DISCIPLINA,
SED OPORTET PONERE EI ALIUD NOMEN. QUI AUTEM
ADDISCIT POSTQUAM FUIT IN POTENTIA, ET ACCEPIT SCIENTIAM
AB EO QUI EST IN PERFECTIONE DOCTOR, OPORTET AUT
UT NON DICATUR OMNINO PATI, AUT UT DICATUR QUOD ALTERATIO
EST DUPLEX, TRANSMUTATIO SCILICET AD DISPOSITIONES NON 417b15
ESSE, ET TRANSMUTATIO AD HABITUM ET NATURAM. 417b16

Page 218

Et similiter, non est rectum dicere in eo quod venit de ignorantia ad scientiam, cuius dispositio dicitur disciplina, quod alteratur, sicut non dicitur hoc in eo quod mutatur ex hoc quod non operatur ab habitu existente in eo in actu ad hoc quod agat ab eo, ut Carpentarius qui mutatur a non carpentari ad carpentari; et hoc exemplum invenimus in alia translatione. Deinde dixit: QUOD AUTEM REVERTITUR AD PERFECTIONE, etc. Idest, qui autem acquirit perfectionem de scientia post potentiam secundum reversionem ad illud quod iam acquisierat primo, deinde amisit ipsum, non debet dici illo nomine quo dicitur ille qui est in potentia prima semper et nunquam lucratus fuit illud quod dicitur disciplina; sed iste modus debet habere aliud nomen. Et iste modus quem innuit dicitur rememoratio. Et dixit hoc quia Plato opinatur quod disciplina et rememoratio idem sunt. Deinde dixit: QUI AUTEM ADDISCIT POSTQUAM FUIT IN POTENTIA, etc. Idest, transmutatio autem ex ignorantia in scientiam a Doctore qui est sciens in perfectione et in actu necesse est aut ut non vocetur alteratio, aut ut dicatur quod alteratio est duobus modis; quorum unus est transmutatio que fit in dispositionibus non esse in patiente ab agente, et alius est transmutatio que fit in dispositione habitus et forme existentis in patiente ab agente; et ista est passio que est corruptio patientis, non evasio. Et hoc est illud quod dixit ante: AUT EST ALIUD GENUS ALTERATIONIS.

59. ET PRIMA TRANSMUTATIO SENTIENTIS EST A GENERANTE, 417b16
ITA QUOD, CUM FUERIT GENERATUM, STATIM
EST SENTIRE ETIAM, SICUT SCIENTIA EST. ET QUOD EST ETIAM IN ACTU EST
SIMILE CONSIDERATIONI. SED TAMEN DIFFERUNT, QUOD
AGENTIA IN HOC SUNT EXTRINSECA, UT VISUM ET AUDITUM, 417b20
ET SIMILITER ALIA SENSIBILIA. 417b21

Page 219

Et prima transmutatio sentientis, que est similis transmutationi hominis de ignorantia ad scientiam per Doctorem, est transmutatio que fit per agens generans animal, non a sensibilibus. Et innuit differentiam inter primam perfectionem factam in sensu et ultimam. Opinatur enim quod prima perfectio sensus fit ab intelligentia agentis, ut declaratur in libro Animalium; secunda autem perfectio fit a sensibilibus. Deinde dixit: ITA

QUOD, CUM FUERIT FACTUM, etc. Idest, ita quod, cum prima virtus fuerit facta, statim sentiet, nisi aliquid impediat, aut sensibilia non sint presentia. Et hoc est simile scientie que est in sciente qui non utitur scientia. Deinde dixit: ET SENTIRE EST SICUT SCIRE. Idest, et ultima perfectio sensus, que est comprehendere sensibilia in actu et considerare in eis, simile est uti scientia et consideratione. Deinde dixit: ET QUOD EST IN ACTU EST SIMILE AD CONSIDERARE. Idest, sentire in actu simile est ad considerare et scire. Deinde dixit: SED DIFFERUNT, etc. Idest, sed prima perfectio sensus differt a scientia scientis que est in actu quando non considerat in hoc quod movens primam perfectionem in sensu et extrahens eam in secundam sunt extrinseca sensata, ut visibilia, et movens scientem de prima perfectione in secundam est aliquid copulatum cum anima copulatione in esse.

60. ET CAUSA IN HOC EST, QUOD SENSUS IN ACTUA
COMPREHENDIT PARTICULARIA, SCIENTIA AUTEM UNIVERSALIA,
QUASI ESSENT IN IPSA ANIMA. ET IDEO HOMO
POTEST INTELLIGERE CUM VOLUERIT, SED NON SENTIRE,
QUIA INDIGET SENSATO. ET ISTA DISPOSITIO EST ETIAM
IN SCIENTIA SENSIBILIVM; ISTA ENIM CAUSA EST CAUSA

417b22

417b25

Page 220

EORUM, SCILICET QUOD SENSIBILIA SUNT EX REBUS PARTICULARIBUS
EXTRINSECIS. SED LOQUI DE ISTIS ET
EXPONERE EA ERIT POST, ET HABEBIT HORAM.

417b29

Et causa huius diversitatis inter sensum et intellectum in acquirendo ultimam perfectionem est in hoc quod motor est in sensu extrinsecus, et in intellectu intrinsecus est; quia sensus in actu non movetur nisi motu qui dicitur comprehensio a rebus particularibus sensibilibus, et iste sunt extra animam; intellectus autem movetur ad ultimam perfectionem a rebus universalibus, et iste sunt in anima. Et dixit: ET ISTE QUASI SUNT IN ANIMA, quia post declarabit quod ea que sunt de prima perfectione in intellectu quasi sensibilia de prima perfectione sensus, scilicet in hoc quod ambo movent, sunt intentiones ymaginabiles, et iste sunt universales potentia, licet non actu; et ideo dixit: ET ISTE QUASI SUNT IN ANIMA, et non dixit SUNT, quia intentio universalis est alia ab intentione ymaginata. Deinde dixit: ET IDEO POTEST HOMO INTELLIGERE, etc. Idest, et quia moventia virtutem rationalem sunt intra animam et habita a nobis semper in actu, ideo homo potest considerare in eis cum voluerit, et hoc dicitur formare; et non potest sentire cum voluerit, quia indiget necessario sensibilibus, que sunt extra animam. Deinde dixit: ET ISTA DISPOSITIO EST ETIAM, etc. Idest, et ista dispositio est etiam in nobis in scientia sensibilibus, et nos discimus ab eis quia existunt in sensibus. Et causa in esse istius dispositionis in nobis in scientia sensibilibus est eadem causa in esse eorum in ipsis sensibus. Et similiter est intelligendum

Page 221

quod dispositio existens in nobis in scientia universalium est in nobis quia est in virtute rationali, et quod causa quod nos sumus per illam hoc modo est causa qua ipsa est illo

modo. Sed quia sermo in intellectu non est hic manifestus, transmisit nos ad aliud tempus. Et dixit: SED SERMO IN ISTIS REBUS, idest de intellectu. Et potest aliquis dicere quod sensibilia non movent sensus illo modo quo existunt extra animam; movent enim sensus secundum quod sunt intentiones, cum in materia non sint intentiones in actu, sed in potentia. Et non potest aliquis dicere quod ista diversitas accidit per diversitatem subiecti, ita quod fiant intentiones propter materiam spiritualem que est sensus, non propter motorem extrinsecum. Melius est enim existimare quod causa in diversitate materie est diversitas formarum, non quod diversitas materie sit causa in diversitate formarum. Et cum ita sit, necesse est ponere motorem extrinsecum in sensibus alium a sensibilibus, sicut fuit necesse in intellectu. Visum est igitur quod, si concesserimus quod diversitas formarum est causa diversitatis materie, quod necesse erit motorem extrinsecum esse. Sed Aristoteles tacuit hoc in sensu, quia latet, et apparet in intellectu. Et tu debes hoc considerare, quoniam indiget perscrutatione.

61. NUNC AUTEM INTANTUM DETERMINETUR QUONIAM ILLUD	417b29
QUOD DICITUR ESSE IN POTENTIA NON EST SIMPLICITER, SED DE	417b30
QUODAM DICITUR SICUT DICITUR QUOD PUER POTEST GUBERNARE	
EXERCITUM, ET DE QUODAM DICITUR SICUT DICITUR	
DE EXPERIMENTATO; ET SIMILITER EST DE SENSU.	417b32

Page 222

Summa eius quod declaratum est ex hoc sermone et in hoc loco hoc est. Et intendit per SIMPLICITER unam intentionem, et dixit quod illud quod est in potentia non est una intentio, sed plures. Et dixit: SED QUEDAM DICITUR, etc. Idest, sed quidam sensus dicitur esse in potentia sicut dicitur quod puer potest gubernare exercitum; et ista est potentia prima remota, ex qua cum fit transmutatio ad propinquam potentiam, fit per generans, non per sensibilia, et est similis potentie ignorantis ad scientiam. Deinde dixit: ET DE QUODAM DICITUR SICUT DICITUR DE EXPERIMENTATO; ET SIMILITER EST DE SENSU. Et intendit potentiam que est prima perfectio sensus, et est illa ex qua fit transmutatio ad ultimam perfectionem per ipsa sensibilia; et est similis scienti quando non utitur sua scientia. Et intendit per omnia ista declarare quod potentia sensus que recipit sensibilia non est pura preparatio, sicut preparatio que est in puero ad recipiendum scientiam, et quod est aliquis actus, sicut habens habitum quando non utitur suo habitu.

62. SED QUIA DIFFERENTIE EORUM NON SUNT NOMINATE, ET	417b32
IAM DETERMINAVIMUS DE EIS QUOD SUNT DIVERSE, ET	
QUOMODO, NECESSE EST NOBIS UTI PASSIONE ET ALTERATIONE	
SICUT RES VERE. ET SENTIENS IN POTENTIA EST SICUT	
SENSATUM IN PERFECTIONE, SECUNDUM QUOD DIXIMUS; PATITUR ENIM	418a5
DUM NON EST SIMILE, ET CUM PATITUR, ASSIMILATUR.	418a6

Page 223

Sed quia differentie potentie et transmutationis

existentium in anima sensibili et in rebus animatis non habent nomina propria, et iam declaravimus ea esse diversa, et declaravimus modum secundum quem diversantur, visum est nobis quod necesse est, inquantum ista intentio quam determinavimus de anima non habet nomen proprium, dare ei nomen passionis et alterationis, que est subiectum rerum verarum. Hoc enim non nocet, cum iam determinavimus intensionem secundum quam diversantur. Et dixit: NECESSE EST NOBIS, quia ista intentio caret nomine apud vulgus, et transumptio nominis usitati apud vulgus est facilius quam fingere aliud nomen. Et cum hoc fuit declaratum de sentiente, incepit describere eum simpliciter. Et dixit: ET SENTIENS EST IN POTENTIA SICUT SENSATUM IN PERFECTIONE. Idest, manifestum est igitur ex hoc quod diximus quod sentiens simpliciter est illud quod est in potentia ad intensionem quam determinavimus de potentia per intensionem rei sensibilis in perfectione, idest illud quod innatum est perfici per intensiones rerum sensibilium, non per ipsas res sensibiles. Et si non, tunc esse coloris in visu et in corpore esset idem; et si ita esset, tunc esse eius in visu non esset comprehensio. Et ideo dixit: EST ILLUD QUOD EST IN POTENTIA SICUT SENSATUM IN PERFECTIONE, et non dixit: ILLUD QUOD EST IN POTENTIA SENSATUM; quoniam, si ita esset, idem esset esse coloris in visu et in suas materia. Deinde dixit: PATITUR IGITUR DUM NON EST SIMILE, ET CUM PATITUR, ASSIMILATUR, etc. Idest, et contingit ei illud quod contingit omnibus alterabilibus, ut declaratum est in sermone universali; et est quod patitur a sensibili dum non est simile ei, et cum passio perficitur, tunc erit simile.

Page 224

ii.6

63. ET ANTEQUAM INCIPIAMUS LOQUI DE UNOQUOQUE

418a7

SENSUUM, LOGUAMUR DE SENSIBILIBUS. DICAMUS

IGITUR QUOD SENSIBILE DICITUR TRIBUS MODIS, QUORUM DUO

DICUNTUR SENTIRI PER SE, ET TERTIUS ACCIDENTALITER. ET

ALTER DUORUM PROPRIUS EST UNICUIQUE SENSUUM, ET ALTER

418a10

EST COMMUNIS OMNIBUS. ET EST DICERE proprius QUEM

NON POTEST ALTER SENSUS SENTIRE, ET ILLUD QUOD IMPOSSIBILE

EST UT EI CONTINGAT ERROR, V.G. VISUS

APUD COLOREM, ET AUDITUS APUD VOCEM, ET GUSTUS

APUD SAPOREM. SENSUS AUTEM PLURES MODOS UNO

HABET, SED UNUSQUISQUE EORUM IUDICAT

418a15

ISTA, ET NON ERRAT IN COLORE QUIS COLOR SIT, NEQUE

IN VOCE QUE VOX SIT, SED IN COLORATO QUID EST

ET UBI EST, ET IN AUDITO QUID EST ET UBI EST. QUOD

IGITUR EST TALE EST proprium.

418a17

Cum declaravit quid est sensus simpliciter, vult modo loqui de unoquoque sensuum. Et quia iam predixit quod via ad hoc est loqui de ipsis sensibilibus, cum sint magis nota quam sensus, dixit: ET ANTEQUAM INCIPIAMUS LOQUI, etc. Idest, et quia necesse est ire ex eis que sunt apud nos magis nota ad ea que sunt magis nota apud Naturam, oportet nos loqui prius de ipsis sensibilibus.

Et quia sensibilium hec sunt universalialia, et hec propria, incepit loqui de universalibus. Et dixit: DICAMUS

IGITUR QUOD SENSATUM, etc. Et sermo eius in capitulo hoc apparet. Et per hoc quod dixit: SENSUS AUTEM HABET PLURES MODOS, intendit quod sensibilia uniuscuiusque istorum

Page 225

sensuum plura sunt uno modo, sed unusquisque sensuum iudicat suum sensatum proprium et non errat in eo in maiori parte. Visus enim non errat in colore utrum sit albus aut niger, neque auditus in voce utrum sit gravis aut acuta; sed isti sensus errant in comprehendendo differentias individuorum istorum sensibilium, v.g. in comprehendendo illud album quod est nix, aut differentias locorum illorum, v.g. ut comprehendat quod illud album est superius aut inferius. Deinde dixit: QUOD IGITUR EST TALE DICITUR PROPRIUM. Idest, sensibilia autem que inveniuntur alicui soli sensui, qui non errat in eis in maiori parte, dicuntur propria. Et cum dixit: SED IN COLORATO QUID EST ET UBI EST, ET IN AUDITO QUID EST ET UBI EST, non intendebat quod sensus comprehendit essentias rerum, sicut quidam existimaverunt; hoc enim est alterius potentie, que dicitur intellectus; sed intendebat quod sensus, cum hoc quod comprehendunt sua sensibilia propria, comprehendunt intentiones individuales diversas in generibus et in speciebus; comprehendunt igitur intentionem huius hominis individualis, et intentionem huius equi individualis, et universaliter intentionem uniuscuiusque decem predicamentorum individualium. Et hoc videtur esse proprium sensibus hominis; unde dicit Aristoteles in libro de Sensu et Sensato quod sensus aliorum animalium non sunt sicut sensus hominis, aut simile huic sermoni. Et ista intentio individualis est illa quam distinguit virtus cogitativa a forma ymaginata, et expoliat eam ab eis que fuerunt adiuncta cum ea ex istis sensibilibus communibus et

Page 226

propriis, et reponit ea in rememorativa. Et hec eadem est illa quam comprehendit ymaginativa, sed ymaginativa comprehendit eam coniunctam istis sensibilibus, licet eius comprehensio sit magis spiritualis, ut alibi determinatum est.

64. COMMUNIA AUTEM SUNT MOTUS ET QUIES ET NUMERUS
ET FIGURA ET QUANTITAS. ISTA ENIM NON SUNT PROPRIA
ALICUI, SED COMMUNIA EIS OMNIS; MOTUS
ENIM SENTITUR TACTU ET VISU.

418a17

418a20

Cum declaravit ex duobus modis essentialibus modum proprium, incepit declarare communem. Et dixit quod sunt quinque: motus et quies, etc. Et hoc quod dixit: ISTA ENIM NON SUNT PROPRIA, etc., non intendit quod unumquodque istorum quinque est commune unicuique sensuum, et intellexit Themistius, et secundum quod apparet; sed tria eorum, scilicet motus et quies et numerus, sunt communia omnibus; figura autem et quantitas sunt communia tactui et visui tantum. Et sic intendit per hoc quod dixit: SED COMMUNIA EIS OMNIA, idest, sed omnia sunt communia sensibus,

non omnia omnibus sensibus. Quoniam autem hec sensibilia, scilicet propria et communia, sunt attributa sensibus essentialiter manifestum est; non enim possumus attribuere comprehensionem sensuum eis alio modo ab eo secundum quem sunt sensus. Hec igitur est intentio eius quod est accidentaliter, quod est oppositum ei quod est essentialiter. Ista enim sunt comprehensibilia sensuum secundum quod sunt sensus, non secundum quod sunt aliqui sensus.

Page 227

65. ACCIDENTALITER AUTEM DICITUR IN RE QUOD EST SENSIBILIS, QUASI SIT ALBUM SOCRATES; ISTE ENIM NON SENTITUR NISI ACCIDENTALITER; ACCIDIT ENIM ALBO QUOD FUIT ISTE. ET IDEO NON PATITUR A SENSIBILI SECUNDUM QUOD EST SIC. EA AUTEM QUE SUNT SENSIBILIA PER SE ET PROPRIA SUNT SENSIBILIA IN REI VERITATE; ET SUNT EA QUE SENTIRE EST NATA SUBSTANTIA CUIUSQUE SENSUUM.

418a20

418a25

Cum declaravit duos modos sensibilium per se, scilicet priorum et communium, incepit declarare tertium modum, qui est sensibilis per accidens. Et dixit: ACCIDENTALITER AUTEM DICITUR IN RE QUOD EST SENSIBILIS, idest hoc modo. Deinde dedit exemplum. Et dixit: ALBUM ENIM QUOD EST SOCRATES NON SENTITUR NISI ACCIDENTALITER. Idest, iudicare enim quod illud album est Socrates est sentire accidentaliter. Deinde dedit causam. Et dixit: ACCIDIT ENIM QUOD ALBUM QUOD SENTITUR SIT ISTUD. Idest, et dicimus quod ista comprehensio est per accidens quia non sentimus per visum quod illud est Socrates nisi secundum quod est coloratum, et coloratum illud esse Socratem est per accidens secundum quod est coloratum. Sed potest aliquis dicere quod similiter accidit ei figura et numerus et motus et quies. Quomodo igitur fuerunt numerata ista in eis que sunt sensibilia essentialiter? Quoniam, si fuerunt numerata quia sunt communia, similiter etiam intentiones individuorum sunt communes omnibus sensibus. Et possumus dicere in hoc duos sermones, quorum unus est quod ista communicatio magis videtur esse necessaria in esse priorum sensibilium, v.g. quantitatis. Color enim non denudatur ab eo, et similiter calor

Page 228

et frigus, que appropriantur tactui; color autem non est necesse ut sit in Socrate aut Platone, neque necessitate propinqua neque remota. Et etiam sensibilia communia, ut declarabitur, sunt propria sensui communi (quemadmodum ista sunt propria unicuique sensuum), et comprehensio intentionis individui non, licet sit actio sensus communis; et ideo pluries indiget in comprehensione intentionis individui uti pluribus uno sensu, ut utuntur Medici, in sciendo vitam eius quod existimatur habere superpositionem venarum, pluribus uno sensu. Tamen videtur quod ista actio est sensus communis non secundum quod est sensus communis, sed secundum quod est sensus alicuius animalis, v.g. animalis intelligentis. Iste igitur est etiam alius modus modorum secundum accidens, scilicet quod accidit sensibus comprehendere differentias individuorum (secundum quod sunt individua) non secundum quod sunt sensus simplices, sed secundum quod sunt sensus humani; et precipue differentias

substantiales; videtur enim quod comprehensio intentionum individualium substantiarum, de quibus intellectus considerat, est propria sensibus hominis. Et debes scire quod comprehensio intentionis individui est sensuum, et comprehensio intentionis universalis est intellectus, et universalitas et individualitas comprehenduntur per intellectum, scilicet diffinitio universalis et individui. Deinde dixit: ET IDEO NON PATITUR, etc. Idest, et visus non patitur ab intentione sensibili per accidens; quoniam, si pateretur ab aliquo individuo secundum

Page 229

quod est illud individuum, non deberet pati ab alio individuo. Deinde dixit: ET AUTEM QUE SUNT SENSIBILIA PER SE, etc. Idest, duorum autem modorum rerum sensibilium per se, propria sunt ea que prius debent numerari in eis que sunt essentialiter et sunt sensibilia in rei veritate et essentialiter, cum ista sunt ea que sentiuntur primo et essentialiter; illa autem, licet sentiantur essentialiter, tamen non sunt prima. Deinde dixit: ET SUNT EA QUE SENTIRE, etc. Idest, et sunt ea que sunt nata sentiri primo et essentialiter ab unoquoque sensuum; et similiter, natura et essentia uniuscuiusque sensuum est in sentiendo ea.

66. ILLUD IGITUR CUI ATTRIBUITUR VISUS EST VISIBILE. ET VISIBILE EST COLOR, ET QUOD POSSIBILE EST DICI SED NON EST DICTUM; ET POST APPAREBIT QUOD DICIMUS MAGIS. QUONIAM VISIBILE EST COLOR, ET HOC EST VISIBILE PER SE. ET EST DICERE per se NON SECUNDUM INTENTIONEM, SED IN EO INVENITUR CAUSA IN HOC QUOD EST VISIBILE.

ii.7

418a26

418a30

418a31

Cum complevit sermonem universalem de sensibilibus, reversus est ad sermonem proprium de unoquoque sensibili, et primo de sensibili visus. Et dixit: ILLUD AUTEM CUI ATTRIBUITUR VISUS, etc. Idest, et manifestum est per se quod sensibile quod attribuitur visui proprie est visibile. Et visibile est color, et sibi simile ex rebus que videntur in obscuro, que non habent in colore nomen congregans neque etiam in se habent nomen quod demonstrat de eis illud quod est quasi genus, sed non possunt exponi nisi

Page 230

sermone composito; v.g. quod dicamus quod sunt ea que videntur in obscuro et non videntur in luce, ut conche. Deinde dixit: ET POST APPAREBIT, etc. Idest, et non declarabimus post modum secundum quem dicitur quod color et ista sunt visibilia, scilicet utrum hoc dicatur equivoce aut secundum prius et posterius. Deinde dixit: VISIBILE ENIM EST COLOR, etc. Idest, visibile enim in rei veritate est color; color autem est illud quod per se est visibile. Et est dicere PER SE non secundum primam intentionem intentionum de quibus dicitur illud quod est essentialiter (et est modus in quo predicatum est in substantia subiecti), sed secundum intentionem secundam (et est illud in quo subiectum est in diffinitione predicati). Color enim est causa ut res sit sensibilis. Et per hoc quod dixit: SED IN EO INVENITUR CAUSA, intendit:

secundum quod color est causa, aut in eo invenitur causa,
ut aliquid sit visibile.

67. ET OMNIS COLOR EST MOVENS DIAFFONUM IN
ACTU; ET HOC EST NATURA EIUS. ET IDEO NON EST VISIBILIS
ABSQUE LUCE, SED NECESSARIO UNUSQUISQUE
COLORUM NON EST VISIBILIS NISI IN LUCE. ET IDEO
DICENDUM EST DE LUCE QUID EST; ET HOC ERIT IN DICENDO
QUASI IN DIAFFONO QUID SIT.

418a31

418b4

Et substantia coloris et eius essentia, secundum quod est visibilis,
est illud quod movet diaffonum in actu. Deinde dixit:
ET HOC EST NATURA EIUS, etc. Idest, et ista descriptio demonstrat

Page 231

naturam et substantiam eius, secundum quod est visibilis. Et
signum quod color est movens diaffonum in actu, non diaffonum
in potentia, est quia non erit visibilis absque luce, per
quam diaffonum in potentia fiat diaffonum in actu. Et
hoc aut demonstrat quod ipse opinatur quod colores existunt
in obscuro in actu, et si lux sit necessaria in videndo
colorem, non est nisi secundum quod facit diaffonum
in potentia diaffonum in actu; aut opinatur quod lux est
necessaria in videre secundum quod colores existunt in obscuro
in potentia, et secundum quod diaffonum indiget
etiam in recipiendo colorem ut sit diaffonum in
actu. Et Avempeche dubitavit in hac descriptione diaffoni,
et dixit quod non est necesse ut diaffonum, inquantum
movetur a colore, sit diffonum in actu. Quoniam
diaffonitas eius in actu est illuminatio eius, et eius illuminatio
est aliquis color; color enim nichil est nisi admixtio
corporis lucidi cum corpore diaffono, ut declaratum
est in libro de Sensu et Sensato; et omne recipiens
aliquid non recipit ipsum nisi in modo secundum quem
caret illo. Et hoc coegit eum ad exponendum hunc
sermonem alio modo ab eo quem dixerunt expositores,
et dixit: et dicere est quod color movet diaffonum in
actu, idest movet diaffonum ad actum de potentia, non quod
movet diaffonum secundum quod est diaffonum;
lux autem necessaria est in videre quia colores in obscuro
sunt in potentia, et ipsa facit eos in actu ut moveant
diaffonum secundum quod diaffonum caret
luce, aut illo quod fit a luce, scilicet colore. Et ista expositio
est valde difficilis, secundum quod sonant eius verba.

Alexander autem dat rationem quod diaffonum in actu

Page 232

movetur a colore ex hoc quod apparet. Aer enim videtur
multotiens colorari colore quem videmus mediante
aere, ut parietes et terra colorantur per colorem
plantarum apud transitum nubium super es. Si igitur
aer non coloraretur per colorem illarum plantarum,
non colorarentur parietes et terra. Et manifestum est
quod color, licet fiat a corpore lucido, tamen differt ab
eo diffinitione et essentia; color enim, ut dicitur, est ultimum
diaffoni terminati; lux autem est complementum

diffoni non terminati. Unde manifestum est quod non de necessitate illud quod movetur a colore debet esse non lucidum, sed de necessitate debet esse non coloratum. Nichil enim recipit se, aut est causa alicuius in recipiendo ipsum. Et ista est propositio manifesta per se, et Aristoteles ea multotiens utitur; et indifferenter sive moveri et recipere fuerint spiritualia, sicut aer recipit colorem, aut materialia, sicut corpus admixtum ex lucido et diaffono obscuro recipit colorem. Et cum fuerit possibile quod diaffonum in actu moveatur a colore, necesse est ut hoc sit ei aut essentialiter aut accidentaliter, scilicet aut secundum quod est diaffonum in actu, aut secundum quod est diaffonum tantum sed contingit ei ut non moveatur a coloribus nisi essendo diaffonum in actu; hoc enim est secundum quod est diaffonum. Et ista est opinio Avempeche. Sed manifestum est per se quod lux necessaria est in colores essendo visibiles; et hoc aut erit quia dat coloribus formam et habitum quo agunt in diaffono, aut quia dat diaffono formam qua recipit motum a coloribus, aut utrunque. Et est manifestum quod, quando conservaverimus

Page 233

quod dicit Aristoteles in principio istius sermonis (et posuit ipsum positione quasi manifesta per se), tunc necesse erit ut lux non sit necessaria in essendo colores moventes diaffonum nisi secundum quod dat diaffono formam aliquam qua recipit motum a colore, scilicet illuminationem. Aristoteles enim posuit principium quod color est visibilis per se, et quod simile est dicere colorem visibilem et hominem risibilem, scilicet de genere propositionis essentialis in qua subiectum est causa predicati, non predicatum causa subiecti ut cum dicitur: homo est rationalis. Et hoc intendebat cum dixit: SED SECUNDUM QUOD IN EO INVENITUR CAUSA IN HOC QUOD EST VISIBILE, secundum quod exposuimus. Et hoc concesso, manifestum est quod impossibile est dicere quod lux est illud quod largitur colori habitum et formam qua fit visibilis. Quoniam, si ita esset, tunc comparatio visionis ad colorem esset accidentalis et secunda, non prima, scilicet mediante isto habitu. Visio enim manifestum est quod est aliquid posterius visibili, et quod proportio eius ad colorem non est sicut proportio rationalis ad hominem. Manifestum est igitur quod proportio eius est sicut proportio risibilis ad hominem; et sic color, secundum quod est color, est visibilis non mediante alia forma sibi contingente. Et cum ita sit, lux non est necessaria in essendo colorem moventem in actu, nisi secundum quod dat subiecto sibi proprio receptionem motus a se. Et Aristoteles videtur quod non posuit hoc quod posuit nisi intendendo dissolutionem istius questionis. Et secundum hoc intelligendus est sermo eius quod colores movent visum in obscuro in potentia; lux enim est illud quod facit eos motivos

Page 234

in actu; unde assimilatur lucem intelligentie agenti, et colores universalibus. Quod enim inducitur secundum exemplum et large non est simile ei quod inducitur secundum

demonstrationem; de exemplo autem non intenditur nisi manifestatio, non verificatio. Et non potest aliquis dicere quod color non invenitur in actu nisi luce presente. Color enim est ultimum diaffoni terminati; lux autem non est ultimum diffoni terminati, et ideo necessaria non est in essendo colorem, sed in essendo visibilem, ut determinavimus. Revertamur igitur et dicamus quod, cum declarvit quod color, secundum quod est visibilis, movet diaffonum in actu, et quod ista est natura eius propter hoc quod est visibilis per se, et quod impossibile est ut visio sit sine luce, reversus est ad narrandum illud quod considerandum est de istis rebus prius. Et dixit: SED NECESSARIUM EST UT UNUSQUISQUE COLOR, etc. Idest, sed quia unusquisque color non est visibilis nisi in luce, dicendum est prius de luce; lux enim est unum eorum quibus completur visio. Deinde dixit: ET HOC EST DICENDO QUID EST DIAFFONUM. Idest, et hoc complebitur nobis dicendo prius quid est diaffonum.

68. DICAMUS IGITUR QUOD DIAFFONUM EST ILLUD QUOD EST VISIBILE, SED 418b4
NON VISIBILE PER SE NEQUE SIMPLICITER, SED PROPTER COLOREM 418b5
EXTRANEI. ET IN TALI DISPOSITIONE INVENIMUS AEREM ET
AQUAM ET PLURA CORPORA CELESTIA. NON ENIM SECUNDUM
QUOD AER EST AER, NEQUE SECUNDUM QUOD AQUA EST AQUA, SUNT

Page 235

DIAFFONA, SED PROPTER NATURAM EANDEM EXISTENTEM IN HIIS 418b9
DUOBUS ET IN CORPORE ETERNO ALTISSIMO.

Cum narravit quod oportet prius considerare de natura diaffoni, incepit describere ipsam. Et dixit: ET DIAFFONUM EST ILLUD QUOD EST VISIBILE, etc. Idest, et diaffonum est illud quod non est visibile per se, scilicet per colorem naturalem existentem in eo, sed illud quod est visibile per accidens, idest per colorem extraneum. Et hoc quod dixit manifestum est. Et ideo innatum est recipere colores, cum nullum proprium habeat in se. Deinde dixit: NON ENIM SECUNDUM QUOD AER EST AER, etc. Idest, et quia diaffonitas non est in sola aqua neque in solo aere, sed etiam in corpore celesti, fuit necesse ut diaffonitas non sit in aliquo eorum secundum quod illud [line 18 cont.] est illud quod est, v.g. secundum quod aqua est aqua aut celum celum, sed secundum naturam communem existentem in omnibus, licet non habeat nomen. Et hoc quod dixit manifestum est.

69. LUX AUTEM EST ACTUS ISTIUS, SCILICET DIAFFONI, SECUNDUM QUOD 418b9
[line 1 cont.] EST DIAFFONUM;
IN POTENTIA AUTEM EST ILLUD IN QUO EST CUM HOC
OBSCURITAS. ET LUX EST QUASI COLOR DIAFFONI
CUM FUERIT DIAFFONUM SECUNDUM PERFECTIONEM AB
IGNE ET SIMILIBUS, UT CORPUS SUPERIUS; IN HOC
ENIM ETIAM EXISTIT ILLUD IDEM. IAM IGITUR DICTUM EST
QUID EST DIAFFONUM, ET QUID EST LUX, ET QUOD NON EST IGNIS,
NEQUE CORPUS OMNINO, NEQUE ALIQUID CURRENS A CORPORE 418b15
OMNINO; QUONIAM, SI ITA ESSET, TUNC SECUNDUM HUNC MODUM

Page 236

ESSET ALIQUOD CORPUS. SED EST PRESENTIA IGNIS,
AUT SIMILE, IN DIAFFONO. IMPOSSIBILE ENIM EST UT
DUO CORPORA SINT IN EODEM LOCO.

418b17

Cum declaravit naturam diaffoni, quod est de luce
quasi materia de forma, incepit diffinire lucem que est.
Et dixit: LUX AUTEM EST ACTUS DIAFFONI, etc. Idest, substantia autem
lucis est perfectio diaffoni secundum quod est diaffonum, aut
perfectio istius nature communis corporibus. Et hoc
quod dixit: IN POTENTIA AUTEM EST ILLUD IN QUO EST HOC ET OBSCURITAS,
id est: corpus autem diaffonum in potentia est illud
in quo invenitur ista natura communis cum obscuritate.

Deinde dixit: ET LUX EST QUASI COLOR DIAFFONI, etc. Idest, et lux in
diaffono non terminato est quasi color in diaffono terminato,
cum diaffonum fuerit diaffonum in actu a corpore
lucido naturaliter, ut ignis, et similia de corporibus
altissimis lucidis. Deinde dixit: IN HOC ENIM ETIAM, etc. Idest,
natura enim diaffonitatis existens in corpore celesti
semper associatur illi quod facit eam dispositionem in
actu; et ideo nunquam invenitur celum diaffonum in potentia,
sicut ea que sunt inferius, cum quandoque sit lucidem
presens et quandoque non; ista autem natura celestis semper
est illuminata. Et ex hoc declaratur etiam quod colores
non acquirunt habitum a luce; lux enim non est nisi
habitus corporis diaffoni...

70. ET EXISTIMATUR QUOD LUX SIT CONTRARIUM OBSCURITATI;
ET OBSCURITAS EST PRIVATIO HABITUS A DIAFFONO;
DECLARATUR IGITUR EX HOC QUOD LUX EST PRESENTIA ISTIUS
INTENTIONIS. ET NON VERE DIXIT EMPEDOCLES NEQUE ALIUS,

418b18

418b20

Page 237

SI ALIQUIS DIXIT SICUT IPSE DIXIT, QUOD LUX TRANSFERTUR ET
VADIT IN TEMPORE INTER TERRAM ET CIRCUNFERENTIAM, SED
IMPERCEPTIBILI A NOBIS. ISTE ENIM SERMO EST EXTRA
VERUM ET EXTRA APPARENTIAM. POSSIBILE ENIM EST HOC
NON PERCIPI IN BREVI SPATIO, SED NON PERCIPI DE ORIENTE
AD OCCIDENTEM MAGNA EST DIFFERENTIA VALDE.

418b25

418b26

Cum declaravit quod lux est perfectio corporis diaffoni
secundum quod est diaffonum, incepit declarare modum per
quem certificabitur quod lux non est corpus, sed est dispositio
et habitus in corpore diaffono. Et dixit: ET EXISTIMATUR
QUOD LUX SIT CONTRARIUM OBSCURITATIS, etc. Idest, et videtur
quod lux sit opposita obscuritati secundum privationem
et habitum. Deinde dixit: DECLARATUR IGITUR EX HOC QUOD LUX EST PRESENTIA
ISTIUS INTENTIONIS. Idest, declaratur igitur ex hoc, scilicet quod
obscuritas est privatio lucis in diaffono, quod lux non est
corpus, sed est presentia intentionis in diaffono cuius
privatio dicitur obscuritas apud presentiam corporis
luminosi. Et hoc quod dixit manifestum est, quoniam
subiectum obscuritatis et lucis est corpus, et est diaffonum;
lux autem est forma et habitus istius corporis, et si
esset corpus tunc corpus penetraret corpus. Deinde dixit: ET
NON VERE DIXIT EMPEDOCLES, etc. Idest, et nichil dixit Empedocles cum
dixit quod lux est corpus, et quod primo transfertur et vadit inter

terram et circumferentiam, deinde transfertur ad terram,
sed sensus non percipit propter velocitatem motus. Deinde dixit:
ISTE ENIM SERMO EST EXTRA VERUM, etc. Idest, iste enim sermo, scilicet
Empedoclis, est extra rationem. Possibile enim est hoc non sentiri
in brevi spatio, sed in maximo spatio, scilicet ex oriente in
occidentem, est maxime recedere a ratione.

Page 238

71. ET RECIPIENS COLOREM EST QUOD NON HABET COLOREM, 418b26
ET RECIPIENS VOCEM EST QUOD NON HABET VOCEM.
QUOD AUTEM NON HABET COLOREM EST DIAFFONUM
NON VISIBILE, AUT ILLUD QUOD VIDETUR SECUNDUM QUOD EXISTIMATUR
DE OBSCURO. ET TALE EST DIAFFONUM, SED
NON QUANDO IN PERFECTIONE FUERIT DIAFFONUM, 418b30
SED IN POTENTIA; EADEM ENIM NATURA FORTE ERIT
OBSCURITAS ET FORTE LUX. 419a1

Cum narravit quod color est movens diaffonum secundum
quod est diaffonum in actu, incepit dare causam in
hoc. Et dixit: ET RECIPIENS COLOREM EST ILLUD QUOD NON HABET
COLOREM, etc. Idest, et color est movens diaffonum quia
recipiens colorem debet carere colore. Et quod caret colore
est diaffonum non visibile per se, sed si dicitur visibile,
erit sicut dicitur quod obscurum est visibile, idest est innatum
videri, cum diaffonum sit obscurum quando lux non
fuerit presens. Et hoc intendebat cum dixit: AUT ILLUD QUOD
VIDETUR UT EXISTIMATUR DE OBSCURO; idest, aut illud quod
est visibile secundum quod dicitur quod obscurum est visibile. Deinde
[line 19 cont.] dixit:
ET QUOD EST TALE EST DIAFFONUM, etc. Idest, et diaffonum quod
non est visibile per se non est diaffonum quod perficitur per
lucem, sed diaffonum quod est in potentia lucidem.

Deinde dixit: EADEM ENIM NATURA, etc. Idest, et diaffonum
invenitur secundum has duas dispositiones quia natura recipiens
diaffonitatem in quibusdam rebus recipit utranque;
quandoque enim invenitur obscura et quandoque diaffona. Et dixit
FORTE quia hoc non equaliter accidit in ista natura,
sed tantum in diaffonis generabilibus et corruptibilibus.

Page 239

Natura autem celestis nunquam recipit obscuritatem,
nisi hoc quod existimatur de luna in eclipsi, et apud
diversitatem situm eius a sole (si concesserimus quod natura
lune sit ex naturis diaffonis, non ex naturis luminosis;
et forte luna est composita ex istis duabus naturis).

72. ET NON OMNIA VIDENTUR IN LUCE, SED EX QUOLIBET 419a1
COLOR TANTUM PROPRIUS. SUNT ENIM QUEDAM QUE
NON VIDENTUR IN LUCE, SED IN OBSCURITATE FACIUNT SENSUM,
V.G. EA QUE VIDENTUR IGNEA ET SPLENDESCERE.
ET ISTA NON HABENT UNUM NOMEN, V.G. CONCHA,
ET CORNU, ET CAPITA QUORUNDAM PISCUM 419a5
ET SQUAMME ET OCULI. SED COLOR PROPRIUS NON VIDETUR
IN ALIQUO EORUM. QUARE AUTEM ISTA VIDENTUR
INDIGET ALIO SERMONE. 419a7

Cum predixit quod visibilium quiddam est color et quiddam non color (et est illud quod non habet nomen commune), et quod proprium est colori quod non videatur nisi in luce, incepit dicere quod dispositio illorum aliorum visibilium est econtrario colori, scilicet quod videntur in obscuro, et non in luce. Et dixit: ET NON OMNIA VIDENTUR IN LUCE, etc. Idest, et non omne visibile videtur in luce, sed tantum hoc est verum, quod color proprius cuiuslibet visibilis videtur in luce, et indifferenter sive illud visibile videatur in obscuro sive non. Deinde dixit: SUNT ENIM QUEDAM QUE NON VIDENTUR IN LUCE, etc. Idest, et diximus quod non est necesse ut omne visibile videatur in luce quia sunt quedam que videntur in obscuro, et non in luce, ut plura animalia, et conche,

Page 240

et cornu, et alia. Et ista omnia non habent idem nomen. Deinde dixit: SED COLOR PROPRIUS NON VIDETUR, etc. Idest, sed licet ista sentiantur in obscuro, tamen color proprius uniuscuiusque eorum non sentitur tunc, sed apud presentiam lucis tantum; et ideo non potest aliquis dicere quod aliquis color videtur in obscuro. Deinde dixit: QUARE AUTEM VIDENTUR ISTA, etc. Idest, causa autem propter quam ista videntur in obscuro et non in luce dicenda est in alio loco. Et videtur quod ista videntur in nocte et non in die quia in eis est parum de natura lucida; latet enim veniente luce propter paucitatem eius, sicut hoc accidit in lucibus parvis cum fortibus (et ideo stelle non apparent in die). Et natura coloris alia est a natura lucis et lucidi; lux enim est visibilis per se, color autem est visibilis mediante luce.

73. IN HOC LOCO AUTEM HOC TANTUM APPARET, SCILICET QUOD OMNE VISUM	419a7
IN LUCE EST COLOR, ET SIMILITER, NON VIDETUR SINE	
LUCE. HOC ENIM ETIAM EST ILLUD QUOD FUIT IN	
COLORE QUID EST, SCILICET QUOD EST ILLUD QUOD MOVET	419a10
DIAFFONUM IN ACTU; ET PERFECTIO DIAFFONI EST LUX.	
ET SIGNUM EIUS MANIFESTUM EST, QUONIAM, SI POSUERIS ALIQUOD	
HABENS COLOREM SUPER IPSUM VISUM, NON	
VIDEBITUR. SED COLOR MOVET DIAFFONUM SICUT,	
AER CUM CONTINUATUR, MOVETUR SENSUS AB EO.	419a15

Cum declaravit quid est visibile, scilicet color, et quid est diaffonum, et quid est lux, incepit dicere summam eorum que

Page 241

declaravit. Et dixit: IN HOC AUTEM LOCO HOC TANTUM, etc. Et hoc quod dixit manifestum est, scilicet iste due propositiones, quarum una est quod omne quod videtur in luce est color, secunda econtrario scilicet quod omnis color videtur in luce. Illa enim que apparent in obscuro manifestum est quod non videntur secundum colorem proprium.

Deinde dixit: HOC ENIM ETIAM EST ILLUD, etc. Idest, hoc enim etiam est illud quod induxit nos ad dicendum in cognitione substantie coloris, secundum quod est visibile, quod est illud quod movet diaffonum in actu. Et intendit per hoc quod ista diffinitio non declarat esse coloris nisi secundum quod apparuit nobis quod impossibile est ut color

videatur sine luce, et quod lux intrat in visionem secundum quod largitur diaffono preparationem ut moveatur a coloribus, non quod largitur coloribus habitum; et hoc declaratum fuit prius. Deinde dixit: ET PERFECTIO DIAFFONI EST LUX, etc. Idest, et lux est actus diaffoni tantum. Et signum eius quod lux non habet esse absque diaffono est quia, si positum fuerit aliquod coloratum super ipsum visum, non comprehenditur; tunc enim non erit lux inter colorem et visum, quia non est illic diaffonum. Cum igitur diaffonum auferetur, auferetur et lux; et cum lux erit, erit diaffonum. Deinde dixit: SED COLOR MOVET DIAFFONUM, etc. Idest, sed propter hoc quod diximus, quod, cum color fuerit positus super visum, non videtur, fuit necesse ut visio coloris non compleatur nisi color moveat diaffonum quod est medium inter ipsum et videns, et medium moveat per suam continuationem cum vidente videntem; ut aer, quoniam, cum copulatur cum vidente, movetur a colore quando illuminatur, deinde ipse movet visum

Page 242

74. DEMOCRITUS IGITUR NON VERE DIXIT IN HOC 419a15
QUOD EXISTIMAVIT QUOD, SI MEDIUM ESSET VACUUM, TUNC
VISIO ESSET MAGIS VERA, ET SI FORMICA ESSET IN
CELO. HOC ENIM IMPOSSIBILE EST. VISUS ENIM NON
FIT NISI QUANDO SENSUS PATITUR ALIQUA PASSIONE;
SED IMPOSSIBILE EST UT VISUS PATIATUR A COLORE;
REMANET IGITUR UT PATIATUR A MEDIO, UNDE NECESSE 419a20
EST UT ALIQUID SIT IN MEDIO. SI AUTEM FUERIT
VACUUM, NON TANTUM VISIO NON ERIT VERA, SED
NICHIL OMNINO VIDEBITUR. DICTA EST IGITUR CAUSA
PROPTER QUAM COLOR NECESSE EST UT NON VIDEATUR
NISI IN LUCE. IGNIS AUTEM VIDETUR IN UTROQUE, SCILICET IN
OBSCURO ET IN LUCE; ET HOC NECESSE EST; DIAFFONUM
ENIM PER HOC EST DIAFFONUM. 419a25

Cum declaravit quod actio visus non perficitur nisi per diaffonum medians, per signum quod, cum color fuerit positus super visum, non videtur, et etiam quia visus non perficitur nisi per lucem, et lux non invenitur nisi in diaffono medio, incepit reprehendere Democritum dicentem quod, si visio esset in vacuo, tunc esset magis vera. Et dixit: DEMOCRITUS IGITUR, etc. Idest, et cum declaratum est quod visio non fit nisi per medium, non recte opinabatur Democritus quod, si visio esset mediante vacuo, tunc esset magis vera. Deinde dixit: HOC ENIM IMPOSSIBILE EST, etc. Idest, hoc enim quod dixit, quod visio magis perfecta erit in vacuo, impossibile est. Et signum eius est quod iam declaratum est quod visus, secundum quod est virtus sensibilis, movetur et patitur a colore, et color movet

Page 243

ipsum. Et impossibile est ut visus patiatur et moveatur a colore, si corpus coloratum fuerit extra visum, nisi ita quod illud coloratum prius moveat medium secundum tactum, et medium moveat visum. Et si vacuum esset inter visum et visibile, tunc non posset movere visum. Omnis enim habitus existens in corpore non agit nisi secundum tactum. Si igitur ultimum motum non tangitur a

motore, necesse est ut inter ea sit medium quod reddat passionem, et illud medium erit tactum et tangens; primum autem erit tangens non tactum, et motum postremum tactum non tangens. Unde necesse est ut visus patiaturs a medio, non a vacuo sicut existimavit Democritus. Et hec est demonstratio quod visio impossibile est ut fiat per vacuum, non quod visus impossibile est ut fiat nisi per medium. Potest enim aliquis dicere quod, si necessitas ad essendum medium esset propter sensatum esse distinctum a sentiente, tunc necesse esset ut, cum sensatum tangeret visum, quod sentiret ipsum; et non est ita. Et ideo non intendit Aristoteles per hunc sermonem quod visus indiget medio necessario, sed declarare quod, cum sensibilia fuerint distincta ab eo, impossibile erit ut sit per vacuum ut existimavit Democritus. Et est sustentatus super hoc, quod sensus indigent medio necessario scilicet, quia sensibilia, cum fuerint posita super eos, non sentient, et quod visus etiam non erit nisi per lucem, et lux non invenitur nisi per medium. Deinde dixit: IAM IGITUR DICTA EST CAUSA, etc. Idest, et cum declaratum est quod

Page 244

visus necessario indiget medio, declarata est per hoc causa propter quam color non videtur nisi in luce, et est quia non videtur nisi per medium. Et hoc demonstrat quod ipse non opinatur quod causa in essendo lucem in visione est ut faciat colores in actu, sicut quidam opinti sunt. Deinde dixit: IGNIS AUTEM VIDETUR IN EIS, etc. Idest, et ignis videtur in obscuro et luce ambobus quia congregatum est in eo utrunque, scilicet quia facit medium diaffonum in actu secundum quod est lucidus, et movet ipsum secundum quod est color in corpore.

75. ET ISTE SERMO IDEM EST DE VOCE ETIAM ET DE
ODORE. NULLUS ENIM EORUM, SI TETIGERIT SUUM
SENSUM, FACIT SENTIRE; SED MEDIUM MOVETUR AB
ODORE ET A VOCE, ET AB ISTO MOVETUR UTERQUE SENSUM.
SI IGITUR TU POSUERIS SUPER IPSUM SENSUM AUT
ALIQUOD HABENS VOCES AUT HABENS ODOREM,
NON FACIUNT OMNINO SENTIRE. ET SIMILITER EST DE
TACTU ET DE GUSTU, SED HOC NON APPARET; ET POST
DECLARABIMUS CAUSAM IN HOC.

419a25

419a30

419a31

Cum declaravit quod sensus visus non fit nisi per medium, incepit dicere etiam quod per istam eandem declarationem tres sensus necessario indigent medio. Et sermo eius est manifestus. Et per hoc quod dixit: ET SIMILITER EST DE TACTU ET GUSTU, intendit: et opinio nostra in sensu tactus et gustus, in hoc quod indigent medio, est sicut opinio nostra in aliis sensibus, licet illi duo sensus videantur sentire cum sua sensibilia fuerint posita

Page 245

super ea, et ideo non ita manifeste videntur indigere medio sicut illa tria alia. Deinde dixit: ET POST DECLARABIMUS CAUSAM IN HOC, idest causam propter quam sensus tactus et gustus sentiunt sensibilia posita super ipsa, et non est sic de tribus sensibus aliis.

76. ET MEDIUM IN VOCE EST AER. IN ODORE AUTEM NON HABET	419a32
NOMEN; EST ENIM ALIQUA PASSIO COMMUNIS IN AERE	
ET IN AQUA, ET EST DE ODORATU QUASI DIAFFONITAS	
IN COLORE, ET IDEO INVENITUR IN UTROQUE; QUONIAM ANIMALIA	419a35
ETIAM HABITANTIA IN AQUA HABENT SENSUM ODORATUS,	419b1
SED HOMO ET OMNIA ANIMALIA AMBULANTIA ANELANTIA	
NON POSSUNT ODORARE SINE ANELITU. ET POST	
DICEMUS CAUSAM IN ISTIS REBUS.	419b3

Dicit quod medium in voce est aer, non aqua, quia animalia que sunt in aqua non sentiunt, ut michi videtur, nisi per voces cadentes in aere extra aquam. Apparet enim quod vox non fit ex percussione corporum in aqua, econtrario de odore. Deinde dixit: IN ODORE AUTEM NON HABET NOMEN. Idest, natura autem recipiens odorem, scilicet que est in medio, non habet nomen sicut habet natura que recipit colorem in aqua et in aere, scilicet hoc nomen DIAFFONUM. Deinde dixit: EST ENIM PASSIO COMMUNIS, etc. Idest, apparet enim ex hoc quod receptio odoris non est aeris secundum quod est aer, neque aque secundum quod est aqua, sed oportet aliquam passionem esse in natura communi eis. Et illa natura innata est recipere odores extraneos; et hoc erit ut non habeat in se odorem omnino, quemadmodum

Page 246

diaffonum est natura que recipit colores et induit extraneos, secundum quod non habet colorem proprium. Et hoc demonstrat quod ipse non opinatur quod odor sit corpus dissolutum in aere ab odorabili, sed est qualitas aliqua per quam illa natura innata est perfici sed odor non perficitur per illam, quemadmodum diaffonum per colorem sed color non per diaffonum. Et sicut color habet duplex esse, quorum unum est in diaffono terminato (et est illud in quo est [line 29 cont.] naturale), et aliud in diaffono non terminato (et est illud in quo est extraneum), [line 30 cont.] sic odor habet similia hec duo esse, scilicet esse in humido saporabili (et est esse naturale), et esse in humido non saporabili (et est esse extraneum). Et post declarabimus hoc, cum locuti fuerimus de hoc sensu. Deinde dixit: ET PROPTER HOC INVENITUR EX UTROQUE. Idest, propter hanc naturam communem invenitur odor ex utroque elemento, scilicet aqua et aere. Animalia enim aquatica habent sensum odoratus, et non est dubium quin hoc fiat mediante aqua. Deinde dixit: SED OMNIA ANIMALIA AMBULANTIA, etc. Et intendebat per hoc declarare quod pisces odorant absque anelitu, et quod hoc non est inopinabile, sicut odorant plura animalia habitantia in aere non anelantia sine anelitu. Deinde dixit: ET POST DICETUR CAUSA IN HUIUSMODI, idest quare quedam animalia odorant per anelitum et quedam non.

Page 247

77. IN HOC AUTEM LOCO DETERMINEMUS PRIMO DE VOCE	ii.8
ET ODORE. ET DICAMUS QUOD VOX EST DUPLEX;	419b4
EST ENIM IN ACTU ET IN POTENTIA. SUNT ENIM QUEDAM	419b5
QUE NON DICUNTUR FACERE SONUM, UT SPONGIA, ET	
LANA. ET QUEDAM DICUNTUR HABERE SONUM, UT CUPRUM, ET OMNE	

DURUM; LENE ENIM POTEST FACERE SONUM; ET HOC POTEST
FACERE INTER IPSUM ET AUDITUM SONUM IN ACTU.

419b9

Videtur ordinare considerationem de virtutibus
sensus secundum nobilitatem, non secundum naturam, et ideo preposuit
sermonem de visu aliis sensibus, deinde de auditu,
deinde de odoratu. Et sermonis eius in hoc capitulo
abbreviatio est quod quedam habent sonum, ut res dure,
et quedam non, ut molles; et habentium sonum
quedam dicuntur habere sonum in actu, et quedam
in potentia.

78. ET SONUS IN ACTU SEMPER FIT PER ALIQUID, ET APUD
ALIQUID, ET IN ALIQUO. PERCUSSIO ENIM EST ILLUD QUOD
AGIT, ET IDEO IMPOSSIBILE EST QUOD FIAT SONUS AB ALIQUO
UNO; PERCUTIENS ENIM EST ALIQUID, ET PERCUSSUM
ALIUD, UNDE NECESSE EST UT FACIENS SONUM
NON FACIAT SONUM NISI APUD ALIQUID. ET PERCUSSIO
NON FIT SINE MOTU ET TRANSLATIONE. ET SICUT
DIXIMUS, SONUS NON EST PERCUSSIO CUIUSCUMQUE CORPORIS
SIT; VELLARA ENIM LANE, CUM CONFRICANTUR, NON FACIUNT
SONUM OMNINO, SED CUPRUM, ET OMNE LENE CONCAVUM;
CUPRUM AUTEM QUIA EST LENE, CORPORA AUTEM CONCAVA QUIA

419b9

419b10

419b15

Page 248

PER REFLEXIONEM FACIUNT PLURES PERCUSSIONES
POST PRIMAM, PROPTER PROHIBITIONEM EXITUS.

419b18

Intendit per PER ALIQUID percutiens, et APUD ALIQUID
percussum, et IN ALIQUO medium, scilicet aerem aut aquam.
Et quod dicit in hoc capitulo manifestum est, et abbreviatio
eius est quod sonus fit a percutiente et a percusso
et ab aliquo in quo percussio cadit. Percussio enim est
actio; ergo habet agens, scilicet percutiens, et materiam, scilicet
percussum. Et quia percussio est motus localis, non fit
nisi in aqua et aere, quoniam impossibile est ut sit in vacuo,
ut declaratum est in sermonibus universalibus. Percussum
autem, ex quo fit sonus, est duobus modis: aut lene durum,
sicut cuprum, aut concavum. Sonus igitur fit a leni
propter expulsionem aeris apud percussionem a partibus
eius equaliter (et hoc intendebat cum dixit: CUPRUM AUTEM
QUIA EST LENE; quoniam ita est de sono in hac intentione
sicut de reflexione radiorum, scilicet quod fortiter apparet
in corporibus duris, quia equaliter existit in eis, quapropter
congregatur in eis una actio, ut homines qui
attrahunt ponderosum); a corporibus autem concavis
propter iterationem aeris in eis frequentem, quia non
potest exire ab eis, et sic expellitur sicut pila expellitur
a pariete; et hoc intendebat hic per REFLEXIONEM. Et
debes scire quod sonus non fit in aere ita quod aer qui expellitur
a percutiente movetur per se singulariter donec
perveniat ad auditum, sed debes scire quod illud
quod fit in aere de percussione corporum adinvicem
est simile ei quod fit in aqua, quando lapis proiicitur in

Page 249

aquam, de circulatione, scilicet quia fit in aere apud percussionem

figura sperica, aut prope spericam, cuius centrum est locus percussiois per expulsionem aeris ab illo loco equaliter, aut prope. Et signum eius est quod possibile est audiri in quolibet puncto aeris cuius remotio a percutiente est eadem, et est remotio naturalis a cuius remotiori non potest audiri illa vox. Et ideo omnis percussio habet speram terminatam. Et sic est de odore et de colore, scilicet quia movent aerem ex omnibus partibus secundum istam figuram spericam.

79. ET ETIAM, AUDITUR IN AERE, ET AQUA, SED MINUS. 419b18
SED TAMEN AER NON SOLUS SUFFICIT IN SONO, NEQUE AQUA, 419b20
SED INDIGETUR UT PERCUSSIO SIT A CORPORIBUS SOLIDIS
ININVICEM, AUT IN AEREM. ET HOC ERIT QUANDO FUERIT
AER FIXUS AD RECIPIENDUM PERCUSSIONEM, ET NON
DIVIDETUR, ET IDEO, CUM FUERIT PERCUSSUS VELOCITER
ET FORTITER, FACIET SONUM. NECESSE EST ENIM
UT MOTUS PERCUTIENTIS ANTECEDAT DIVISIONEM AERIS,
UT HOMO SI PERCUTERET ACERVUM ARENE. 419b25

Cum declaravit quod percussio fit per aliquid, et apud aliquid, et in aliquo, et declaravit ea per que fit percussio, et secundum que, incepit declarare illud in quo fit percussio. Et dixit: ET AUDITUR IN AERE, ET IN AQUA, SED MINUS. Idest, sed aqua minus reddit vocem fortiter quam aer. Deinde

Page 250

dixit: ET AER NON EST SOLUS SUFFICIENTS IN SONO, etc. Idest, et aer non sufficit ut fiat sonus absque aliquo percusso, neque aqua etiam sufficit in hoc; sed indiget ut in aere sit percussio a corporibus solidis ininvicem, et in ipso aere. Deinde dixit: ET HOC ERIT QUANDO AER FUERIT FIXUS, etc. Idest, et sonus fit quando percussio fuerit a solidis corporibus ininvicem, et in ipsum aerem, et fuerit percussio ipsius aeris per velocem motum, ita quod precedat motum aeris, et fuerit percutiens habens latitudinem et quantitatem, quoniam resistet tunc ei aer. Cum enim percutiens et percussio fuerint talia, continget ut aer videatur quasi fixus et non divisus, scilicet quando percutiens non fuerit divisum, et motus eius non fuerit tardus. Deinde dixit: ET IDEO, CUM ALIQUID FUERIT PERCUSSUM etc. Idest, et signum eius quod sonus non fit nisi quando motus percutientis fuerit velocior divisione est quod, cum aliquid fuerit percussum, ex eis que non sunt innata facere sonum, fortiter et velociter, fiet sonus, ut accidit quando homo percusserit cumulum arene fortiter et velociter. Et propter hoc quod dixit, accidit quod ea que sunt velocis motus faciunt in aere sonum licet non percutiant aliud, ut motus corrigie in aere.

80. ECCO AUTEM FIT EX AERE QUANDO FUERIT UNUS PROPTER VAS 419b25
A QUO CONTINETUR, ET PROHIBETUR A DIVISIONE, QUANDO AER
REVERTETUR ET EXPELLETUR AB EO QUASI SPERA.
ET FORTE ECCO FIT SEMPER, SED NON MANIFESTE. ACCIDIT
ENIM IN SONO SICUT IN LUCE; LUX ENIM
SEMPER REFLECTITUR (ET SI NON ESSET ITA, NON ESSET 419b30

IN OMNI LOCO, SED OBSCURITAS ESSET SEMPER EXTRA
LOCUM SUPER QUEM CADIT SOL), SED NON REFLECTITUR
SICUT REFLECTITUR AB AQUA ET A CUPRO ET AB ALIIS
CORPORIBUS LENIBUS, ITA QUOD FACIT ET UMBRAM
(ET EST ILLUD PER QUOD VENIT LUX).

419b33

Cum declaravit ea ex quibus fit sonus, et quomodo
fit, incepit declarare esse cuiusdam accidentis soni, quod
dicitur ECCO, et est iteratio soni, conservando suam figuram,
ut accidit in domibus non habitatis. Et dixit: ECCO
AUTEM, etc. Idest, ecco autem fit ex aere qui fit unus, idest
terminatus et inclusus, propter illud a quo continetur, et
prohibetur ab exitu. Quoniam, cum motus eius a primo
percutiente perficitur, expellitur aer a lateribus eius
a quo continetur, et percutit ipsum secunda percussione
simili prime percussione, que fecit sonum; et sic auditur
idem sonus iteratus ei, quasi respondens primo.

Et assimilavit illud spere expulse, quoniam, quando
spera expellitur, contingit in ea motus similis primo
motui, et ecco auditur post primum sonum quasi
respondens, quia iam declaratum est quod inter omnes
duos motus est quies. Et non est intelligendum ex hoc
quod dixit: FIT AB AERE QUANDO FUERIT UNUS quod fit ex uno aere
quia est distinctus per motum ab aliis partibus aeris,
ut lapis quando proiicitur, et pila, sed oportet intelligere
quod intendit per UNUM AEREM unum quia est
terminatum et contentum a vase. Aer enim qui est talis,
cum in eo contigerit aliqua passio et motus fortis, continget

tunc a percussione simile ei quod contingit a casu
lapidis in aqua, scilicet quod ille motus non perficitur propter
ipsum terminans; quapropter percutitur secundo
a lateribus vasis terminantis, et sic contingit alia passio
similis prime; quapropter ille sonus iteratur. Aristoteles igitur
assimilavit aerem in hoc motu spere, que, cum proiicitur,
expellitur mota ab eo quod occurrit, quando suus motus
non perficitur, expulsionem simili prime, non secundum
quod una pars aeris est illa cui accidit secundo ista reflexio
et expulsio. Deinde dixit: ET FORTE ECCO SEMPER FIT,
SED NON MANIFESTE. Et innuit per hoc quomodo motus
spere fit in aere apud percussione. Talis enim motus
non fit in aere a percussione nisi modo reflexionis.
Percutiens enim primo expellit aerem in directo eius
ad partem ad quam movetur percutiens, et nisi partibus
aeris acciderit motus conversionis, non fieret iste
motus ex omnibus partibus rei percusse equaliter, aut prope,
ita quod ex hoc fieret figura sperica, aut prope, cuius
centrum est res percussa. Et dixit: ET FORTE ECCO FIT
SEMPER. Idest, et forte causa propter quam fit ecco, scilicet conversio,
semper est in sono, sed debiliter. Cum enim fuerit ita
fortis quod faciet passionem permanentem in aere aliam in numero
a prima passione et similem ei in qualitate, tunc
fiet ecco. Deinde dixit: SICUT ACCIDIT IN LUCE; LUX ENIM REFLECTITUR,
etc. Idest, et hoc quod accidit in sono simile est illi

quod accidit luci. Lux enim habet duas reflexiones,
fortem et debilem. Fortis enim facit lucem secundam,

Page 253

et est conversio que fit a corporibus tersis, et est similis reflexioni que facit in aere sonum secundum. Secunda autem est lux debilis propter quam videntur res in umbra, et est similis conversioni per quam audit homo sonum suum, et est illud quod non pervenit ad hoc quod sit sicut conversio que fit ab aqua et cupro, que facit secundam lucem in parte opposita prime luci, sicut conversio fortis facit in aere secundam vocem in parte opposita prime voci. Et illud per quod scimus hanc conversionem lucis, sicut dixit, est quia videmus in loco super quem non cadit sol. Lux enim innata est exire a lucido secundum rectas verticationes ad partem oppositam lucide parti ex corpore luminoso, sicut declaraverunt facientes libros Aspectuum. Si igitur non esset illic conversio, tunc obscuritas esset in omnibus partibus preter partem cui opponuntur radii, quemadmodum, si motus aeris qui facit sonum esset in parte in qua expellitur a percutiente tantum, tunc sonus non audiretur nisi ab eo qui est in illa parte tantum. Sed sonus auditur in omnibus partibus rei percusse; et ideo scimus quod illud quod contingit luci de figura sperica simile est ei quod contingit motui percussione in aere. Secundum hoc igitur est intelligenda consimilitudo inter has duas reflexiones. Corpus autem cum fuerit luminosum ex omnibus partibus, non est dubium quod faciet speram lucidem; et hoc declaratum est in Aspectibus. Differentia igitur inter hanc speram et primam est quod lux est in ista consimilis, et in illa diversa secundum fortitudinem et debilitatem. Et videtur etiam quod spera lucis facta a corpore luminoso ex una suarum partium,

Page 254

cum hoc quod est non consimilis sibi in luce, est etiam non perfecte rotunditatis, scilicet quod longissimus diameter est ille qui exit a corpore luminoso ad circumferentiam in parte cui opponuntur radii, et brevissimus in parte opposita (et est pars que est spissioris umbre omnibus partibus, et paucioris lucis).

81. RECTE IGITUR FUIT DICTUM QUOD VACUUM PRODEST IN	419b33
AUDITU. EXISTIMATUR ENIM QUOD AER SIT VACUUM, ET HOC EST	
QUOD FACIT AUDIRE, CUM MOVEBITUR CONTINUUM ET	419b35
UNUM; SED NON PROPTER HOC QUOD EST OBEDIENS;	420a1
NON ENIM FIT NISI PERCUSSUM FUERIT LENE, ET TUNC	
FIET UNUS ECCO, QUONIAM VENIT INSIMUL A SUPERFICIE	
EIUS; SUPERFICIES ENIM LENIS EST UNA.	420a2

Et cum declaratum est ex hoc quod aer est materia soni, quia impossibile est fieri nisi per illum, non erravit ex hoc modo qui dixit quod sonus fit per vacuum, cum credebat aerem esse vacuum, etsi erravit in quantum existimabat aerem esse vacuum. Ipse igitur laudat eos quia recte dixerunt uno modo, licet erraverunt in existimatione

sua. Deinde dixit: SED NON PROPTER HOC QUOD EST OBEDIENS, etc. Idest, et aer est illud quod facit audire, cum movebitur unum et continuum; sed iste motus non invenitur ei unum et continuum secundum quod est obediens tantum, sed tantum cum percussum fuerit corpus lene. Et cum dedit causam propter quam motus sit unus et continuus, et est quod percussum sit corpus

Page 255

lene, dedit causam in hoc. Et dixit: ET TUNC SONUS FIET UNUS, etc. Idest, et dicimus quod necesse est in fiendo sonum ut percussum sit lene quia unus sonus non fit nisi ab uno motu, quando corpus percussum fuerit lene. Tunc igitur motus qui fit in aere fit ab una percussione, quoniam insimul expelluntur partes aeris a superficie eius; quoniam superficies rei lenis est una; quapropter et percussio erit una; quapropter et sonus erit unus. Superficies autem aspera non est una, sed plures superficies; quapropter percussio erit plures; quapropter sonus non fiet illic omnino, propter diversitatem et informitatem earum. Et quia una earum non sufficit in faciendo sonum, neque omnes insimul, nisi fuerit una percussio.

82. HABENS IGITUR SONUM EST MOVENS UNUM AEREM	420a3
SECUNDUM CONTINUATIONEM QUOUSQUE PERVENIAT	
AD AUDITUM. AUDITUS AUTEM EST COPULATUS CUM PERCUSSIONE	
QUIA EST IN AERE. ET IDEO NON IN OMNI	420a5
LOCO AUDIT ANIMAL, NEQUE IN OMNI LOCO TRANSIT	
AER. MEMBRUM ENIM MOTUM ET ANELANS NON	
IN OMNI LOCO HABET HOC, SICUT DISPOSITIO VIDENTIS	420a7
APUD HUMOREM.	

Cum declaravit dispositiones quibus fit sonus, scilicet dispositiones percutientis et percussi et aeris, incepit declarare quomodo fit copulatio soni cum auditu ab istis rebus. Et dixit: HABENS IGITUR SONUM, etc. Idest, necesse est igitur ex hoc quod declaravimus ut agens sonum sit movens unum aerem motum uno motu continuo

Page 256

quousque perveniat ad auditum. Et intendit per hoc quod dixit UNUM non unum propter distinctionem ab aliis partibus aeris, sed unum propter unum motum continuum. Deinde dixit: ET AUDITUS EST COPULATUS, etc. Idest, et sensus auditus copulatur cum sono quia in eo existit aer continuus cum aere extrinseco; qui si non esset, nichil sentiret. Deinde dixit: ET IDEO NON IN OMNI LOCO, etc. Idest, et quia necesse est ut in hoc sensu sit aer continuus cum aere extrinseco in quem cadit percussio, ideo animal non potest audire in omni loco, sed in locis in quibus nichil dividitur inter aerem percussum et aerem in sensu auditus; neque ex omni membro auditur, sed ex membro in quo transit aer, scilicet aure. Deinde dixit: MEMBRUM ENIM MOTUM ANELANS, etc. Idest, et ita est de hoc quod animal non audit nisi ex membro proprio sicut de anelitu et visu. Membrum enim per quod anelatur non est quodcunque membrum sit, sed membrum proprium, scilicet pulmo. Et similiter

est dispositio videntis in comparatione ad humorem glaciale, scilicet quod visio non aptatur ei nisi per membrum in quo est humor diaffonus aptatus ad recipiendum colores, v.g. humor glacialis. Et ideo animal carens istis instrumentis caret istis sensibus.

83. HOC IGITUR IPSUM NON HABET SONUM, SCILICET AER, QUIA EST VELOCIS DIVISIONIS. CUM IGITUR PROHIBETUR A DIVISIONE, TUNC MOTUS EIUS ERIT SONUS. AER AUTEM QUI EST IN AURIBUS FUIT POSITUS IN EIS NON MOTUS, UT SENTIAT PERFECTE OMNES MODOS MOTUS. ET IDEO AUDIMUS ETIAM IN AQUA, QUIA NON INTRAT SUPER IPSUM AEREM COPULATUM, CUM NON INTRAT

420a7

420a10

Page 257

NEQUE IN AURE PROPTER SPIRAM. ET CUM HOC ACCIDERIT, NON AUDIEMUS, NEQUE CUM ACCIDERIT MATRI CEREBRI OCCASIO, SICUT DISPOSITIO CUTIS QUE EST SUPER VISUM QUANDO ACCIDERIT EI OCCASIO. ET QUOD ACCIDIT DE DESTRUCTIONE AUDITUS PER INTROITUM AQVE SUPER ISTUM AEREM, ILLUD IDEM ACCIDIT EX INTROITU AERIS EXTRINSECI SUPER IPSUM. ET SCIAS HOC.

420a15

Cum declaravit quod per aerem fit quod sonus copulatur cum sensu, et quod ipse est elementum proprium isti sensui, sicut est etiam elementum proprium sensui visus, incepit declarare modum secundum quem aer recipit sonum. Et dixit: HOC IPSUM IGITUR NON HABET SONUM, SCILICET AER, etc. Idest, et aer est recipiens proprium sonum quia non habet in se sonum, cum in ipso non sit motus qui faciat sonum. Et causa in hoc est quia est velocis divisionis. Et hoc in aere simile est in diaffono. Quemadmodum enim, si diaffonum haberet colorem, non reciperet colores, ita aer, si haberet sonos ex se, non reciperet sonos. Deinde dixit: CUM IGITUR PROHIBETUR, etc. Idest, et cum in eo continget per aliud motus qui prohiberet eum a divisione (et est motus qui fit a percutiente in percussum), tunc iste motus faciet in eo sonum. Deinde narravit quod ista est causa propter quam Natura posuit in auribus aerem non mutatum, sed valde quiescentem. Et dixit: AER AUTEM QUI EST IN AURIBUS FUIT IN EIS NON MOTUS, UT SENTIAT PERFECTE OMNES MODOS MOTUS factos in aere extrinseco. Iste igitur aer positus in auribus

Page 258

excedit aerem extrinsecum in quiete. Deinde dixit: ET PROPTER HOC AUDIMUS IN AQUA, etc. Idest, et quia aer est necessarius in sensu auditus, audimus in aqua quando aqua non intraverit super aerem qui est in aure neque corruperit eum, propter spiram que est in creatione auris; et quando intraverit, non audiemus, et tunc accidet nobis illud quod accidit quando matri cerebri acciderit occasio, quia tunc non audiemus, quemadmodum, quando cuti que est super visum acciderit occasio, non videmus. Et intendebat declarare quod comparatio aeris positi in aure est sicut comparatio membri proprii unicuique sensato, scilicet per quod primo perficitur actio illius sentientis. Et ideo assimilavit illud quod accidit

huic aeri de destructione per introitum aque super ipsum
ei quod accidit de percussione cadente super aurem
et super ipsum visum. Et illud quod accidit de
corruptione auditus per introitum aque super istum
aerem positum in auribus accidit per introitum aeris
extrinseci super ipsum.

84. ET ETIAM SIGNUM AUDITUS PRIMO EST AUDIRE
TINNITUM IN AURE SEMPER, UT CORNU. AER ENIM
IN AURE SEMPER MOVETUR QUOQUO MOTU
PROPRIO, SED SONUS EST EXTRANEUS, NON PROPRIUS.
ET IDEO DIXERUNT QUOD AUDITUS FIT PER VACCUM
TINNIBILE, QUIA NON AUDIMUS NISI PER ALIQUID
IN QUO EXISTIT AER DISTINCTUS.

420a15

420a19

Page 259

Cum declaravit quod iste aer qui existit in auditu est
necessarius in hoc, incepit dare testimonium quod in
aure existit aer distinctus ab aere extrinseco. Et dixit:
ET ETIAM SIGNUM AUDITUS, etc. Idest, et demonstrat etiam quod iste
aer existit in aure hoc quod signum verificationis auditus
in homine, ut Medici dicunt, est ut semper audiat
tinnitum in auribus, cum hoc fuerit sine occasione, ut
accidit homini quando posuerit cornu in aures et ascultaverit
sonum in eo, propter aerem inclusum in cornu
et duritiem cornu. Deinde dixit: AER ENIM IN AURE SEMPER
MOVETUR, etc. Idest, et causa huius tinnitus quem audit acuti
auditus est quia aer qui est in aure semper movetur motu
proprio, sed iste motus est proprius, et motus soni est
extraneus, quapropter iste motus non impedit motum
soni. Deinde dixit: ET IDEO DIXERUNT, etc. Idest, et propter istum
tinnitum qui auditur in aure propter aerem inclusum dixerunt
Antiqui quod auditus fit per vacuum habens tinnitum,
quia credebant aerem esse vacuum. Et dixerunt
hoc quia nos non audimus nisi per membrum in quo existit
aer distinctus ab aere extrinseco.

85. UTRUM AUTEM SONORUM EST PERCUTIENS AUT PERCUSSUM?
DICAMUS IGITUR QUOD EST UTRUNQUE, SED DUOBUS
MODIS DIVERSIS. SONUS ENIM EST MOTUS ILLIUS
QUOD POTEST MOVERI TALI MODO, SCILICET UT
A CORPORE ALIQUO REFLECTANTUR CORPORA LENIA.
SED NON OMNE PERCUSSUM ET PERCUTIENS HABET

420a19

420a20

Page 260

SONUM, SICUT EST DICTUM, V.G. SI ACUS PERCUSSERIT
ACUM; SED NECESSE EST UT SIT EQUALE.

420a25

Cum sonus fit a percussione, percussio autem fit a percutiente
et percusso, incepit querere cui attribuitur
sonus. Et dixit: UTRUM AUTEM, etc. Deinde dixit: HOC ENIM FIT
DUOBUS MODIS DIVERSIS. SONUS ENIM EST MOTUS ILLIUS, etc. Idest
sonus enim est motus aeris qui movetur expulsus a
casu percutientis super percussum, sicut aliquid evadit
et movetur a corpore leni cum fuerit percussum super illud
corpus aliud corpus lene. Quemadmodum igitur
motus rerum evasarum attribuitur percutienti secundum

agens, et percusso secundum subiectum, ita sonus, qui est motus aeris qui est tali modo, attribuitur percutienti et percusso. Deinde dixit: SED NON OMNE PERCUSSUM ET PERCUTIENS, etc. Et ista est alia conditio addita in corporibus sonoris, scilicet ut sint lata. Sunt igitur tres conditiones, scilicet ut sint lenia, dura, lata, que possunt precedere per suum motum divisionem aeris.

86. MODI AUTEM RERUM SONORARUM DECLARANTUR IN SONO QUI EST IN ACTU. QUEMADMODUM ENIM COLORES NON VIDENTUR SINE LUCE, SIC GRAVE ET ACUTUM NON SENTIUNTUR SINE SONO. ET HOC DICITUR SECUNDUM TRANSMPTIONEM EX REBUS TANGIBILIBUS. ACUTUM ENIM MOVET SENSUM IN MODICO TEMPORE MULTUM, GRAVE AUTEM IN TEMPORE LONGO PARUM. SED

420a26

420a30

Page 261

TAMEN ACUTUM NON EST VELOX, NEQUE GRAVE TARDUM, SED MOTUS ILLIUS ERIT SICUT VELOCITAS, ET MOTUS ISTIUS SICUT TARDITAS. ET FORTE HOC EST SIMILE EI QUOD INVENITUR IN SENSU TACTUS DE ACUTO ET OBTUSO. ACUTUM ENIM QUASI EST STIMULANS, OBTUSUM VERO QUASI EXPELLIT; ILLUD ENIM MOVET IN MODICO TEMPORE, ET ISTUD IN LONGO; CONTINGIT IGITUR EX HOC UT ILLUD SIT VELOX, ET ISTUD TARDUM.

420b1

420b4

Vult declarare in hoc capitulo quando comprehenduntur primi modi soni, et qui sunt. Et dixit: MODI AUTEM RERUM SONORARUM, etc. Idest, differentie autem sonorum comprehenduntur et declarantur apud esse soni in actu. Deinde dixit: QUEMADMODUM ENIM COLORES NON VIDENTUR, etc. Idest, quemadmodum enim differentie colorum non comprehenduntur sine essentia coloris in actu, et illud erit apud presentiam lucis, sic acutum et grave in sono, que sunt prime differentie soni, non comprehenduntur sine essentia soni in actu. Deinde dixit: ET HOC DICITUR SECUNDUM TRANSMPTIONEM, etc. Idest, et vocare differentias soni GRAVE et ACUTUM est secundum similitudinem ad res tangibiles; quoniam quidam sonus movet sensum magno motu in modico tempore, et tangibile acutum est tale, et ideo transumebatur nomen eius ad illud. Et similiter etiam, quia quidam sonus movet auditum longo tempore parvo motu, similis est tangibili quod movet tactum in longo tempore parvo motu, scilicet obtuso. Deinde dixit: SED TAMEN ACUTUS NON EST VELOX, etc. Idest, sed tamen sonus qui movet auditum motu

Page 262

magno in tempore parvo non est velox in rei veritate, neque sonus gravis tardus; velox enim et tardum in rei veritate sunt de dispositionibus mobilium; sed hoc dicitur GRAVE quia movet tarde, et hoc ACUTUM quia movet velociter. Deinde dixit: ET FORTE HOC EST SIMILE, etc. Idest, et quia forte ista intentio que invenitur in sono de moto veloci et tardo est quasi similis ei quod invenitur in sensu tactus de acuto et obtuso, ideo transumpta fuit ista ordinatio de acuto et obtuso, non de veloci et tardo. Et quia obtusum simile est gravi, ideo talis sonus dicitur GRAVIS. Deinde

dixit: ACUTUM ENIM QUASI STIMULAT. Idest, sonus enim acutus quasi stimulat, sicut stimulat corpus acutum; et sonus gravis quasi expellit, sicut expellit corpus obtusum, quia assimilatur gravi. CONTINGIT IGITUR EX HOC UT ILLUD SIT VELOX, ET HOC TARDUM. Idest, et ex hoc contingit secundum consuetudinem vocare sonum qui videtur quasi stimulare ACUTUM, et sonum qui videtur quasi expellens GRAVEM.

87. HOC IGITUR EST QUOD DETERMINAVIMUS DE SONO. VOX AUTEM EST 420b5
[line 1 cont.] ALIQUIS SONUS IN ANIMATO...V.G.
QUOD FISTULA ET ALIA HABENT EXTENSIONEM ET TONUM
ET IDIOMA, ET SUNT SIMILIA, QUONIAM IN VOCE SUNT
ETIAM ISTA. ET PLURA ANIMALIA NON HABENT VOCEM, UT 420b10
CARENTIA SANGUINE, ET PISCES DE ANIMALIBUS HABENTIBUS
SANGUINEM. ET HOC NECESSE FUIT; SONUS

Page 263

ENIM EST ALIQUIS MOTUS AERIS. SED EA QUE DICUNTUR
VOCIFERARE, UT ANIMALIA QUE SUNT IN FLUMINE
QUOD DICITUR AMELUS, NON FACIUNT SONUM
NISI PER VIAS NARIUM, AUT PER SIMILIA. 420b13

Cum locutus fuit de sono universaliter, sive de animato sive de non animato, incepit loqui de sono animati. Et dixit: VOX AUTEM EST, etc. Idest, vox autem est sonus animalis animati, in quo invenitur neuma et irah et dictiones. Et ideo plura instrumenta dicuntur vociferantia secundum similitudinem, quia hec tria inveniuntur in eis, aut sua representantia. Fistula enim et alia instrumenta non dicuntur vociferantia nisi quia habent expansionem, idest neuma, et tonum, idest irah, et dictiones, idest aliquod simile literis et dictionibus. Deinde dixit: ET SUNT SIMILIA, etc. Idest, et ista instrumenta in vociferando sunt similia animalibus; hec enim tria existunt in animali in rei veritate, in istis vero per similitudinem. Deinde dixit: ET PLURA ANIMALIA NON HABENT VOCEM, etc. Idest, et recte accidit quod plura animalia non habent vocem, ut animalia carentia sanguine, et piscis de animalibus habentibus sanguinem, cum sit declaratum quod sonus est motus factus a percutiente et percusso in aere, et ista animalia carent aere qui percutiat ea in suis interioribus, et carent instrumentis que percutiant aerem. Et cum narravit hoc de istis animalibus, induxit quod forte aliquis dubitabit in huiusmodi

Page 264

ex hoc quod quidam modus piscium vociferat. Et dixit: SED EA QUE DICUNTUR VOCIFERARE, etc. Et intendit per VIAS brancos. Et intendebat per hoc quod tale non dicitur vociferatio nisi equivoce, cum non inveniuntur in ea illa tria genera, que sunt neuma et irah et litere, aut similia literis.

88. VOX AUTEM EST SONUS ANIMALIS, SED NON PER QUODCUNQUE 420b13
MEMBRUM, SED, QUIA OMNIS RES NON HABET SONUM
NISI PERCUTIENDO ALIQUID, SCILICET AEREM, NECESSE 420b15
EST ETIAM UT ISTA TANTUM VOCIFERENT, SCILICET RECIPIENTIA
AEREM. NATURA ENIM UTITUR AERE ANELATO IN

DUABUS ACTIONIBUS, SICUT LINGUA IN GUSTU ET LOQUELA;
SED GUSTUS EST NECESSARIUS ET IDEO EST IN
PLURIBUS, LOQUELA AUTEM PROPTER MELIUS. ET SIC UTITUR
ANELITU IN CALORE INTRINSECO, ET HOC EST NECESSARIUM
(ET IAM DEDIMUS CAUSAM IN HOC IN ALIO LIBRO),
ET IN VOCIFERATIONE PROPTER MELIUS.

420b20

420b22

Cum declaravit quod vociferatio dicitur equivoce
in eis que vociferant per brancos et in animalibus
anelantibus, vult modo notificare genus animalium
in quo invenitur vera vox. Et dixit: VOX AUTEM EST, etc.
Idest, vox autem vera est sonus animalis proprii, et per
membrum proprium. Deinde incepit declarare sermonem
quod membrum est, et quod animal est hoc animal. Et dixit:
SED QUIA OMNIS RES NON HABET VOCEM, etc. Idest, sed quia iam
declaratum est quod omne sonorum non habet sonum nisi per

Page 265

percutiens et percussum in aere, manifestum est quod
impossibile est invenire animal sonorum nisi habeat membrum
ex quo fiat percutiens et percussum, et aerem
quem immittat in illud membrum et extrahat ab ipso,
et quod illud membrum habeat figuram et quantitatem
et situm terminatum. Unde necesse est ut
animalia vociferantia in rei veritate sint animalia que
recipiunt aerem in interioribus suis et extrahunt ipsum;
in istis enim inveniuntur illa tria ex quibus fit vox in
rei veritate. Deinde incepit declarare quod istud iuvamentum
per quod Natura utitur aere in animali anelanti
est aliud a iuvamento quod est infrigidatio, et
quod Natura utitur eodem membro ad duo, quorum
unum est utile et reliquum necessarium, ut declaratur
in Animalibus. Et dixit: NATURA ENIM UTITUR AERE ANELATO, etc.
Et intendit per DUAS ACTIONES vociferationem et infrigidationem.
Deinde dixit: ET GUSTUS EST NECESSARIUS, etc.
Idest, sed gustus ex hiis duobus est necessarius in essendo
animalia, et ideo invenitur in pluribus animalium;
iuvamentum autem suum in loquela est propter melius,
et ideo carent eo multa animalia. Deinde dixit: ET SIMILITER
UTITUR ANELITU IN CALORE, etc. Idest, et Natura utitur immissione
anelitus propter calorem qui est interius, et
hoc fuit necessarium animalibus anelantibus; et utitur
eo propter melius in vociferatione. Et locus quem innuit
quod in eo fuit locutus de hac intentione est suus
tractatus quem fecit de Anelitu, et iste tractatus non
pervenit ad nos. Et oportet perscrutari de hoc singulariter;

Page 266

videtur enim quod illud quod dicit Galienus in
hoc non est sufficiens.

89. ET TRACHEA ARTERIA EST INSTRUMENTUM ANELITUS
ET VOCIS. ET ILLUD PROPTER QUOD FUIT HOC
MEMBRUM EST PULMO, QUONIAM PER HOC MEMBRUM
EXCEDIT ANIMAL AMBULANS ALIA ANIMALIA
IN CALORE. ET INDIGET ANELITU PROPTER COR
PRIUS. ET IDEO INDIGET NECESSARIO UT AER INFRIGIDETUR,

420b22

420b25

Cum declaravit quod necesse est ut nullum animal habeat vocem nisi sit anelans, et quod per idem membrum facit animal utrunque, incepit dicere illud membrum. Et dixit: ET TRACHEA ARTERIA, etc. Et intendit per TRACHEAM ARTERIAM epiglotim et cannam. Et manifestum est quod hoc membrum est instrumentum vocis, quoniam in extremo huius membri est corpus simile lingue fistule. Et similiter est manifestum quod hoc membrum est propter pulmonem, quia est via ad ipsum. Et dixit: PER HOC ENIM MEMBRUM EXCEDIT, etc. Idest, et quia hoc membrum invenitur in animalibus habentibus sanguinem ambulantibus, ideo sunt calidiora animalibus carentibus hoc membro. Deinde dixit: ET INDIGET ANELITU PROPTER COR PRIUS. Idest, et ista animalia indigent anelitu propter calorem cordis prius, et secundo propter calorem illius membri. Deinde dixit: ET IDEO INDIGET UT AER INFRIGIDETUR, etc. Idest, et propter calorem cordis indiget animal ad immittendum aerem frigidum prius; et propter calorem pulmonis secundo indiget ut extrahat ipsum. Et

Page 267

hoc quod dixit necessarium est. Prima enim actio in anelitu est ad immittendum, secunda ad extrahendum; prima autem est propter cor, et secunda propter pulmonem, quoniam, nisi esset calor pulmonis, non indigeret animal ad extrahendum aerem frequenter. Et hoc est simile ei quod invenitur in pluribus artificiis, scilicet quia indigent mutare instrumentum per quod agunt, propter illud quod contingit illi instrumento ab eo qui utitur. Instrumentum enim non mutatur nisi quando consumitur, et consumptio contingens ei aut est propter utentem, aut propter ipsum usum. Si igitur pulmo desiderat ad extrahendum aerem calidum, tunc motus eius non est ex pectore tantum, ut opinatur Galienus. Et ista intentio indiget perscrutatione per se.

90. OPORTET IGITUR EX HOC UT PERCUSSIO AERIS ANELATI
AB ANIMA QUE EST IN ISTIS MEMBRIS AD ILLUD
QUOD VOCATUR CANNO PULMONIS SIT VOX.
NON ENIM OMNIS SONUS QUI FIT IN ANIMALIBUS
EST VOX, UT DIXIMUS, (POSSUMUS ENIM FACERE SONUM
PER LINGUAM SICUT APUD TUSSIM), SED INDIGETUR
UT PERCUTIENS SIT ANIMATUM ET CUM ALIQUA
YMGINATIONE. VOX ENIM EST SONUS ILLIUS,
ET NON EST AERIS ANELATI SICUT TUSSIS, SED PER
HOC PERCUSSIT AEREM QUI EST IN CANNA. ET SIGNUM
EIUS EST QUOD NOS NON POSSUMUS VOCIFERARE
IN INSPIRANDO AUT EXPIRANDO, QUONIAM NON MOVEMUS
PER HOC MEMBRUM NISI CUM CLAUSERIMUS IPSUM.

420b27

420b30

421a1

421a3

Page 268

Oportet igitur ut percussio aeris anelati ab animas que est in istis membris ad cannam sit illud quod facit vocem. Necesse est igitur ut essentia vocis non sit aliud nisi percussio aeris anelati ad membrum quod canna dicitur, ab expulsionem anime ymaginative voluntarie que est in istis membris, quemadmodum fistulatio est percussio aeris ad linguam fistule a fistulante

habente animam expellente apud ymaginationem
neumatum. Deinde dixit: NON ENIM OMNIS SONUS,
etc. Idest, et diximus quod necesse est in essendo vocem
ut percutiens habeat animam ymaginativam quia
non omnis sonus factus ab animali est vox (ut sonus qui
fit sine voluntate apud tussim et apud motum lingue),
sed vox est sonus qui fit cum ymaginatione et voluntate.
Et ideo dixit: ANIMATUM ET CUM YMAGINATIONE. Innuit
enim quod ista actio completur duabus virtutibus
anime, quarum una est concupiscibilis et altera ymaginativa.
Deinde dixit: VOX ENIM EST SONUS ILLIUS, etc.
Idest, primum enim movens in voce est anima ymaginativa
et concupiscibilis. Et ideo vox est sonus illius
primo moventis, et non est sonus moventis aerem
anelatum, ut sonus qui fit apud tussim, sed movens in
voce est aliud ab isto movente, licet non moveat nisi per
ipsum. Et hoc intendebat cum dixit: SED PER HOC PERCUTIT AEREM
QUI EST IN CANNA. Idest, sed istud primum movens quod est
proprium voci percutit aerem qui est in canna apud
vocem per illud quod movet aerem anelatum. Deinde
dixit: ET SIGNUM EIUS EST QUOD NOS NON POSSUMUS VOCIFERARE, etc.

Page 269

Idest, et signum eius quod primum movens in voce movet
aerem mediante primo movente aerem in anelitu
est quod nos non possumus vociferare dum inspiramus
aut expiramus. Movens enim in anelitu
instrumento non utitur in illa hora alio ab instrumento prime
motionis in percussione que facit sonum; sed impossibile
est ut uno instrumento utatur in diversis actionibus
in una hora. Deinde dixit: ET NOS NON MOVEMUS PER ISTUD
MEMBRUM NISI CUM CONCLUSERIMUS IPSUM. Idest, et ideo
nos non movemus aerem motu vocis per hoc membrum
quod inspirat et expirat nisi quando incluserimus
anelitum et reddiderimus ipsum ociosum ab ista
actione que est anelitus.

91. ET MANIFESTA EST ETIAM CAUSA PROPTER QUAM
PISCES CARENT VOCE; CARENT ENIM CANNA, QUIA NON
ANELANT AEREM (ET QUI DICIT HOC ESSE PECCAT).
CAUSA AUTEM IN HOC DICENDA EST IN ALIO LOCO.

421a3

421a5

421a6

Dicit quod cause propter quas pisces no habent vocem
sunt tres. Et primo incepit de remotiori, et dixit:
quia non habent pulmonem neque cannam. Deinde dedit causam
huius cause. Et dixit: QUIA NON RECIPIUNT AEREM, idest quia non
indigent immissione aeris aut emissione. Deinde dixit: CAUSA AUTEM
IN HOC DICENDA EST IN ALIO LOCO. Idest, causa autem istius
cause (et est causa propria propinqua huic accidenti)
dicenda est in alio libro, scilicet de Animalibus.

Page 270

92. ODOR AUTEM ET ODORATUM DIFFICILIUS DETERMINANTUR
QUAM PREDICTA. ODOR ENIM NON DECLARATUR
QUID SIT, SICUT DE VOCE AUT LUCE AUT COLORE. ET
CAUSA EIUS EST QUOD ISTE SENSUS NON EST IN NOBIS
VERUS, SED MINUS QUAM IN MULTIS ANIMALIBUS.

ii.9

421a7

421a10

OLFACTIO ENIM HOMINIS EST VALDE DEBILIS, ET
NICHIL SENTIT DE REBUS ODORATIS SINE DELECTATIONE
AUT CONTRISTATIONE, QUIA SENSUS ISTE NON
EST IN NOBIS VERUS.

421a13

Cum complevit sermonem de auditu, vult loqui de odoratu. Et dixit: ODOR AUTEM ET ODORATUM, etc. Idest, cognoscere autem quid sit odor et quid sit odorabile, ex quo possumus pervenire ad sciendum istum sensum quid sit secundum quod dat doctrinam Naturalis, difficilius est quam scire vocem quid sit aut colorem. Et causa difficultatis in hoc est quia non declaratur de odore cuius odor sit, et que sunt differentie proprie unicuique eorum, sicut declarantur differentie colorum et vocum. Et cum declaravit quod causa difficultatis in sciendo odorem quid sit est quia differentie specificae non bene comprehenduntur a nobis, dedit causam in hoc. Et dixit: ET CAUSA IN HOC EST QUIA ISTE SENSUS NON EST VERUS IN NOBIS, etc. Idest, et causa propter quam non perfecte intelligimus differentias odoris est quia iste sensus debilius est in nobis quam in multis animalibus. Et intendebat per hoc demonstrare causam propter quam intellectus difficile comprehendit differentias odorum, et est quia iste sensus debiliter comprehendit differentias odorum sensibiles. Comprehensio enim differentiarum rerum sensibilium a sensu est causa in comprehensione earum

Page 271

ab intellectu, et ideo qui caret sensu caret intellectu illius generis sensibilium. Deinde dixit: SED EST DEBILIUS IN NOBIS QUAM IN MULTIS ANIMALIBUS, idest in comprehendendo differentias odorum. Multa [line 31 cont.] enim animalia videntur cognoscere sua nutrimenta per differentias odorum sicut nos per saporem. Et non in hoc tantum excedunt nos animalia, scilicet in comprehendendo differentias odorum, sed in comprehendendo eas a remoto spatio. Deinde dixit: ET NON SENTIMUS ODORATUM SINE DELECTATIONE ET TRISTITIA. Idest, et non sentimus de differentiis odorati nisi illud quod est delectabile aut contristabile; idest, non sentimus de eis nisi differentias magis communes. Delectabile enim multos habet modos, et similiter contristabile; et delectabile et contristabile non inventiuntur nisi in remotissimis extremis.

93. ET VIDETUR QUOD SIC SENTIUNT ANIMALIA DURI OCULI
COLORES, ET QUOD APUD EA NON DECLARANTUR MODI COLORUM
NISI CONVENIENS OCULO ET INCONVENIENS, SICUT
GENUS HOMINUM SENTIT ODORES. VIDETUR ENIM,
PROPTER CONSIMILITUDINEM QUAM HABET ODOR CUM GUSTU,
QUOD MODI SAPORUM SUNT SICUT MODI ODORUM

421a13

421a15

421a18

Et videtur quod ita sentiunt homines differentias odorum sicut animalia duri oculi differentias colorum. Quemadmodum enim illa non comprehendunt de differentiis colorum nisi convenientum et inconvenientem, ita homines non comprehendunt de differentiis odorum nisi delectabile et contristabile. Visum

Page 272

est enim, propter consimilitudinem que est inter gustum et odorem, ut differentie odorum sint secundum numerum differentiarum

[line 13 cont.] saporum.

Sed differentie saporum apud nos sunt comprehensibiles, et ille non, cum in hoc sensu excedimus omnia animalis, quia quoquo modo est tactus. Et consimilitudo que est inter saporos et odores est quia non invenitur odor nisi in habente saporem, ut declaratum est in Sensu et Sensato.

94. SED GUSTUS EST IN NOBIS MAGIS VERUS, QUIA
EST ALIQUIS TACTUS. ET SI ISTE SENSUS EST IN HOMINE VALDE
VERUS, IN ALIIS DIMINUITUR A MULTIS ANIMALIBUS; IN
TACTU AUTEM EXCEDIT OMNIA; ET IDEO EST SUBTILIOR
OMNIBUS ANIMALIBUS. ET SIGNUM EIUS EST
QUOD IN GENERE HUMANO ETIAM PROPTER ISTUM SENSUM
EST HOMO DISCRETUS, ET HOMO NON EST HOC PROPTER
ALIUD OMNINO. DURE ENIM CARNIS NON EST
DISCRETUM, ET MOLLIS CARNIS EST DISCRETUM.

421a18

421a20

421a25

421a26

Et sensus gustus est in nobis perfectior sensu odoratus, quia gustus est tactus quoquo modo, et sensus tactus est in nobis perfectior quam in omnibus aliis animalibus. Deinde dixit: ET SI ISTE SENSUS, etc. Idest, et licet iste sensus sit perfectior in homine quam in aliis animalibus, tamen non consequitur ex hoc ut hoc sit in aliis sensibus; immo diminuitur in eis a multis animalibus. Deinde dixit: IN TACTU AUTEM EXCEDIMUS, etc. Idest, in bonitate autem sensus tactus excedimus omnia animalia. Et propter bonitatem istius sensus est homo subtilior et discretior omnibus animalibus, scilicet quod complexio

Page 273

conveniens bonitati istius sensus convenit discretioni intellectus. Deinde dixit: ET SIGNUM EIUS EST, etc. Idest, et signum convenientie complexionis istius sensus ad complexionem intellectus est quod etiam in genere hominum, quando iste sensus fuerit bonus, tunc homo erit discretus, et econtrario. Deinde dixit: ET NON HOC PROPTER ALIUD. Idest, et bonitas discretionis non videtur consequi bonitatem aliorum sensuum; boni enim visus homo potest esse indiscretus, et similiter boni auditus, sed boni tactus semper videtur discretus. Deinde dixit: DURE ENIM CARNIS, etc. Idest, et signum quod bonitas discretionis sequitur bonitatem tactus est quod mollis carnis, idest boni tactus, semper videtur discretus et intelligens, et econtrario. Et hoc quod dixit verum est, et cum inspexeris intelligentes homines, semper invenies eos talis dispositionis. Et ideo homo est mollioris carnis quam cetera animalia.

95. ET QUEMADMODUM IN SAPORE EST DULCE ET
AMARUM, SIC IN ODORIBUS; SED IN QUIBUSDAM
ODOR ET SAPOR SUNT CONVENIENTES, V.G.
ODOR DULCIS ET SAPOR DULCIS, ET IN QUIBUSDAM
CONTRARIIS. ET IDEO INVENITUR ODOR ACUTUS ET
PONTICUS ET ACETOSUS ET DELECTABILIS. SED SICUT
DIXIMUS QUOD ODORES NON ITA SUNT MANIFESTI SICUT
SAPORES, ITA ISTI NON DICUNTUR ISTIS NOMINIBUS
NISI SECUNDUM SIMILITUDINEM AD SAPORES. ODOR ENIM
DULCIS EST ODOR CROCI ET MELLIS; ET ACUTUS EST ODOR ALII
ET SIMILIIUM; ET SIC DE ALIIS.

421a26

421a30

421b1

421b3

Vult declarare quomodo consequuntur differentie odorum differentias saporum. Et dixit: ET QUEMADMODUM IN SAPORIBUS EST DULCE ET AMARUM, etc. Idest, et quemadmodum in saporibus est prima contrarietas, scilicet amaritudo et dulcedo, ex quibus alii componuntur, sic est opinandum quod in odoribus est prima contrarietas, ex qua componuntur medii. Et cum narravit quod iste differentie debent esse secundum numerum illarum, et quemadmodum in illis est prima contrarietas, sic est in istis, incepit narrare quod non semper consequitur unaqueque illarum in altero duorum generum suum simile in altero genere. Et dixit: SED IN QUIBUSDAM ODOR ET SAPOR, etc. Idest, sed in quibusdam simile consequitur simile, et in quibusdam non, scilicet quod odor et sapor non erunt eiusdem speciei, v.g. quod sapor erit dulcis et odor acutus. Deinde dixit: ET IDEO INVENITUR ODOR ACUTUS. Idest, et quia differentie odorum sunt convenientes differentiis saporum, invenitur odor acutus, idest cuius proportio ad odores est sicut proportio acuti ad sapes; et sic de aliis. Et cum declaravit quod nos non comprehendimus differentias odorum nisi propter consimilitudinem earum cum differentiis saporum, vult narrare quod ista est causa propter quam transumpta sunt ad eas nomina saporum, Et dixit: SED SICUT DIXIMUS QUIA ODORES, etc. Idest, sed sicut diximus quod differentie odorum non sunt apud nos manifeste, sicut saporum, ita quod possumus comprehendere eas absque comparatione est assimilatione ad alias, hec fuit causa propter quam transumptissimus ad eas secundum similitudinem nomina saporum; et non imposuimus eis nomina propria quia non intelleximus in eis intentiones proprias

nisi per similitudinem. Deinde dixit: ODOR ENIM DULCIS, etc. Idest, manifestum est enim apud nos quod odor dulcis est sicut odor croci aut mellis, idest quod proportio odoris croci et odoris mellis ad alios odores est sicut proportio dulcis ad alios sapes; et sic est de aliis odoribus.

96. ET QUEMADMODUM AUDITUS ET UNUSQUISQUE	421b3
SENSUUM, HIC AUTEM EST AUDIBILIS ET NON AUDIBILIS,	
HIC VERO VISIBILIS ET NON VISIBILIS, SIC ETIAM	421b5
ODORATUS EST ODORABILIS ET NON ODORABILIS. ET	
NON ODORABILE DICITUR NON ODORABILE AUT QUIA	
EST IMPOSSIBILE UT HABEAT ODOREM, AUT QUIA HABET	
ODOREM DEBILEM, AUT QUIA HABET MALUM.	
ET SIC DICITUR NON GUSTABILE.	421b8

Vult narrare hic aliquod commune isti sensui et aliis sensibus, et est quod omnis sensus comprehendit suum sensibile proprium et eius privationem. Et dixit: ET QUEMADMODUM AUDITUS, etc. Idest, et quemadmodum auditus et unusquisque sensuum comprehendit suum sensibile proprium et eius privationem, v.g. quia auditus comprehendit audibile et non audibile, et visus visibile et non visibile, sic etiam sensus odoratus comprehendit

odorabile et non odorabile. Deinde incepit
narrare secundum quot modos dicuntur hec nomina
privativa. Et dixit: ET NON ODORABILE DICITUR, etc. Idest, et
non odorabile et non visibile et non gustabile dicuntur
tribus modis: aut de eo quod omnino caret illo

Page 276

sensibili, aut de eo in quo invenitur debile, aut in quo
invenitur male; v.g. non odorabile; dicitur enim de
carente odore omnino, et de habente debile, et male.
Et sic de gustabili.

97. ET ODORARE ETIAM FIT PER MEDIUM, V.G.	421b8
AEREM ET AQUAM. ANIMALIA ENIM HABITANTIA	421b10
IN AQUA EXISTIMANTUR SENTIRE ODOREM (ET SIMILITER	
HABENTIA SANGUINEM ET CARENTIA SANGUINE) SICUT	
SENTIUNT ANIMALIA QUE SUNT IN AERE; QUEDAM ENIM	
MOVENTUR AD SUUM CIBUM IN REMOTO.	421b12

Cum declaravit hic de odore illud quod potuit declarare,
declarat in hoc loco quod iste sensus ita etiam indiget
medio sicut duo sensus predicti. Et sermo eius manifestus
est, sed debet ita legi: et odorare fit per medium,
et hoc medium est aer aut aqua; animalia enim habitantia
in aqua videntur sentire odorem sicut animalia habitantia
in aere, et secundum hunc modum videtur quod animalia
vivencia in aere et non vivencia sentiunt odorem.
Et signum eius est quod istorum multa moventur ad suum
cibum a remoto, licet non videant. Apes enim moventur
ad nutrimentum a loco remotissimo; in quacunque enim regione fuerint,
[line 17 cont.] in quodam tempore certo singulis annis petunt litus maris
[line 17 cont.] ut ex limo vigorem sui alimenti recipiant; et sunt
ex animalibus carentibus sanguine. Et similiter in piscibus
et in multis animalibus aque. Et ratio super hoc
quod dixit de medio est ratio predicta, scilicet quod, cum
odorabile fuerit positum super sensum odoratus, non
sentietur. Et quod dixit de visione, quod natura media que

Page 277

servit visui non est aer secundum quod est aer, aut aqua secundum
[line 23 cont.] quod est
aqua, sed natura communis, ita est intelligendum hic in
natura que est media, scilicet quia est natura communis aque
et aeris; et quod odores sunt extranei in ista natura, et quod
ista natura caret odoribus sicut diaffonum coloribus,
ita quod, sicut color habet duplex esse, scilicet esse in corpore
colorato (et hoc est esse corporale) et esse in diaffono
(et hoc est esse spirituale), ita odor habet duplex esse, scilicet
esse in corpore odorabili et esse in medio; et illud
est esse corporale et hoc spirituale, et illud naturale et
hoc extraneum. Et cum hoc ignoraverunt quidam,
et existimaverunt quod odor non separatur a corpore odorabili,
et quod non habet nisi unum esse tantum, dixerunt
quod a corpore odorabili dissolvitur corpus odorosum,
habens corpus subtile et odorem subtilem, et quod movetur
in aere donec perveniat ad sensum odoratus. Et
hoc destruitur multis modis. Videmus enim quod multa

animalia moventur ad suum nutrimentum per spatium multarum dietarum, sicut apparet in vulturibus, et sicut apparet de tigribus, que venerunt ad locum prelii quod accidit in terra Grecorum a remotis regionibus.

Et quod iam posuimus quod omne sensibile quod comprehenditur per medium equaliter debet sentiri ex omnibus partibus, nisi aliquid impediat, unde necesse est ut istud corpus vaporosum sit semper unum, et quod suus semidiameter sit secundum longitudinem lienarum

Page 278

unde veniunt ista animalia ad suum cibum, ut dicitur quod vultures moventur a quingentis miliaribus. Sed impossibile est ut corpus parvum extendatur donec recipiat tales dimensiones, cum impossibile est ut materia recipiat extensionem ad tale ultimum; maxima enim remotio quam materia recipit est dimensio ignis, deinde aeris; si igitur corpus odorabile alteretur totum in ignem aut aerem, impossibile est ipsum recipere dimensionem mille miliariorum. Minima enim dimensionum quam materia recipit est dimensio terre, et maxima dimensio ignis; et inter has duas dimensiones non + (text problem) sentitur ex diversitate hec quantitas, scilicet ut magnitudo unius palme terre fiat mille miliaria; hoc enim est impossibile. Et etiam si ita esset, tunc illud corpus spericum odorabile necesse esset ut penetraret aerem secundum totum, aut quod aer recederet a loco suo. Et cum hoc est impossibile, et etiam impossibile est ut odor sit in aere sicut in corpore composito; simplicia enim non recipiunt odores. Remanet igitur ut sit in eo sicut color in diaffono. Sed tamen apparet quod esse coloris magis est spirituale quam esse odoris. Venti enim videntur adducere odores, et hoc est ex quo fuit existimatum odorem esse corpus. Sed ita est de odore in hac intentione sicut de sono. Sonus enim fit a passione in aere, sed etiam impeditur a ventis; sed tamen non consequitur ex hoc ut sit corpus. Quasi igitur necesse est in hiis duabus passionibus, scilicet soni et odoris, cum fuerint in aere, ut non sint motus illic in aere ad aliquam partem sine alia.

Page 279

98. ET IDEO APPARET QUOD ISTE EST LOCUS DUBITATIONIS,
SCILICET QUOD OMNIA ANIMALIA OLFACIUNT EODEM
MODO, ET QUOD HOMO NON OLFACIT NISI QUANDO
ANELAT INSPIRANS; QUANDO AUTEM EXPIRAT
AUT RETINET, NON OLFACIT NEQUE A REMOTO NEQUE A
PROPINQUO, NEQUE ETIAM SI ODOROSUM PONERETUR
IN NASO. HOC AUTEM QUOD, CUM SENSIBILE FUERIT POSITUM
SUPER IPSUM SENTIENS, NON SENTIETUR COMMUNE
EST OMNIBUS; HOC VERO QUOD SENTIRE NON FIT SINE
INSPIRATIONE EST PROPRIUM HOMINIBUS. ET HOC
MANIFESTABITUR EXPERIMENTATORIBUS.

421b13

421b15

421b19

Et cum dixerimus quod animalia habitantia in aqua et animalia non sanguinea olfaciunt, accidit

questio quando concesserimus has duas propositiones,
scilicet quod omnia animalia debent olfacere eodem
modo, et posuerimus quod homo olfacit quando inspirat
et non quando expirat aut retinet anelitum. Consequitur
enim ex hoc quod, si aliquod animal fuerit non
anelans, ut sit non olfaciens. Deinde dixit: HOC AUTEM
QUOD, SI SENSIBILE FUERIT POSITUM, etc. Idest, hoc autem
quod necessarium est in omnibus sensibus et in omnibus animalibus
ut
sit medium, et quod sentire non fiet quando sensibile
fuerit positum super ipsum sentiens, commune est omnibus;
hoc enim opinatur Aristoteles de tactu et gustu,
sicut post apparebit. Deinde dixit: HOC VERO QUOD SENTIRE
NON FIT ABSQUE INSPIRATIONE, etc. Idest, hoc vero quod
homo
et alia animalia anelantia impossibile est ut olfaciant

Page 280

absque inspiratione manifestum est per se volentibus
considerare et experimentari.

99. OPORTET IGITUR EX HOC UT ANIMALIA CARENTIA SANGUINE,	421b19
CUM NON ANELANT, HABEANT ALIUM SENSUM.	421b20
SED HOC EST IMPOSSIBILE, CUM SENTIANT ODOREM;	
SENTIRE ENIM BONUM ODOREM ET MALUM	
EST OLFACERE. ET ETIAM VIDEMUS QUOD FORTES ODORES QUI CORRUMPUNT	
HOMINES NOCENT EIS, UT PUTREFACTIONIS ET SULPHURIS	421b25
ET SIMILIUM. UNDE NECESSE EST UT OLFACIANT,	
SED NON INSPIRANDO.	421b26

Et cum posuerimus quod omnia animalia eodem
modo olfaciunt, et est manifestum quod homo non olfacit
sine inspiratione, necesse est ut animalia carentia sanguine,
cum non anelant, et videntur venire ad suum nutrimentum
a remoto, ut habeant alium sensum a sensu olfactus.
Deinde dixit: SED HOC EST IMPOSSIBILE, etc. Idest, sed
ponere ea habere alium sensum a sensu olfactus impossibile
est, cum posuerimus quod nichil comprehendit odorem
nisi per istum sensum; comprehendere enim bonum
odorem et malum est olfacere, et olfacere est actio istius
sensus, non alterius. Deinde dixit: ODORES ENIM FORTES
QUI NOCENT HOMINI NOCENT EIS. Et ista est secunda ratiocinatio;
et est quod ista animalia infirmantur et dolent a malis
odoribus et fugiunt eos, sicut homines, et quia homines
fugiunt eos propter sensum olfactus, oportet ut
sic sit de aliis animalibus. Deinde dixit: UNDE NECESSE

Page 281

EST UT OLFACIANT, SED NON INSPIRANDO. Idest, necesse est igitur, ex
hoc quod diximus scilicet, quod ista animalia olfaciant, cum
videntur moveri ad odores et fugere eos, et, quod impossibile
est ut ista actio sit per alium sensum a sensu olfactus,
ut ista animalia necessario olfaciant; et non est necesse
ut omnia animalia olfaciant eodem modo.

100. VIDETUR IGITUR QUOD ISTE SENSUS IN HOMINIBUS DIFFERT	421b26
A SE IN ALIIS ANIMALIBUS, SICUT OCULI DIFFERUNT AB	

OCULIS ANIMALIS DURI OCULI; ISTI ENIM HABENT
 COOPERTORIA, SCILICET PALPEBRAS, QUE CUM NON APERIUNTUR, 421b30
 NON VIDET HOMO; ANIMALIA AUTEM DURI
 OCULI NON HABENT ALIQUOD TALE, SED VIDENT SUBITO
 ILLUD QUOD FIT IN DIAFFONO. ET SIC VIDETUR
 QUOD EST SENSUS OLFACTUS ETIAM, SCILICET QUOD IN
 QUIBUSDAM ANIMALIBUS EST NON COOPERTUS, UT 421a1
 OCULUS; IN ANIMALIBUS VERO RECIPIENTIBUS AEREM
 HABET COOPERTORIUM. ET CUM ISTA ANIMALIA INSPIRANT,
 AMPLIANTUR VENE ET VIE, ET AUFERETUR ILLUD.
 ET IDEO EA QUE ANELANT NON OLFACIUNT IN HUMIDO;
 INSPIRATIO ENIM NECESSARIA EST IN OLFACTU, 421a5
 UNDE IMPOSSIBILE EST HOC FACERE IN HUMIDO. ET
 ODOR EST SICCI, SICUT SAPOR HUMIDI. ET SENTIENS ET OLFACIENS
 EST ILLUD QUOD EST IN POTENTIA ISTIUS DISPOSITIONIS. 421a7

Et cum declaratum est quod animalium quedam sentiunt
 odorem sine inspiratione et quedam cum inspiratione,

Page 282

visum est quod causa in hoc est quod iste sensus in hominibus
 et in animalibus anelantibus differt in creatione et
 forma a se in aliis animalibus non anelantibus, quemadmodum
 oculi in homine et in aliis differunt in creatione
 ab oculis animalium duri oculi, scilicet carentium
 palpebris. Et cum narravit consimilitudinem inter ea
 in hac intentione, dedit modum consimilitudinis. Et dixit:
 ISTA ENIM HABENT COOPERTORIA, etc. Idest, et sicut oculi
 in homine et in aliis habent palpebras quibus cooperiuntur,
 et est impossibile ut homo videat quousque aperiat
 palpebras, et in animalibus duri oculi non habent
 palpebras, sed vident subito colores factos in diaffono
 sine aliquo coopertorio, ita videtur quod dispositio sensus
 olfactus in animalibus anelantibus differt a se in
 non anelantibus. In anelantibus enim habet coopertorium;
 in non anelantibus autem non habet coopertorium.
 Et sic animalia anelantia indigent apud olfactum
 anelitu ad aperiendum vias clausas olfactus, per
 quas impossibile est ut olfaciant antequam aperiantur,
 quemadmodum impossibile est ut animalia boni
 visus videant quousque palpebre aperiantur; sed animalia
 non anelantia non indigent hoc. Et ista erit causa propter quam
 animalia anelantia non olfaciunt in aqua. Sed est questio
 in hoc quod dixit; animalia enim duri oculi sunt debilioris
 visus aliis animalibus, sed animalia multa non
 anelantia videntur fortioris odoratus homine, et oporteret,
 si palpebre in oculis essent sicut nasus in animalibus
 anelantibus, ut animalia anelantia essent verioris

Page 283

olfactus quam non anelantia. Et ideo perscrutandum
 est utrum nasus in animalibus olfacientibus
 per nasum sit propter melius, sicut palpebre sunt in animalibus
 habentibus palpebras, aut propter necessitatem.
 Si igitur est propter necessitatem, non oportet ut
 anelantia sint verioris olfactus quam non anelantia;
 si autem propter melius, erit econtrario. Sed hoc quod

dixit: AMPLIANTUR VENE ET VIE, demonstrat quod hoc est propter necessitem, non propter melius, et quod animalia duri oculi non assimilantur olfacientibus sine inspiratione nisi secundum diversitatem creationis tantum, non quod iuvamentum palpebrarum est de modo iuvamenti inspirationis. Deinde dixit: ET ODOR EST SICCI, SICUT SAPOR HUMIDI. Idest, et odor attribuitur abundantie partis sicce in odorabili, sicut sapor attribuitur abundantie partis humide in gustabili; et hoc declarabitur in libro de Sensu et Sensato. Deinde dixit: ET OLFACIENS EST ILLUD QUOD EST ISTIUS DISPOSITIONIS. Idest, et cum declaratum est quid sit odor, et quomodo comprehenditur per sensum, tunc sensus olfactus est illud quod innatum est recipere odores.

ii.10

422a8

101. GUSTUS AUTEM EST ALIQUIS TACTUS; ET EST ILLUD QUOD EST IN POTENTIA ISTIUS DISPOSITIONIS NON PER MEDIUM QUOD SIT CORPUS EXTRANEUM; TACTUS ENIM ETIAM NON EST SIC. ET CORPUS IN QUO EST SAPOR, GUSTUS IN EO EST IN HUMIDITATE SICUT RES IN MATERIA, ET HOC EST ALIQUID TANGIBILE. ET IDEO, SI NOS FUERIMUS IN AQUA, ET IN AQUA FUERIT

422a10

Page 284

ALIQUID DULCE, SENTIETUR A NOBIS NON PER MEDIUM, SED ADMISCENDO SE CUM HUMIDO, SICUT EST DE VINO. COLOR AUTEM NON VIDETUR EO QUOD ADMISCETUR, NEQUE QUIA ALIQUID CURRIT AB EO.

422a15

Cum complevit sermonem de olfactu, et sensus gustus est illud quod debet consequi nunc secundum ordinem qui incipit a meliori et procedit ad magis necessarium, incepit loqui de eo et declarare quod est aliquis tactus, et quod propter hoc non indiget comprehendere suum sensibile per medium quod sit corpus extraneum, sed per medium quod sit pars animalis. Et dixit: GUSTUS AUTEM EST ALIQUIS TACTUS; ET HOC NON EST IN POTENTIA ISTIUS DISPOSITIONIS PER MEDIUM QUOD SIT CORPUS EXTRANEUM; TACTUS ENIM NON EST ETIAM SIC. Idest, et iste sensus est illud quod non est in potentia istius dispositionis per medium quod est corpus extraneum, sed per medium quod est corpus non extraneum. Deinde dixit: TACTUS ENIM ETIAM NON EST SIC. Idest, tactus enim etiam comprehendit suum sensibile non per medium quod est corpus extraneum sicut est de sensibus tribus predictis. Et quasi inducit istum sermonem pro ratione quod gustus est aliquis tactus. Et quasi dicit: gustus autem est aliquis tactus, cum comprehendit suum sensibile non per medium quod sit corpus extraneum, sicut tactus. Et hoc est manifestius in secunda translatione, ubi dicit: SENSUS AUTEM GUSTUS COMPREHENDIT PER TACTUM; ET CAUSA ILLIUS EST QUOD SENSIBILE

Page 285

PER GUSTUM NON COMPREHENDITUR PER MEDIUM INTER GUSTANS ET GUSTATUM QUOD EST CORPUS EXTRANEUM; NEQUE ETIAM TACTUS ITA COMPREHENDIT. Deinde dixit: ET CORPUS IN QUO EST SAPOR, etc. Idest, et alio modo etiam dicimus

quod iste sensus est aliquis tactus. Corpus enim in quo existit sapor non est gustabile nisi secundum quod ille sapor existit in eo in humore cuius proportio ad illum saporem est sicut materie ad formam. Et ideo iste sensus non comprehendit saporem nisi comprehendat humorem, cum sit impossibile ut denudetur ab eo; et comprehendere humorem est aliquod tangere; unde iste sensus videtur aliquis tactus. Deinde dixit: ET IDEO, SI NOS FUERIMUS IN AQUA, etc. Idest, et quia gustus non indiget medio extraneo, ideo, cum nos fuerimus in aqua, et in aqua invenitur aliquod dulce, sentietur a nobis admiscendo se cum aqua, non quia aqua recipit saporem abstractum a materia et reddit eum isti sensui, sicut est de mediis extraneis que reddunt sensibilia sensibus; illa enim non recipiunt sensibilia cum corporibus in quibus existunt, sed abstracta a materia. Et hoc demonstrat quod ipse opinatur quod odor non est corpus; si enim esset corpus, esset aliquis tactus.

Deinde dixit: COLOR AUTEM NON VIDETUR, etc. Idest, color autem non videtur quod aliquid ex eo admisceatur cum aqua aut aere, neque quod aliquid currat ab eo in aquam aut aerem, sed tantum recipiunt ab eo intensionem coloris abstractam a materia; unde dicimus in hoc et similibus quod comprehenduntur per medium extraneum.

Page 286

102. SECUNDUM AUTEM HUNC MODUM

422a15

NON EST MEDIUM; SED QUEMADMODUM COLOR EST VISIBILE, SIC SAPOR EST GUSTABILE. ET NICHIL RECIPIT SENSUM SAPORIS ABSQUE HUMIDITATE, SED IN EO EST IN ACTU AUT POTENTIA HUMIDITAS; V.G. SALSUM; EST ENIM VELOCIS DISSOLUTIONIS, ET CUM HOC DISSOLVIT LINGUAM.

422a19

Iste autem sensus differt a sensibus qui comprehendunt per medium extraneum in hoc quod non comprehendit suum sensibile per medium; sed quemadmodum color est visibile in rei veritate proprium visui, ita sapor est gustabile in rei veritate proprium gustui. Deinde dixit: ET NICHIL RECIPIT SENSUM SAPORIS, etc. Idest, et nichil recipit sensum saporis, qui dicitur gustus, nisi sapor sit in humore, et humor est in saporoso aut in actu aut in potentia, v.g. salsum, quod est humidum in potentia propinqua, cum velociter dissolvitur et dissolvit humores qui sunt in lingua. Et ideo preparavit Natura salivam in ore, et preparavit brancos in homine ad congregandum istam humiditatem, ut ea mediante gustarentur sicca. Unde dicimus quod sapor non est sapor in actu nisi in corpore humido in actu.

103. ET SICUT VISUS EST VISIBILIS REI ET NON VISIBILIS (NAM OBSCURITAS EST NON VISIBILIS, ET ETIAM DISTINGUITUR A VISU), ET EST ETIAM MANIFESTUM

422a20

Page 287

IN EO QUOD EST VALDE FULGOROSUM ET RESPLENDENS
 (HOC ENIM QUOQUO MODO EST NON VISIBILE, SED
 TAMEN ALIO MODO AB OBSCURITATE), ET SIMILITER
 AUDITUS EST SONI ET SILENTII, QUORUM UNUM EST
 AUDIBILE ET ALIUD NON AUDIBILE, ET EST MAXIMI
 SONI, SICUT VISUS EST RESPLENDENTIS (QUEMADMODUM
 ENIM MINIMUS SONUS EST NON AUDIBILIS,
 ITA ALIQUO MODO EST MAXIMUS SONUS ETIAM),
 ET NON VISIBILE QUODDAM DICITUR SIC UNIVERSALITER,
 SICUT IN OMNIBUS CARENTIBUS HOC, ET QUODDAM
 EST INNATUM VIDERI SED NON HABET, AUT
 HABET SED DIMINUTE, UT CARENS PEDE: ET SIMILITER
 GUSTUS EST GUSTABILIS ET NON GUSTABILIS (ET
 HOC EST CUIUS SAPOR EST DEBILIS AUT MALUS AUT
 CORRUMPENS GUSTUM). ET SIMILITER EXISTIMATUR
 DE POTABILI ET NON POTABILI; SUNT ENIM GUSTUS
 QUOQUO MODO, SED ISTUD MALUM CORRUMPENS
 GUSTUM, ET ILLUD NATURALE. ET POTABILE EST
 COMMUNE TACTUI ET GUSTUI.

422a25
422a30
422a34

Sermo eius in hoc capitulo est manifestus. Et abbreviatio
 eius est quod non sensibile dicitur in unoquoque sensuum
 tribus modis: aut de eo quod caret sensato proprio
 illi sensui de eis sensatis que innatus est habere,
 aut de eo quod est sensibile intensum in se respectu illius
 sensus, aut de eo quod est sensibile debile; v.g.
 obscuritas, que est non sensibilis secundum privationem in
 visu, et color splendens, qui est non sensibilis secundum
 intensionem, et color latens, qui est non sensibilis secundum

Page 288

debilitatem; et in auditu silentium secundum privationem, et
 maximus sonus secundum intensionem, et sonus latens secundum
 debilitatem; et in gustu insipidum secundum privationem, et horribile
 secundum malitiam, et debile secundum diminutionem. Omnia enim
 ista dicuntur non sensibilia, quoniam unumquodque istorum est
 privatio alicuius dispositionis naturaliter sensibilis illius
 sensus. Deinde dixit: ET NON VISIBILE QUODDAM DICITUR, etc. Idest, et non
 visibile dicitur universaliter, sicut dicitur in aliis sensibus, multis
 modis: aut quia non est innatum videri omnino, ut dicimus quod
 sonus est invisibilis, et in colore non auditus, aut quia
 innatum est videri sed non videtur, quia caret colore aut quia habet
 [line 42 cont.] colorem
 sed alio modo ab eo secundum quem innatum est habere, scilicet quod aut
 propter intensionem aut propter debilitatem hoc dicitur non
 visibile, sicut dicitur in eo quod est debilis pedis quod non
 habet pedem. Deinde dixit: ET POTABILE EST COMMUNE TACTUI
 ET GUSTUI, idest quia secundum humiditatem que est in eo est
 tangibile, et secundum saporem est gustabile.

104. ET QUIA GUSTABILE EST HUMIDUM, FUIT NECESSE
 UT SUUS SENSUS NON ESSET HUMIDUS IN PERFECTIONE,
 NEQUE IMPOSSIBILIS UT HUMEFIAT. GUSTUS ENIM
 QUOQUO MODO PATITUR A GUSTABILI SECUNDUM QUOD EST
 GUSTABILE; UNDE NECESSE EST UT HUMEFIAT ILLUD QUOD
 POSSIBILE EST UT HUMEFIAT (ET EST SALVATUM),
 SED NON EST HUMIDUM SENSUS GUSTUS. ET

422a34
422b1
422b5

SIGNUM EIUS EST QUOD LINGUA NON SENTIT CUM FUERIT
VALDE SICCA AUT VALDE HUMIDA; TACTUS ENIM
IPSE ERIT PER PRIMUM HUMOREM, SICUT QUI PRIUS
GUSTAVIT SAPOREM FORTEM, DEINDE GUSTAVIT
ALIUM SAPORE, ET SICUT EGROTI SENTIUNT OMNIA
AMARA, QUIA SENTIUNT EA PER LINGUAM SUBMERSAM
IN TALI HUMORE.

422b10

Cum declaravit ea que sunt communia isti sensui et sensui
tactus et aliis sensibus, incepit dicere quoddam proprium
membro istius sensus, scilicet lingue. Et dixit: ET QUIA GUSTUS EST
HUMIDUS, etc. Idest, et quia materia saporis est humor, ut
declaratum est in Sensu et Sensato, necesse fuit ut recipiens
saporem recipiat humorem cum sapore, unde necesse est
ut iste sensus non sit humidus in actu, neque sit etiam impossibile
ut recipiat humorem, cum sit innatus recipere saporem,
quod est impossibile sine receptione humoris.
Et dixit quod est necesse ut sit non humidus in actu quia
illud quod est aliquid in actu non est innatum recipere
illud quod est in eo in actu secundum quod est in eo in actu.
Visus enim, si haberet aliquem colorem in actu, non reciperet
colores. Deinde dixit: GUSTUS ENIM PATITUR QUOQUO
MODO, etc. Idest, et est necesse ut iste sensus sit innatus
humefieri. Membrum enim gustans patitur quoquo
modo a gustabili, et quia gustabile semper associatur
humido, necesse est ut gustans patiatur ab humore
qui est cum sapore; unde necesse est ut hoc membrum
gustans sit in ea dispositione qua possibile est ut humefiat;

et hoc erit ut non sit humidum in se, et quod sit cum
hoc salvatum ab accidentibus. Et hoc intendebat cum
dixit: UNDE NECESSE EST UT HUMEFIAT, etc. Idest, et quia
necesse est ut hoc membrum humefiat, necesse est ut sit
innatum humefieri, scilicet ut sit salvatum a siccitate
intensa, et ut non sit humidum. Deinde dixit: ET SIGNUM
EIUS EST QUOD LINGUA, etc. Idest, et signum eius quod lingua
apud comprehensionem saporum debet salvari ab intensa
siccitate et dominio humoris est quod ipsa non sentit
sapores quando fuerit intense siccitatis aut intense
humiditatis, sed tantum sentit cum fuerit in naturali dispositione
secundum quam innata est recipere humiditatem saporis.
Deinde dixit: TACTUS ENIM IPSE, etc. Idest, et cum lingua
innata est recipere saporem cum eius humiditate,
necesse est ut super ipsam non dominetur alia humiditas.
Prima enim humiditas dominans in lingua impedit
eam in recipiendo secundam humiditatem; quemadmodum
qui gustaverit aliquem saporem fortem et
postea gustaverit alium saporem; tunc enim non sentiet
secundum saporem propter dominium primi super linguam.
Deinde dixit: ET SICUT INFIRMI SENTIUNT OMNIA AMARA, etc. Idest, et sicut
[line 55 cont.] infirmi sentiunt omnes sapores
amaros, quia sentiunt eos per linguam submersam
in humore amaro, ita qui gustaverit aliquem saporem
et sua lingua fuerit humefacta in humore accidentiali

tunc non comprehendet humorem saporis proprium,
nisi admixtum cum qualitate illius primi humoris. Et
sic accidet necessario ut non comprehendat saporem,
quia non comprehendit materiam saporis in dispositione
secundum quam est materia illius saporis.

Page 291

105. ET MODI SAPORUM SUNT SICUT IN COLORIBUS.
SIMPLICES AUTEM SUNT CONTRARIII, DULCIS ET AMARUS.
SEQUENTES AUTEM SUNT ILLUM VERO UNCTUOSUS,
ISTUM AUTEM SALSUS. ET QUE SUNT INTER EA
SUNT ACUTUS, ET STIPTICUS, ET PONTICUS, ET ACETOSUS.
ISTI ENIM MODI FERE VIDENTUR ESSE MODI SAPORUM.
UNDE NECESSE EST UT GUSTANS
SIT ILLUD QUOD EST IN POTENTIA ISTIUS DISPOSITIONIS,
ET GUSTABILE SIT AGENS.

422b10

422b15

422b16

Et dispositio modorum saporum adinvicem est sicut
dispositio colorum adinvicem. Quemadmodum igitur
colores simplices sunt albus et niger, ex quibus componuntur
alii, quorum quidam sunt propinquiore simplicibus
quibusdam, ita est de saporibus, scilicet quod simplices eorum
sunt contrarii, scilicet dulcis et amarus. Et sequitur dulcem
unctuosus, et salsus amarum. Et inter istos sunt acutus,
et stipticus, et acetosus. Et hoc quod dixit in coloribus
autem manifestum est; in saporibus vero habet questionem.
Galienus enim opinatur quod ponticus et acetosus sunt
frigidi, et quod acutus est calidior amaro. Et si nos
concesserimus quod isti sapores consequuntur calorem et
frigus, necesse est quod contrarietas in istis sit in illo quod
est ultimo calidum et in illo quod est ultimo frigidum. Et
si concesserimus quod ita est de saporibus sicut de coloribus,
scilicet quod idem color sit a caliditate vel a frigiditate,
tunc non accidet impossibile. Et videtur quod opinio

Page 292

Galieni sit error. Videmus enim quod amaritudo quandoque
invenitur cum frigiditate, v.g. quod amaritudo
que est in fructibus in primo cremento demonstrat
frigus; et amaritudo que est in rebus combustis
demonstrat calorem. Et similiter non est impossibile ut
aliqua dulcedo sit frigida; videtur enim quod plante amari
saporis apud complementum sunt dulces aut insipide
in principio. Et signum eius quod isti sapores sunt ita
est quod plante habentes sapores non transferuntur
ex amaritudine ad dulcedinem, in eis que innate
sunt esse dulces in fine, nisi mediante aliquo illorum saporum;
et hoc erit secundum quod pertinet illi amaro existenti
in illa planta et illi dulci existenti in ea. Quemadmodum
albedo non transfertur ad nigredinem vel econtrario
nisi mediante aliquo colorum mediorum; in aliquo igitur
transfertur mediante karopo, et in aliquo mediante
kiano; non enim est necesse ut translatio ex extremis
sit super omnia media. Et universaliter per se manifestum
est quod amarum et dulce sunt in fine contrarietatis,
inquantum sunt sapores; quapropter necesse est
ut alii sapores sint medii inter hos duos, et compositi

ex extremis. Secundum hoc igitur debemus ponere hoc, et non debemus advertere sermonem Galieni; suus enim sermo non est verus in complexionibus saporum secundum suas naturas. Et si concesserimus quod omne dulce est calidum, et omne amarum etiam est calidum, debemus etiam dicere quod hoc non est nisi respectu corporis hominis, non respectu nature ipsius rei. Experientia enim licet testetur hoc in corpore humano, tamen

Page 293

hoc non demonstrat naturam ipsorum saporum.

Et videtur quod sapor magis sequitur humiditatem et siccitatem quam caliditatem et frigiditatem. Necesse est enim opinari aliquam complexionem terminari ex qua fit amaritudo, et aliam ex qua dulcedo, et quod iste due complexionones sunt contrarie secundum hunc modum. Et locus de hac perscrutatione est in libro de Sensu et Sensato, et etiam de numero modorum saporum. Deinde dixit: QUAPROPTER NECESSE EST UT GUSTANS SIT ILLUD, etc. Idest, declaratum est igitur ex predictis quod iste sensus est illud quod est in potentia omnes isti sapes, et quod sapor et gustus est agens et movens istum sensum de potentia in actum

ii.11

106. DE TANGIBILI AUTEM ET DE TACTU IDEM EST SERMO.

422b17

TACTUS ENIM SI NON FUERIT UNUM GENUS,
SED PLUS, NECESSE EST UT TANGIBILIA ETIAM SINT PLURA
UNO. SED EST DUBIUM UTRUM SINT UNUM AUT PLURA.

422b20

Modo vult loqui de tactu. Et dixit: DE TANGIBILI AUTEM ET DE TACTU, etc. Idest, utrum autem tangibile sit unum aut plura uno est dubium, sicut est de tactu; et sermo in eis idem est. Et innuit per hoc causam propter quam latet hoc in hoc sensu, et non latet in aliis sensibus; de illis enim, quia manifestum fuit quod sensibile eorum est unum in genere, fuit etiam manifestum eos esse unum in genere; in hoc sensu autem, quia ignoratum est de suis sensibilibus, fuit etiam ignoratum de suo sensu. Deinde dixit: TACTUS ENIM SI NON FUERIT UNUM GENUS, etc. Idest, et sermo de eis in hac intentione idem est. Notum est enim nobis quod, si tactus

Page 294

non est unum genus, sed plura, necesse est ut tangibilia sint plura uno, et quod, si tangibilia sint plura uno, necesse est ut iste sensus sit plus uno. Sed licet consecutio in istis duobus sillogismis sit manifesta, tamen destructio vel positio in eo est ignorata.

107. SENSUS AUTEM TACTUS UTRUM EST IN CARNE AUT
IN ALIO SIMILI, AUT NON, SED ISTA EST MEDIUM, PRIMUM
AUTEM SENTIENS EST ALIUD INTRINSECUM? OMNIS
ENIM SENSUS EXISTIMATUR ESSE EIUSDEM CONTRARIETATIS,
V.G. VISUS ALBI ET NIGRI, ET AUDITUS
GRAVIS ET ACUTI, ET GUSTUS DULCIS ET AMARI. IN TANGIBILIBUS
AUTEM SUNT PLURA CONTRARIA: CALIDUM ET
FRIGIDUM, ET SICCU ET HUMIDUM, ET DURUM
ET MOLLE, ET ASPERUM ET LENE, ET ALIA SIMILIA.

422b20

422b25

422b27

Cum narravit quod dubium est utrum sensus tactus sit eadem virtus aut plures, incepit dicere sermones dubitabiles in hoc. Et dixit: SENSUS AUTEM TACTUS, etc. Idest, et principium considerationis in hoc est utrum sensus tactus sit in carne aut in simili carni in animalibus carentibus carne, aut sensus tactus non est in carne, sed caro est quasi medium. Et dixit hoc quia, si fuerit declaratum quod sensus tactus est in carne, ita quod proportio carnis ad ipsum sit sicut proportio oculi ad visum, manifestum est quod sensus tactus est una virtus, quoniam unum instrumentum non est nisi unius virtutis. Si autem fuerit declaratum quod ista virtus fuerit plures

Page 295

una, necesse est ut caro sit quasi medium, et ut non sit quasi instrumentum. Et cum narravit hoc, incepit inducere sermones dubitabiles. Et incepit ab eis que demonstrant virtutem tactus esse plures una, quia post inducet ea que demonstrant ipsam esse unam ex hoc quod apparet quod, cum sensibile fuerit positum super carnem, statim sentiet, ex quo existimatur quod ista virtus est una. Et dixit: SED ISTA EST MEDIUM, etc. Idest, utrum autem sensus tactus est in carne, ita quod sit una virtus, aut non est in carne, sed intra, et est plus quam una virtus, est dubium. Potest enim aliquis dicere quod caro est medium, et quod primum sentiens, quod est instrumentum istius virtutis, est instrumentum aliquod intrinsecum, et quod est plus quam unum instrumentum. Et signum eius est quia manifestum est quod idem sensus non comprehendit nisi endem contrarietatem, et eius media; visus enim comprehendit album et nigrum et media, et auditus grave et acutum et media, et gustus dulce et amarum et media; tactus autem multa contraria, v.g. calidum et frigidum, et humidum et siccum, et asperum et lene, et durum et molle, et alia contraria; unde necesse est ut ista virtus sit plures una, et quod caro sit quasi medium. Et hoc quod dixit manifestum est; quoniam, si una virtus est que comprehendit unam contrarietatem, contingit oppositum converti cum opposito, scilicet ut que non comprehendit unam contrarietatem, sed plura, non sit una virtus, sed plures.

Page 296

108. SED EST HIC ALIQUID PER QUOD DISSOLVITUR ISTA QUESTIO.
IN ALIIS ENIM SENSIBUS SUNT MODI CONTRARIETATIS
PLURES UNO; V.G. IN SONO, CUM ACUTO
ET GRAVI, EST MAGNUM ET PARVUM ETIAM, ET SONUS
LENIS ET ASPER, ET ALIA SIMILIA; ET IN COLORE ETIAM
SUNT ALII SIMILES ISTIS. SED TAMEN NON EST MANIFESTUM
QUID EST ILLUD UNUM SUBIECTUM, SICUT
EST SONUS AUDITUS, SIC TACTUS.

422b27

422b30

422b33

Cum dedit sermonem facientem credere quod sensus tactus sit plus uno, dedit alium sermonem, quasi dubitationem super hunc sermonem. Et dixit: SED EST ALIQUID, etc. Idest, sed potest aliquis dicere aliquid esse per quod dissolvitur iste sermo per quem probatur quod sensus tactus

est plus uno; et est quod in aliis sensibus etiam sunt modi contrarietatis plures uno; v.g. quod auditus comprehendit grave et acutum, et magnum et parvum, et lene et asperum; et similiter visus comprehendit multa, scilicet album et nigrum, et splendens et non splendens; quapropter non est necesse ex hoc quod tactus comprehendit plus uno ut sit plures, et quod caro sit quasi medium. Et cum dedit hanc dubitationem super sermonem probantem quod iste sensus est plus uno, incepit excitare modum debilitatis eius. Et dixit: SED NON EST MANIFESTUM, etc. Idest, sed iste sermo non sequitur. Quoniam, si magna contrarietas que est in tactu sit similis maxime contrarietati existenti in unoquoque sensu, necesse est ut subiectum modorum contrarietatis que est in tactu sit unum, sicut est in visu et in auditu. Sonus enim est subiectum illorum contrariorum predictorum, et similiter color est subiectum

Page 297

modorum contrarietatis comprehensibilium per visum. Sed non est manifestum quid est unum subiectum contrariorum sensus tactus; immo apparet quod subiectum multiplicatur secundum multiplicationem contrariorum. Et intendit per SUBIECTUM hic genus quod divitur in hec contraria. Et hoc quod dixit manifestum est. Necesse est enim, si posuerimus quod unus sensus comprehendit multos modos contrarietatis, ut genus subiectum illis modis sit unum; quoniam necesse est aliquid esse commune illi multitudini quod comprehendatur ab illo uno sensu; et si non, non erit illic aliquid per quod ille sensus poterit dici unus, quoniam unus sensus non est unus nisi per unam intentionem. Et cum contraria fuerint diversa in generibus, tunc virtutes erunt diverse, et ideo illud quod recipit contrarietatem colorum aliud est a recipiente contrarietatem odorum et [line 44 cont.] a recipiente contrarietatem saporum, cum ista contraria sint diversa in genere. Unde necesse est, si tactus sit una virtus, ut modi contrariorum quos comprehendit sit unum genus subiectum eis quod dicatur de eis univoce, ut SONUS, qui dicitur univoce de modis sonorum, et COLOR de modis colorum. Sed contraria tactus non videntur habere genus quod dicatur de eis nisi equivoce. QUALE enim quod dicitur de calido et frigido et gravi et levi non dicitur nisi pure equivoce et, illud quod dictum est, de equivocatione in hoc nomine QUALE quod dicitur de sapore et de calore et frigore et colore et odore; omnia enim hec nominata sunt in predicamento QUALE, et grave et leve in predicamento substantie. Et ideo necesse est ut virtus

Page 298

comprehendens contrarietatem que est in gravi et levi sit quoquo modo virtus comprehendens contrarietatem que est in calido et frigido, et quoquo modo non, cum illa que comprehendit grave et leve non comprehendit ea nisi mediante motu, scilicet quod non comprehendit grave nisi quando movet eam corpus grave, aut leve. Et ideo oportet opinari quod velit Aristoteles quod sensus tactus est plus quam unus, et quod caro est quasi ei medium.

Licet iste sermo sit contrarius sermoni in libro de Animalibus; sed tamen forte ille sermo fuit secundum quod apparuit illic, scilicet quod scivit de membris animalium in illo tempore; tunc enim adhuc nesciebat nervos, et dixit quod instrumentum istius sensus est caro. Et iste sermo dat instrumenta esse illis animalibus tangibilibus intra carnem, et hoc convenit ei quod post apparuit per anatomiam, scilicet quod nervi habent introitum in tactu et motu. Quod igitur scivit Aristoteles ratione apparuit post sensu.

109. UTRUM AUTEM SENSUS SIT INTRA, AUT NON, SED 422b34
EST PRIMUM QUOD APPARET, SCILICET CARO, EXISTIMATUR 423a1
QUOD ISTUD SIGNUM NICHIL EST, SCILICET QUOD SENSUS
EST QUANDO TANGITUR. QUONIAM, SI TU ACCEPERIS
MEMBRANAM ET INDUAS CARNEM, EA, TUNC EODEM
MODO APPAREBIT SENSUS QUANDO TANGITUR;
LICET MANIFESTUM EST QUOD SENTIENS NON EST IN 423a5

Page 299

ISTIS REBUS; SI IGITUR FUERIT CONSOLIDATUM CUM
EO, TUNC SENSUS CITIUS PROVENIET ETIAM. 423a6

Cum dedit sermonem necessarium ex quo apparet quod sensus tactus est plus uno, et quod caro est quasi medium, ut exposuimus, (licet sit contra opinionem Alexandri et expositionem Themistii, quamvis Themistius dicat aperte quod ista est opinio Aristotelis, scilicet quod caro est quasi medium; sed isti non videntur scire rationem super quam sustentabatur Aristoteles in hoc, et est quod, quia sensibilia tactus non communicant in eodem genere quod de eis dicatur univoce, necesse est ut sit plus uno; et nos post dicemus rationem Alexandri in hoc, et dissolvemus eam), et cum iam complevit hoc declarare et dissolvere questionem contingentem in hoc, reversus est ad destruendum illud ex quo existimatur quod caro est instrumentum istius virtutis. Et dixit: UTRUM AUTEM SENTIENS EST INTRA, etc. Idest, dicere autem quod tangens non est intra, sed in primo eorum que apparent, scilicet in carne (caro enim, cum fuerit positum super ipsam aliquod tangibile, statim comprehendet ipsum), nichil est; scilicet quod istud argumentum non tenet, scilicet quod sensus tactus sit quando tangibile tangit carnem. Deinde debilitavit hoc argumentum. Et dixit: QUONIAM, SI TU ACCEPERIS MEMBRANAM, etc. Idest, quoniam, si tu acceperis membranam non spissam, et indueris ea carnem, et posueris super eam aliquod tangibile, tunc statim comprehendetur a sensu ac si esset absque illa membrana. Deinde dixit: LICET SIT MANIFESTUM QUOD SENTIENS NON EST IN ISTIS REBUS. Idest, licet sit manifestum quod primum sentiens non est in cute. Unde non est impossibile

Page 300

ut caro sit talis dispositionis, scilicet ut sit medium quasi cutis. In apparentibus autem in carne nulla dubitatio est super ea que iam declarata sunt ratione. Deinde dixit: SI IGITUR FUERIT CONSOLIDATUM, etc. Idest, et nulla differentia est in hac intentione sive caro fuerit continua cum sentiente, sive membrana fuerit non continua. Cutis enim si esset continua, tunc citius redderet sensum. Continuatio igitur non dat carni nisi facilitatem pertransitus sensus, non quia continuatio

det ut caro sit instrumentum istius sensus.

110. ET IDEO ISTUD MEMBRUM EST DE CORPORE QUASI
AER SI ESSET APPLICATUS CUM CORPORE IN CIRCUITU;
TUNC ENIM EXISTIMAREMUS QUOD PER IDEM SENTIREMUS
SONUM ET COLOREM ET ODOREM, ET QUOD
VISUS ET AUDITUS ET OLFACTUS ESSET UNUS SENSUS.
MODO AUTEM, QUIA AER PER QUEM FIUNT ISTI MOTUS,
SCILICET VIDERE ET AUDIRE ET OLFACERE, EST DISTINCTUS,
APPARENT SENSUS QUOS DIXIMUS ESSE DIVERSI.

423a6
423a10
423a11

Cum declaravit quod tactus est plus uno sensu, et quod propter hoc caro debet esse media istis sensibus, et quod dubitatio super hoc ex eo quod apparet sensui, que fecit multos homines dicere quod caro est instrumentum istius sensus et quod iste sensus est unus, non sufficit, incepit declarare modum ex quo contingit ista existimatio communis omnibus; et forte ipse est unus eorum, in libro de Animalibus, qui hoc existimaverunt. Et dixit: ET IDEO HOC

Page 301

MEMBRUM DE CORPORE, etc. Idest, et ista existimatio accidit omnibus quia hoc membrum, scilicet caro, assimilatur aeri si esset applicatus cum corpore; quoniam, si aer, secundum quod est medium, fuisset applicatus cum corpore sicut est caro, idest esset pars corporis, tunc existimaremus quod per idem sentiremus sonum et colorem et odorem, et quod hec tria sunt unus sensus. Et hoc idem accidit sensibus tactus cum carne, ita quod fuit existimatum eos esse unum sensum. Deinde dixit: MODO AUTEM, QUIA AER, etc. Idest, sed apparet quod tres sensus isti sunt diversi, licet sint per idem medium, quia medium non est pars nostri; caro autem quia est pars nostri, non apparuit hoc in sensibus tactus, et fuit existimatum eos esse unum sensum. Sed demonstratio cogit quod sint plures uno sensu; sentit enim plura uno sensibili in genere.

111. IN TACTU AUTEM HOC MODO LATET. IMPOSSIBILE
EST ENIM UT CONSTITUTIO CORPORIS ANIMATI SIT
EX AERE AUT EX AQUA; INDIGET ENIM UT SIT DURUM;
REMANET IGITUR UT SIT EX TERRA ET EX ISTIS IN CARNE
ET SIMILIBUS. UNDE NECESSE EST UT CORPUS
MEDIUM TANGENS SIT APPLICATUM, PER CUIUS MEDIATIONEM
ERUNT SENSUS PLURES QUAM UNUS.

423a11
423a15
423a17

Cum declaravit modum ex quo contingit ista existimatio in sensibus tactus, et non contingit in aliis sensibus, incepit narrare causam et necessitatem in hoc quod medium in tactu est applicatum et in aliis non applicatum. Et dixit: IN TACTU AUTEM, etc. Idest, tactui autem accidit hoc

Page 302

ita quod ista intentio latet in eo, scilicet quod est plus quam unus sensus, ex hoc quod omnis sensus indiget medio; et animalia indigent in salute ut sentiant tangibilia; et ideo fuit necesse ut medium esset pars eius. Et fuit impossibile ut hoc medium quod est pars eius esset aqua aut aer; impossibile est enim, sicut dixit, ut constitutio corporis esset ex aere aut

aqua. Animalia enim indigent necessario corpore duro, ex quo contingit ut medium in sensibus tactus esset corpus admixtum super quod habundaret terrestritas; et est caro, et eius simile in animalibus carentibus carne. Et sic est intelligendus iste sermo. Et ipse excitavit nos super hoc quod diminuitur in sermone, per hoc quod dixit: NECESSE EST IGITUR UT CORPUS MEDIUM TANGENS SIT APPLICATUM. Idest, necesse est igitur quod omnis sensus sit per medium, cum sensus non sentiant sua sensibilia nisi tangendo; et animalia indigent, ut sentiant sensibilia occurrentia, ut medium sit applicatum, et pars corporis. Deinde dixit: PER CUIUS MEDIATIONEM ERUNT SENSUS, ET SUNT PLURES UNO, idest sensus tactus.

112. ET DEMONSTRAT EOS ESSE PLURES UNO TACTUS
LINGUE. OMNIA ENIM TANGIBILIA SENTIUNTUR PER
IDEM MEMBRUM, ET SAPOR. SI IGITUR ALIA CARO SENTIRET
SAPOREM, TUNC EXISTIMARETUR QUOD GUSTUS
ET TACTUS ESSENT IDEM SENSUS; MODO UTEM
SUNT DUO, QUIA NON CONVERTITUR. 423a17
423a20
423a21

Et demonstrat quod sensus tactus est plus quam unus,
et quod hoc latet quia caro est quasi medium, tactus qui

Page 303

est in lingua; quoniam, quia sentimus omnia tangibilia per hoc membrum, et etiam saporem, fuit necesse ut caro que est in hoc membro sit quasi medium, non quasi instrumentum; quoniam, si esset instrumentum saporis, non comprehenderet tangibile, et si tangibilis, non saporem; idem enim sensus idem habet instrumentum. Si igitur alia caro que est in corpore sentiret saporem sicut caro que est in lingua, tunc existimaretur quod gustus et tactus essent idem sensus. Deinde dixit: MODO AUTEM SUNT DUO, QUIA NON CONVERTITUR. Idest, modo autem non accidit hoc, quia non convertitur, scilicet quia omnis caro gustans est tangens, sed non omnis caro tangens est gustans.

113. ET EX EIS DE QUIBUS DUBITAT HOMO EST QUOD OMNE
CORPUS HABET PROFUNDUM, ET HOC EST TERTIA
DIMENSIO; ET CORPORA INTER QUE EXISTIT ALIQUOD
CORPUS MEDIUM IMPOSSIBILE EST UT TANGANT SE
ADINVICEM; ET HUMIDUM NON EST EXTRA CORPUS,
NEQUE HUMECTATUM; IMMO NECESSE EST UT SIT AQUA
AUT ALIQUID IN QUO EST AQUA; ET EA QUE OCCURRUNT
SIBI IN AQUA ADINVICEM, CUM SUA EXTREMA
NON FUERINT SICCA, NECESSE EST UT INTER EA SIT MEDIUM,
ET EST ILLUD IN QUO ULTIMA EORUM SUNT SUBMERSA;
ET SI HOC EST VERUM, IMPOSSIBILE EST UT ALIQUID
TANGAT ALIUD IN AQUA. ET SIMILITER IN AERE;
AER ENIM ITA EST CUM EIS QUE SUNT IN EO SICUT
AQUA CUM EIS QUE SUNT IN AQUA (SED MAGIS IGNORAMUS EA QUE SUNT IN
[line 14 cont.] AERE), V.G.
ANIMALIA QUE SUNT IN AQUA, SI CORPUS HUMECTATUM
TANGIT CORPUS HUMECTATUM. 423a21
423a25
423a30
423b1

Page 304

Cum declaravit quod tactus indiget carne pro medio, et quod est plus quam unus, incepit querere etiam utrum iste sensus, cum hoc quod indiget carne, indigeat etiam medio extrinseco, aut sufficiat etiam caro sine medio extrinseco. Et ista questio etiam accidit in gustu. Et dixit: ET EX EIS IN QUIBUS HOMO DUBITAT EST, etc. Idest, et dubitat homo in hoc utrum tactus indigeat medio extrinseco, cum hoc quod indiget medio quod est caro. Omne enim corpus habet profundum, et est tertia mensura corporis. Deinde dixit: ET CORPORA INTER QUE EST MEDIUM, etc. Idest, et cum omne corpus habet profundum, necesse est ut inter omnia duo corpora non se tangant sit corpus. Et cum ita sit, continget ut corpora sicca inter que est medium corpus humidum impossibile est ut tangant se adinvicem absque eo quod sue superficies sint humefacte ab illo corpore humido, et humiditas impossibile est ut sit extra illud corpus medium; v.g. corpora humectata quoniam impossibile est ut tangant se nisi inter ea sit aqua aut aliquid aque. Deinde dixit: ET EA QUE OCCURRUNT SIBI IN AQUA ADINVICEM, CUM EXTREMA EORUM FUERINT NON SICCA, etc. Idest, et cum corpora sicca non occurrunt sibi in corporibus humidis nisi extrema eorum sint humectata, necesse est ut non occurrant sibi nisi inter ea sit medium; et est corpus in quo superficies eorum sunt submerse. Et cum ita sit, impossibile est ut corpus siccum tangat corpus siccum in aqua aut in aere nisi inter ea sit corpus aut ex aqua aut ex aere. Deinde dixit: ET SIMILITER ETIAM DE AERE; AER ENIM, etc. Idest, et ita est de aere sicut de aqua in hoc. Sed humefactio eorum que sunt in aqua est manifesta sensui; humefactio autem eorum que sunt in

Page 305

aere non sentitur, sed ratio cogit eam esse eiusdem modi. V.g. animal quod est in aqua; quoniam, cum manifestum est quod impossibile est ut aliquid tangat nisi mediante aqua, sic debet esse in animalibus que sunt in aere.

114. UTRUM IGITUR SENSUS OMNIUM RERUM EST EODEM MODO, AUT SENSUS RERUM DIVERSARUM EST DIVERSUS, UT EXISTIMATUR QUOD GUSTUS ET TACTUS SUNT PER TANGERE, ALIA AUTEM A REMOTO? AUT NON EST ITA, SED NOS ETIAM NON SENTIMUS DURUM ET MOLLE NISI MEDIANTE ALIIS REBUS, SICUT SENTIMUS FACIENS SONUM ET VISIBILE ET ODORABILE, SED ISTA A REMOTO, ET ILLA DUO A PROPINQUO, ET IDEO NON FUIT PERCEPTUM? ET SIC NOS OMNIA SENTIMUS PER ALIQUOD MEDIUM, SED NON COMPREHENDITUR A NOBIS IN HIIS DUOBUS. IAM ENIM DIXIMUS ETIAM PRIUS QUOD, SI NOS SENTIREMUS TANGIBILIA MEMBRANA MEDIANTE ITA QUOD NON PERCIPEREMUS EAM, TUNC DISPOSITIO NOSTRA ESSET SICUT DISPOSITIO NOSTRA MODO IN AQUA AUT IN AERE; MODO ENIM EXISTIMAMUS TANGERE EA, ET NON EST ILLUD.	423b1
	423b5
	423b10
	423b12

Et cum fuerit concessum hoc quod diximus, quod corpora sicca impossibile est ut tangant se in corporibus humidis nisi inter ea sit aliquod corpus ex illo humido,

querendum est utrum sentire omnia sensibilia fiat eodem modo, scilicet per medium, aut sentire res diversas sit diversum, scilicet quod sentire quasdam non est per medium, ut.

Page 306

existimatur de tactu et gustu, et quasdam per medium et sine tactu, sed a remoto, ut auditus et olfactus et visus; aut non est ita, sed omnia tangibilia sentimus per hoc idem medium per quod sentimus illa tria residua, sed tantum differunt in hoc quod sensibilia in istis tribus comprehenduntur a remoto, et in tactu et gustu a propinquo. Et cum ita sit, non sentimus omnes res nisi per medium extrinsecum, sed istud medium non percipitur a nobis in tactu, quemadmodum si sentiremus tangibilia mediante membrana absque eo quod perciperemus illam membranam esse super nos; quoniam sicut dispositio nostra esset cum hac membrana, per cuius mediationem sentiremus tangibilia absque perceptione illius, sic esset dispositio nostra in sentiendo res mediante aqua aut aere; scilicet, quemadmodum accideret nobis existimare quod nos non sentimus tangibilia nisi tangendo, non mediante illa membrana, cum non percipimus illam esse omnino, sic possibile est hoc accidere nobis in aqua aut aere, scilicet existimare quod nos sentimus res sine mediatione eorum, sed nos in rei veritate nichil tangimus nisi per meditationem eorum.

115. SED TANGIBILE DIFFERT A VISIBILIBUS ET FACIENTIBUS
SONUM. NOS ENIM SENTIMUS ISTA ITA QUOD
MEDIUM AGIT QUOQUO MODO IN NOBIS, ET NOS
IN TANGIBILIBUS NON A MEDIO SED CUM MEDIO,
V.G. ILLE CUI ACCIDIT ICTUS MEDIANTE SCUTO; SCUTUM
ENIM NON EST ILLUD QUOD PERCUSSIT IPSUM

423b12

423b15

Page 307

CUM PERCUTIEBATUR SCUTUM, SED ACCIDIT QUOD PERCUSSIO
AMBORUM FUIT SIMUL.

423b17

Sed licet consequitur ex hoc sermone quod tangibilia non sunt nisi per medium, sicut tres sensus, tamen opinandum est quod actio medii in hoc sensu non est sicut actio medii in illis, sed tangibilia differunt a coloribus et a sonis in hoc quod indigent medio; quia sensibilia in illis tribus primo agunt in medium, deinde medium in nos, tangibilia autem insimul agunt in nos et in medium. Sed debes intelligere hic per SIMUL non quia in eodem tempore patitur medium et sensus a tangibilibus, et in illis duobus temporibus, (existimatur enim quod visus et aer alterantur a colore in eodem instante), sed intendit hic per prioritatem et posterioritatem in illis prioritatem secundum causam, scilicet quia sensibile est causa remota in motione sensus, et medium est causa propinqua. In tactu autem medium et sensus moventur insimul a tangibili, sed medium nichil facit in hoc, sed est aliquod accidens ex necessitate, non quia est necesse in esse sensus sicut medium esse est necessarium in esse aliorum. Et ideo assimilavit passionem nostram a tangibilibus passioni nostre a percussione mediante scuto. Quemadmodum

igitur non debet aliquis dicere quod scutum est necessarium in actione percussione nostre, ita quod scutum sit causa propinqua et percussio est causa remota, ita est de aere cum tangibilibus, scilicet quod non debet aliquis dicere quod illud necesse est in sentire tangibilia, sed dicimus quod insimul patimur nos et scutum ab ictu. Per SIMUL igitur debemus

Page 308

intelligere privationem prioritatis et posterioritatis in causa, non in tempore. Et intendebat per hoc declarare quod istud non est medium quod est necessarium omni sensui in sentiendo; sed medium quod est huiusmodi in hoc sensu est caro, et hoc si dicetur medium, erit secundum accidens. Sic igitur est intelligendus iste locus, non quod Aristoteles dubitavit in hoc et non complevit, neque declaravit modum secundum quem dicitur quod tangibilia non sentiuntur nisi per medium extraneum. Neque etiam Aristoteles in hoc sermone fuit valde oblitus, sicut dicit Themistius et alii. Dicunt enim quod nos, si concesserimus quod tangibilia non comprehenduntur in aqua et aere nisi mediantibus istis, quid possumus dicere in comprehensione qualitatum tangibilium in istis duobus mediis ipsis? Et ego dico quod oblivio fortis non fuit nisi a dicente hunc sermonem, licet sit valde sufficiens secundum quod apparet. Omne enim animal quod innatum est esse in aqua aut in aere non sentit aliquam qualitatem calidi aut frigidi in eis, si fuerint in simplicitate quam debent habere, quia est locus eius naturalis, et locus est similis locato, ut declaratum est in sermonibus universalibus, et iam declaratum est quod sensibile est contrarium ante passionem. Et cum ita sit, animal non sentit calorem aut frigus in aere aut in aqua nisi quando cum eis admiscentur corpora calida aut frigida; illa igitur corpora sunt alia ab aqua et ab aere naturali. Et cum ita sit, illud quod accidit ex hoc, quando sentimus quod aer aut aqua calefactus est aut infrigidatus, illud idem accidit in corporibus

Page 309

que apparent visui esse alia ab aere et aqua, scilicet quod nos non sentimus ea nisi mediante aqua et aere naturali, ut declaratum est ex sermone predicto. Et si aer et aqua continentes animalia haberent qualitatem contrariam, tunc impedirent comprehensionem qualitatum contrariarum ab animalibus. Et propter hoc quod diximus non est opinandum aquam calefieri dum fuerit aqua pura, neque quod aer infrigidatur dum est aer purus, sed hoc accidit propter corpora admixta cum eis calida ut frigida. Et hoc fecit dubitare homines ita quod frigiditas non est accidens inseparabile aque, sicut calor igni. Et ista existimatio accidit quia vulgus consuevit vocare AQUAM dum liquefactio remanet in ea, licet in rei veritate non est aqua pura, sed admixta; ista enim qualitas est magis cognita omnibus suis qualitibus sensibilibus, sicut calor in igne. Et ideo vulgus non absolute vocat IGNEM qui infrigidatus est propter admixtionem corporum frigidorum, et forte vocat IGNEM corpora calida, licet sint humefacta per mixtionem, dum remanent calida calore igneo. Revertamur igitur ad

[line 81 cont.] nostrum, et dicamus:

116. ET UNIVERSALITER VIDETUR QUOD CARO ET LINGUA EST SICUT 423b17
AER ET AQUA IN VISU ET AUDITU ET OLFACTU, ET SIC
EST DISPOSITIO EORUM APUD SENSUM SICUT DISPOSITIO
UNIUSCUIUSQUE ILLORUM DUORUM. SED IPSUM 423b20
SENTIENS CUM TETIGERIT, NON CADIT ILLIC NEQUE HIC
SENSUS, V.G. SI ALIQUIS POSUERIT ALIQUOD CORPUS
ALBUM SUPER VISUM ULTIMUM. DICAMUS IGITUR

Page 310

QUOD MANIFESTUM EST QUOD SENSUS TACTUS EST INTERIUS,
ET SI NON ESSET HOC, CONTINGERET IN EO QUOD CONTINGIT
IN ALIIS, QUOD, CUM PONERETUR SUPER SENTIENS,
NON SENTIRET. CARO AUTEM SENTIT CUM FUERIT 423b25
POSITUM SUPER EAM; UNDE SEQUITUR UT
CARO SIT MEDIUM IN TANGENTE. 423b26

Cum declaravit modum secundum quem dicitur quod aqua
et aer sunt media in tactu, si debeant dici media, reversus
est ad dicendum illud quod est medium in rei veritate
in hoc sensu, scilicet illud quod est impossibile ut sine eo
sentiat iste sensus; et est caro, cuius proportio ad ipsum
est sicut proportio aque et aeris ad alios tres. Et dixit: ET
UNIVERSALITER VIDETUR, etc. Idest, et universaliter opinandum
est quod caro et lingua sunt tactui et gustui sicut aer et
aqua visui et auditui et olfactui. Deinde dixit: ET SIC EST DISPOSITIO
EORUM APUD SENSUM, etc., idest ita quod dispositio carnis et lingue
apud tangens et gustans sit sicut dispositio aque
et aeris apud alios tres sensus. Deinde dixit: SED IPSUM SENTIENS CUM
TETIGERIT, etc. Idest, et in omnibus, cum super ipsum sentiens
fuerit positum sensibile, non sentiet omnino, aut si sentiet,
male, ut accidit cum super visum fuerit positum aliquod
corpus album. Deinde dedit aliam demonstrationem a
predicta quod caro est quasi medium, non quasi instrumentum.
Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD MANIFESTUM EST, etc. Idest, et manifestum
est quod sensus tactus est intra carnem, et quod caro
non est quasi primum instrumentum ei, quoniam, si ita

Page 311

esset, contingeret in eo quod contingit in aliis, scilicet quod, cum
sensibile esset positum super carnem, non sentiretur a virtute
tangibili, quemadmodum color, cum fuerit positus
super visum, non sentietur; modo autem, quia videmus
quod virtus tangibilis non sentit nisi quando tangibile fuerit
positum super carnem, necesse est ut caro sit medium,
non instrumentum. Et hoc quod dixit manifestum
est per se. Quoniam hoc quod tres sensus indigent medio aut est
quia accidit suis sensibilibus quod sunt remota ab eis, aut
quia impossibile est ut recipiant sua sensibilia nisi sint
prius in medio, ut plura videntur contraria, scilicet quod non
transferuntur ad extrema nisi prius transferantur ad
medium. Et si hoc esset propter hoc quod sensibilia sunt
remota, contingeret ut sentirent quando essent posita
super eos; tunc enim non indigerent medio; sed non sentiunt;
ergo non indigent medio nisi propter ipsum sentire.
Et quia hoc accidens non potest attribui uni eorum

essentialiter, cum commune sit eis, remanet igitur ut hoc sit commune eis per naturam communem tribus sensibus. Sed nulla natura communis est causa in hoc accidente nisi hoc quod sunt sensus; ergo indigentia medii ad sensus est eis in hoc quod sensus, non secundum quod quidam sensus. Ergo omnis sensus necessario indiget medio in ipso sentire, non quod medium est istis tribus sensibus tantum, quia sensibilia eorum sunt remota, ut putat Alexander; quoniam, si ita esset, contingeret quod, cum essent posita super eos, ut sentirent. Et hoc quod dixit Alexander contradicendo huic opinioni, scilicet quod, si caro esset quasi

Page 312

medium, contingeret ut sub carne esset aliquod membrum per quod fieret iste sensus, aut unum, si iste sensus esset unus, aut plura, si plures, nichil est. Iam enim apparuit post Aristotelem in tempore eius, scilicet Alexandri, quod in animalibus sunt quedam corpora que dicuntur nervi, et habent introitum in sensum et motum. Quod igitur apparuit Aristoteli ratione manifestatum est post sensu. Et nichil est hoc quod dicunt posteriores Peripatetici, scilicet quod nervi non habent introitum in sensum tactus. Est enim sermo Aristotelis in propinquo potentia, et est etiam sensibilis.

117. TANGIBILIA AUTEM SUNT DIFFERENTIE CORPORIS
SECUNDUM QUOD EST CORPUS. ET DICO differentias
QUIBUS ELEMENTA DETERMINANTUR, SCILICET CALIDUM
ET FRIGIDUM ET HUMIDUM ET SICCU, ET SUNT
ILLE DE QUIBUS LOCUTI FUIMUS APUD SERMONEM
DE ELEMENTIS. ILLUD AUTEM QUOD EST
SENTIENS ET TANGENS, ET IN QUO EST PRIMUS SENSUS
QUI DICITUR TACTUS, EST MEMBRUM QUOD EST
IN POTENTIA TALIS DISPOSITIONIS.

423b26

423b30

423b31

ET TANGIBILIA SUNT DIFFERENTIE CORPORIS SECUNDUM QUOD EST CORPUS. Idest, et tangibilia universaliter sunt differentie existentes in omnibus corporibus, scilicet communes omnibus corporibus generabilibus et corruptibilibus. Deinde dixit: ET DICO DIFFERENTIAS, etc. Idest, et intelligo

Page 313

per DIFFERENTIAS differentias universales a quibus nullum corpus fugit; et sunt prime differentie existentes in quatuor elementis, scilicet calidum et frigidum, humidum et siccum, et que fiunt ex eis, ut asperum et durum et alie differentie tangibiles, et que sunt coniuncte cum eis, ut grave et leve. Deinde dixit: DE QUIBUS PRIUS LOCUTI FUIMUS APUD SERMONEM DE ELEMENTIS, scilicet in libro de Generatione et Corruptione; illic enim declaravit modos tangibilium primos et secundos. Deinde dixit: ILLUD AUTEM QUOD EST SENTIENS, etc. Idest, illud autem quod sentit has differentias est membrum quod est in potentia hee differentie, idest illud quod innatum est perfici per has differentias. Et opinandum est quod hoc est caro aut nervi.

118. SENTIRE ENIM EST ALIQUOD PATI QUOQUO MODO. 424a1
 UNDE NECESSE EST UT ILLUD QUOD AGIT SIBI
 SIMILE IN ACTU NON AGAT NISI ILLUD QUOD EST IN
 POTENTIA. ET IDEO CALIDUM NON SENTIT SIBI SIMILE, NEQUE
 FRIGIDUM NEQUE DURUM NEQUE MOLLE, SED EA QUE
 SUNT INTENSIOIRA. SENSUS ENIM EST QUASI MEDIUM
 INTER CONTRARIETATEM IN SENSIBILIBUS. ET 424a5
 IDEO DISTINGUIT SENSIBILIA; MEDIUM ENIM DISTINGUIT;
 EFFICITUR ENIM APUD UTRUNQUE EQUALITER. 424a7

Cum dixit quod primum sentiens est illud quod est
 in potentia iste differentie, incepit declarare hoc. Et dixit:

Page 314

SENTIRE ENIM, etc. Idest, sentire enim quia est aliqua passio
 secundum modum dictum, et omne patiens habet agens, et
 omne agens agit sibi simile in actu, necesse est ut non
 agat sibi simile in actu nisi ex aliquo quod est sibi simile
 in potentia, non in actu. Deinde dixit: ET IDEO CALIDUM NON SENTIT
 SIBI SIMILE, etc. Idest, et quia agens non agit in eo quod
 est sibi simile in actu, sed in potentia, ideo necesse est ut
 membrum sentiens non sentiat corpus calidum equale
 sibi in calore, neque membrum frigidum corpus frigidum
 sibi equale in frigore, et similiter de duro et molli.
 Deinde dedit causam in hoc. Et dixit: QUONIAM SENSUS EST QUASI
 MEDIUM, etc. Idest, et sensus tactus comprehendit tantum
 intensiora ex rebus tangibilibus, econtrario aliis sensibus
 cum suis sensibilibus, quia sensus tactus invenitur in aliquo
 quod est medium inter contrarietatem aliquam in sensibilibus,
 cum impossibile est ut aliquod corpus denudetur
 a qualitatibus tangibilibus, econtrario aliis qualitatibus
 sensibilibus. Et intelligo quod sensus tactus impossibile
 est ut careat simpliciter calido et frigido et
 sicco et humido, sicut fuit in visu carere colore, et in auditu
 carere sono. Et ideo isti sensus comprehendunt sua sensibilia
 secundum totum; sensus autem tactus comprehendit extrema.
 Deinde dixit: ET IDEO DISTINGUIT SENSIBILIA; MEDIUM ENIM
 DISTINGUIT, etc. Idest, et ideo sensus tactus distinguit et
 comprehendit sensibilia, quia est medium; medium enim
 distinguit quia recipit utrunque extremum et assimilatur
 ei et efficitur cum eo idem.

Page 315

119. ET SICUT OPORTET UT ILLUD QUOD EST 424a7
 INNATUM SENTIRE ALBUM ET NIGRUM SIT NEUTRUM,
 SED UTRUNQUE IN POTENTIA, ET SIC DE ALIIS, ITA IN TACTU
 DEBET ESSE NEQUE CALIDUM NEQUE FRIGIDUM. 424a10

Et quemadmodum oportet ut illud quod innatum
 est sentire album et nigrum sit neutrum, sed utrunque
 in potentia, et sic in unoquoque sensu, sic etiam oportet
 ut tangens sit neque calidum neque frigidum, secundum modum
 qui est possibilis in eo, scilicet ut ista sint in eo secundum medium
 aut prope, cum impossibile est ut denudetur ab eis omnino
 sicut fuit possibile in illis aliis, scilicet ut denudarentur a suis
 sensibilibus. Et debes scire quod illud quod consequitur
 ex hoc in instrumento istius sensus, illud idem consequitur

in medio, et ideo non possumus dicere quod caro est instrumentum
istius virtutis secundum quod est media inter
contraria, sicut existimaverunt plures.

120. ET QUEMADMODUM VISUS EST QUOQUO MODO 424a10
REI VISIBILIS ET NON VISIBILIS, ET SIMILITER DE
ALIIS, SIC EST TACTUS TANGIBILIS
ET NON TANGIBILIS. ET NON TANGIBILE EST ILLUD IN QUO EST DE
DISPOSITIONE TANGIBILIIUM ALIQUID VALDE MODICUM,
SICUT AER, AUT VALDE INTENSUM, SICUT CORRUMPENTIA. 424a15
[lines 7-8 ommitted]

Cum notificavit naturam sensus tactus, et naturam rerum
tangibilium, et quomodo fit tactus, et per quot, reversus

Page 316
est ad dicendum aliquod commune omnibus sensibus.
[line 12 ommitted]
Et dixit: ET QUEMADMODUM
VISUS, etc. Idest, et quemadmodum visus comprehendit
visibile et non visibile quoquo modo, et similiter
alii sensus comprehendunt privationes suorum
priorum sensibilium, ita sensus tactus comprehendit
tangibile et non tangibile. Et dixit QUOQUO MODO quia
non eodem modo comprehendit habitum et privationem;
comprehendunt enim alterum duorum oppositorum essentialiter et
[line 20 cont.] alterum accidentaliter. Deinde posuit secundum quot modos
[line 20 cont.] dicitur non tangibile.
Et dixit: ET NON TANGIBILE EST ILLUD IN QUO EST, etc.
Idest, et non tangibile dicitur duobus modis, quorum
unus est illud in quo existit de qualitatibus valde modicum,
sicut est de aere continente nos, et alter est
illud in quo existit de qualitatibus tangibilibus valde
intensum et corrumpens sensum, ut ignis et glacies.

ii.12
121. IN UNOQUOQUE IGITUR SENSUUM DICTUM EST SECUNDUM DESCRIPTIONEM. 424a15
[line 1 cont.] ET DICENDUM EST UNIVERSALITER DE OMNI SENSU 424a17
QUOD SENSUS EST RECIPIENS FORMAS SENSIBILIIUM
SINE MATERIA, V.G. QUOD CERA RECIPIT FORMAM ANULI
SINE FERRO UT AURO, ET RECIPIT SIGNUM 424a20
QUOD EST EX CUPRO AUT EX AURO, SED NON SECUNDUM
QUOD EST CUPRUM AUT AURUM. ET SIMILITER
UNUSQUISQUE SENSUUM PATITUR AB HABENTE
COLOREM AUT SAPOREM AUT SONUM, SED HOC NON

Page 317
SECUNDUM QUOD DICITUR UNUSQUISQUE EORUM, SED SECUNDUM QUOD EST
IN HAC DISPOSITIONE, ET IN INTENTIONE. 424a24

Intendit per SECUNDUM DESCRIPTIONEM idest universaliter; in libro
enim de Sensu et Sensato loquitur de istis particulariter.
Et dixit: ET DICENDUM EST DE OMNI SENSU, etc. Idest,
et opinandum est quod receptio formarum sensibilium ab
unoquoque sensu est receptio abstracta a materia. Si
enim reciperet eas cum materia, tunc idem esse haberent
in anima et extra animam. Et ideo in anima sunt intentiones
et comprehensiones, et extra animam non sunt

neque intentiones neque comprehensiones, sed res materiales non comprehense omnino. Deinde dixit: V.G. QUOD CERA RECIPIT, etc. Idest, et ista receptio que est in sensibus abstracta a materia similis est receptioni cere ad figuram anuli; recipit enim eam sine materia, cum eodem modo recipit eam sive fuerit ferri sive auri sive cupri. Deinde dixit: ET SIMILITER UNUSQUISQUE SENSUUM PATITUR, etc. Idest, et secundum hunc modum patitur unusquisque sensuum ab eis a quibus naturaliter innati sunt pati, sive colore sive sono, sed non patitur ab eo secundum quod est color aut sonus; quoniam, si ita esset, contingeret quod, cum reciperet ipsum, esset color aut sonus, non intentio. Et hoc intendebat cum dixit: SED HOC NON, etc., idest non secundum quod [line 30 cont.] dicitur unusquisque, sed secundum quod est intentio; intentio enim coloris alia est a colore. Et dixit SECUNDUM QUOD EST IN HAC DISPOSITIONE, ET IN INTENTIONE observando se ab intentionibus quas recipit intellectus; ille enim sunt universales, iste vero tantum sunt iste.

Page 318

122. ET IN QUO EST ISTA POTENTIA EST PRIMUM SENTIENS. 424a24
SUNT IGITUR IDEM, IN ESSE AUTEM DIVERSA. 424a25
ILLUD ENIM QUOD SENTIT EST ALIQUA MAGNITUDO,
ET NON SECUNDUM QUOD SENTIT; NEQUE SENSUS EST MAGNITUDO,
SED INTENTIO ET VIRTUS ILLIUS. 424a28

Et quod recipit istam virtutem que est intentio abstracta a materia est primum sentiens. Et cum receperit eam, efficientur idem, sed in numero differunt. Illud enim quod sentit est aliquod corpus, et non sentit quod est corpus; neque sensus est corpus, sed intentio et potentia illius corporis quod est primum sentiens.

123. ET MANIFESTA EST EX HOC CAUSA PROPTER QUAM 424a28
SENSIBILIA INTENSA CORRUMPUNT INSTRUMENTA
SENSUUM QUE SIT ETIAM; QUONIAM, QUANDO MOTUS SENTIENTIS 424a30
FUERIT FORTIOR EO, DISSOLVETUR SUA
INTENTIO (ET HOC ERIT SENSUS), SICUT DISSOLVITUR
CONSONANTIA CORDARUM ET NEUMATA, CUM
TANGUNTUR FORTITER. 424a32

Et ex hoc quod diximus, quod sensus est intentio, declarabitur causa propter quam sensibilia intensa corrumpunt instrumenta sensuum; quoniam, quando motus sentientis a sensibili fuerit fortior quam sentiens possit tolerare, dissolvetur illa intentio per quam sentiens est sentiens, et remanebit corpus sine illa intentione que est sensus, sicut dissolvitur consonantia cordarum et neumata,

Page 319

que sunt intentio existens in eis,
quando fortiter tanguntur et movebuntur motu fortiori
quam motu quem possunt tolerare.

124. ET CAUSA PROPTER QUAM VEGETABILIA NON SENTIUNT, 424a32
ET IN EIS EST ALIQUA PARS ANIMATA, ET RECIPIT
PASSIONEM A TANGIBILIBUS, QUIA CALEFIT ET

INFRIGIDATUR; CAUSA ENIM IN HOC EST QUIA NON
HABET MEDIUM, NEQUE PRINCIPIUM PER QUOD
POTEST RECIPERE FORMAS SENSIBILIVM.

424b1

424b2

Laborat in hoc sermone ad dandam causam propter
quam vegetabilia non habent sensum tactus, licet
habeant animam nutritivam, et etiam patiuntur a tangibilibus
et calefiunt et infrigidantur. Et intendit per ALIQUAM
PARTEM ANIMATAM animam nutritivam. Et dixit:
CAUSA ENIM IN HOC EST QUIA NON HABENT MEDIUM, etc. Idest,
causa enim in hoc nichil aliud est nisi quod vegetabilia
non habent medium, quasi carnem, neque tale principium
per quod animalia possunt recipere formas sensibilium.
Et cum declaravit quod a tangibilibus patitur aliquid quod
non comprehendit ea, incepit narrare quod econtra
est de aliis sensibilibus sensuum.

125. SED NON PATITUR AB ODORIBUS QUOD NON POTEST
OLFACERE, NEQUE A COLORIBUS QUOD NON POTEST
VIDERE, ET SIC DE ALIIS. SI IGITUR OLFACTUM EST
ODOR, CONTINGIT UT OMNIS RES QUE FACIT OLFACERE
FACIT PER ODOREM. UNDE NECESSE EST QUOD.

424b3

424b5

Page 320

NICHIL EX EIS QUE NON POSSUNT OLFACERE PATIATUR
AB ODORE; ET ISTE EST SERMO DE ALIIS; NEQUE ETIAM
ALIQUID EX EIS QUE POSSUNT, NISI SECUNDUM QUOD
QUODLIBET EORUM EST SENTIENS.

424b9

Et licet aliquid quod non est innatum tangere
patiatur a tangibilibus, tamen non patitur ab odoribus
passione propria odoribus, idest secundum quod est odor, nisi illud
quod potest olfacere; neque patitur a coloribus passione
propria colori secundum quod est color nisi illud quod potest videre;
neque a sono nisi illud quod potest audire. Deinde dixit: ET SIC
DE ALIIS. Et hoc facit existimare quod sapor est huius dispositionis.
Sed ipse dicet post quod quiddam patitur a sapore
quod non est innatum sentire ipsum. Et forte fecit hoc
quia est locus dubitationis. Deinde dixit: SI IGITUR OLFACTUM,
etc. Idest, si igitur natura olfactibilis, que non existit nisi
in olfaciente, sit odor ipse, non intentio comparativa que
contingit odori, manifestum est quod odor facit olfacere
omne olfactum; et omne in quo odor agit secundum quod est olfactus
est olfaciens; quoniam, si esse odoris non est nisi secundum quod
est olfactus, et olfactum non invenitur nisi in olfaciente,
manifestum est quod omne quod patitur ab odore est olfaciens.
Deinde dixit: UNDE NECESSE EST, etc. Idest, si igitur omne olfaciens
patitur ab odore, et omne quod patitur ab odore est olfaciens,
contingit secundum conversionem oppositi ut quod
non est olfaciens non patiatur ab odore. Et ipse non propalavit
in hoc sermone nisi postremum consequens, et primum
principium ex quo consequencebatur, scilicet quod, si odor
est relativus, idest olfactus, necesse est ut olfactum sit
olfacientis. Et non propalavit propositionem dicentem quod
omne quod patitur ab odore est olfaciens, neque propalavit

Page 321

conversionem sui oppositi. Et quasi opinatur quod tactus est aliquod contingens rebus contrariis tangibilibus; et non opinatur quod olfactibile est aliquod contingens odori, neque visibile colori, sed opinatur quod olfactum est quasi ipse odor, et visibile ipse color, et audibile ipse sonus. Et ideo fuit necesse apud ipsum ut omne quod patitur ab odore sit olfaciens, et a colore videns, et a sono audiens; et non fuit necesse ut omne quod patitur a tangibili sit tangens. Et hoc indiget magna inquisitione. Ipse enim quasi opinatur quod sensuum quidam sunt in capitulo relationis, et quidam sunt in capitulo actionis et passionis per se et accidit eis relatio.

126. ET CUM HOC, MANIFESTUM EST ETIAM HOC MODO. NEQUE ENIM LUX NEQUE OBSCURITAS NEQUE SONUS NEQUE ODOR AGUNT ALIQUID IN CORPORIBUS, SED EA IN QUIBUS SUNT ISTA, V.G. QUOD AER, IN QUO EST TONITRUM, FINDIT LIGNUM. SED TANGIBILIA ET SAPORES AGUNT; QUONIAM, SI NON AGUNT, A QUIBUS IGITUR PATIUNTUR ET ALTERANTUR CORPORA NON ANIMATA? +EX ILLO ETIAM PATIUNTUR+ (text problem)

424b9
424b10

424b14

Et cum hoc quod in sermone predicto, per quem declaravimus hoc de sensibilibus, manifestum est, manifestum est per se. Apparet [line 10 cont.] enim quod neque lux neque obscuritas neque sonus neque odor agunt aliquid

Page 322

in corporibus, sed non agunt nisi in rebus in quibus sunt isti sensus. Deinde dixit; V.G. QUOD AER, IN QUO EST TONITRUM, FINDIT LIGNUM. Sed sonus qui est tonitruum non est ipse motus quem lignum recipit a motu aeris, sed sonus est intentio que non invenitur nisi in audiente, et quasi est in capitulo ad aliquid, non qualitatis, Et similiter odor apud ipsum est, secundum quod exposuimus. Deinde dixit: SED TANGIBILIA ET SAPORES, etc. Idest, sed tangibilia et saporis magis sunt in capitulo de agere et pati quam in capitulo relationis; quoniam, si ab eis non patitur nisi quod habet sensum gustus et tactus, a quo igitur patientur alia corpora non animata? Continget enim agere et pati non esse, quod est impossibile. Et hoc quod dixit in tangibilibus est manifestum, sed in saporibus indiget consideratione. Potest enim aliquis dicere quod sapor est ipsum gustabile, sicut odor est ipsum olfactum. Sed videmus, ut dicit Plato, quod saporis habent in corporibus non animatis passiones diversas additas calefactioni et infrigitationi, v.g. exasperare, quod est pontici, et lenificare, quod est unctuosum, et alia multa que sunt dicta in Thimeo, que Galienus laborat exponere. Iste igitur actiones utrum sint saporis, aut sint de sapore quasi motus aeris de sono, indiget consideratione. Sed accepit hic quod sapor est modus tangibilis, cum sit similis ei.

127. DICAMUS IGITUR QUOD NON OMNE CORPUS EST INNATUM PATI A SONO ET AB ODORE, ET QUOD PATITUR NON EST DETERMINATUM NEQUE PERMANENS,

424b14
424b15

Page 323

V.G. AER; EST ENIM VENTUS, ET PROPTER HOC PATITUR.
QUE EST IGITUR DIFFERENTIA INTER OLFACERE ET PATI?
DICAMUS IGITUR QUOD OLFACERE EST SENTIRE; CUM AUTEM
AER PATITUR, VELOCITER FIT SENSATUS.

424b18

Cum declaravit quod non patitur ab aliquo trium sensibilium nisi sensus propii eis, incepit dare differentiam inter passionem corporum mediorum ab eis et inter passionem rerum a tangibilibus. Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD NON OMNE CORPUS, etc. Idest, et si aliquis finxerit quod corpora patiuntur a sono et ab odore, et dederit rationem super hoc de passione aeris at aque ab eis, dicemus ei quod non omne corpus est innatum pati a sono et ab odore. Non enim patitur ab eis ex corporibus nisi illud quod est non determinatum in se, idest non habens figuram neque propriam constitutionem, v.g. aer; aer enim non patitur ab eis nisi quia est ventus, et ventus est corpus non determinatum neque fixum; corpora autem que patiuntur a tangibilibus sunt determinata et fixa. Deinde dixit: QUE IGITUR EST DIFFERENTIA INTER OLFACERE ET PATI? Idest, si igitur aliquis quesiverit et dixerit: Cum olfacere sit passio, et receptio odoris a medio sit passio etiam, que igitur est differentia inter utranque passionem?, dicemus ei quod, cum aer patiatur velociter a sensibili, efficitur per hanc passionem sensatum illi sensui; sensus autem fit per hanc passionem sentiens, non sensibile.

iii.1

128. QUONIAM AUTEM NON EST ALIUS SENSUS PRETER
ISTOS QUINQUE, SCILICET VISUS ET AUDITUS ET OLFACUS
ET GUSTUS ET TACTUS, EX ISTIS CREDITUR. QUONIAM,

424b22

Page 324

SI OMNE QUOD TACTUS POTEST SENTIRE POSSUMUS
MODO SENTIRE (QUONIAM PASSIONES TANGIBILIS, SECUNDUM
QUOD EST TANGIBILE, OMNES SUNT SENSIBILES
A NOBIS PER TACTUM), ET NECESSE EST, SI NOBIS DEFICIAT
ALIQUIS SENSUS, UT DEFICIAT NOBIS
ALITUOD SENTIENS.

424b25

424b27

Cum complevit sermonem de unoquoque sensuum quinque existentium in animali perfecto, incepit declarare quod impossibile est invenire animal habens sextum sensum. Et dixit: QUONIAM AUTEM NON EST ALIUS SENSUS, etc. Idest, quoniam autem impossibile est invenire animal habens sextum sensum, preter istos sensus existentes in homine et in animali perfecto, ex istis demonstrationibus creditur. Deinde incepit declarare hoc. Et dixit: QUONIAM, SI OMNE QUOD TACTUS, etc. Idest, quoniam, quia manifestum est quod omne quod sensus tactus potest comprehendere ex sensibilibus nos possumus comprehendere, et nichil deficit nobis ex eis que innata sunt comprehendi ab hoc sensu; et similiter de unoquoque sensu, scilicet quod non deficit nobis in aliquo animali habente istum sensum aliquod sensibilium que innata sunt comprehendi ab eo, ita quod nullus potest dicere quod potest inveniri aliquis tactus in animali qui comprehendit

tangibile quod nos non possumus comprehendere
(manifestum est enim per se quod omnes qualitates
tangibiles, secundum quod sunt tangibiles, sunt sensibiles a nobis
et comprehense per tactum; et similiter est de qualitatibus
visibilibus et audibilibus et olfactibilibus); et
cum posuit hunc sermonem quasi antecedens, induxit consequens.

Page 325

Et dixit: ET NECESSE EST, SI DEFICIT A NOBIS ALIQUIS
SENSUS, etc. Idest, et cum posuerimus quod isti quinque sensus non
deficiunt nobis, neque in animali in quo invenitur aliquid
eorum que innata sunt comprehendi ab istis sensibus
secundum quod sunt isti sensus, necesse est, si deficit in nobis aliquis
sensus, ut deficiat in nobis aliquod sentiens, cum iam
posuimus quod istis sensibus non deficit in nobis sentire
aliquid eorum que innata sunt sentiri. Et cum ita sit,
ille sensus quem ponimus deficere, cum non deficit propter
aliquem sensuum existentium in nobis, necesse est, si defectus
eius sit, ut sit propter hoc quia a nobis deficit sensus sextus.

129. ET OMNE QUOD SENTIMUS NOS TANGENDO	424b27
IPSUM EST SENSIBILE A NOBIS PER TACTUM QUI EST	
IN NOBIS; ET OMNE QUOD SENTIMUS PER MEDIA,	
NON QUIA NOS TANGIMUS IPSUM, EST PER SIMPLICIA,	424b30
V.G. PER AEREM AUT PER AQUAM. ET ITA EST, SCILICET	
QUOD, SI PER UNUM FIUNT SENSIBILIA PLURA UNO QUE	
DIFFERUNT ABINVICEM IN GENERE, NECESSE EST UT HABENS	
ISTUM SENSUM QUOD SENTIAT UTRUNQUE, V.G.	
QUOD SI SENTIENS EST EX AERE, ET AER EST SONI ET COLORIS	
ET SI PER PLURA UNO FIT UNUM, V.G	425a1
COLOR PER AEREM ET AQUAM (SUNT ENIM EQUALES),	
MANIFESTUM EST QUOD HABENS UNUM TANTUM	
SENTIT QUOD SENTIT PER UTRUNQUE.	425a3

Cum declaravit quod, si deficit in nobis aliquis sensus,
necesse est ut deficiat in nobis aliquod sentiens, et etiam fuit

Page 326

manifestum ex hoc quod, si deficit in nobis aliquod sentiens,
necesse est ut deficiat in nobis aliquis sensus qui differat
in genere a sensibus istarum virtutum, cum istis virtutibus
non deficit sentire aliquid ex eis que innata
sunt inveniri in eis, et patet quod hec due convertuntur, scilicet
quorum utrumlibet fuerit, erit alterum, et si unum auferatur,
auferetur et reliquum, incepit declarare quod impossibile
est sextam virtutem esse, quia impossibile est ut sit
sentire extrinsecum in genere ab istis sensoribus. Et
hoc declaratur tribus demonstrationibus, quarum prima
est accepta a mediis, et secunda ab instrumentis quibus
fit sentire; et causa data in istis duabus demonstrationibus
est quasi materialis; tertia autem est accepta
a sensibilibus ipsis, et est magis firma illis duabus, cum
causa accepta in ea est finalis. Et incepit a demonstratione
que est accepta a medio, sed tacuit quasdam propositiones,
et conclusionem. Et ista demonstratio fundatur
super propositiones, quarum una est quod omne quod
sentit animal, aut sentit ipsum per contactum, aut mediante

corpore extraneo. Et omne quod sentimus per contactum, aut sentimus ipsum mediante carne, aut per ipsam carnem, si posita fuerit instrumentum. Et hoc intendebat cum dixit: ET OMNE QUOD SENTIMUS, etc. Et omne quod sentimus non per contactum sed mediante corpore extraneo, sentimus ipsum mediante altero istorum duorum elementorum, aut utroque, scilicet aqua aut aere. Et hoc intendebat cum dixit: ET OMNE

Page 327

QUOD SENTIMUS PER MEDIA, etc. Et cum ita sit sicut diximus, manifestum est quod necessario sequitur ex hoc ut omne habens sensum per carnem, aut per alterum istorum duorum elementorum, aut per utrunque, non invenitur ei de sensu nisi illud quod potest fieri per hec duo, scilicet per carnem aut per medium. Omne igitur animal non habet de sensibus nisi qui possunt fieri per hec duo, scilicet per carnem aut per medium extraneum. Et cum declaravit quod omne animal necesse est ut non sentiat nisi per carnem aut per media, incepit declarare quod sequitur ex hoc quod omne animal habens aliquod medium ex istis mediis necesse est ut habeat de sensibilibus sensibilia quibus servit illud medium et reddit ea, non aliud. Et dixit: ET ITA EST, SCILICET QUOD, SI PER UNUM, etc. Idest, manifestum est quod, cum posuerimus quod omne animal non sentit nisi per medium quod est caro aut aer aut aqua, si per unum istorum mediorum caderent sensibilia plura uno in genere, necesse est ut omne animal sentiens per illud medium non habeat de sensibilibus nisi ea que innata sunt reddi ab illo medio, si duo, duo, si tria, tria. Et intendebat per hoc quod, cum media sint determinata in numero, scilicet aut caro aut aer aut aqua, et sensibilia etiam que reddunt ista media sunt determinata in numero, necesse est ut virtutes sint secundum numerum istorum sensibilibum que reddunt media animalibus que innata sunt sentire per hec media. Et manifestum est quod omne quod redditur per carnem est aut tangibile aut gustabile. Et omne quod redditur per aerem aut aquam aut per utrunque est aut sonus aut color

Page 328

aut odor. Omne igitur sentire est aut gustare aut tangere aut audire aut videre aut olfacere. Deinde dixit: ET SI PER PLURA UNO FIT IDEM, etc. Idest, et si per plura uno medio fit unum sensibile, ut color per aerem aut aquam, que sunt equales in hoc, manifestum est quod animal habens alterum eorum sentit de sensibilibus sicut quod habet utrunque. Et intendebat per hoc quod animal quod est in aqua debet habere virtutes sensus secundum numerum virtutum sensus animalis quod est in aere, et animalis quod sentit in aqua et in aere.

130. ET SENSUS EX SIMPLICIBUS SUNT EX AERE AUT
EX AQUA. VISUS ENIM EST EX AQUA, ET AUDITUS EX
AERE, ET OLFACUS EX ALTERO ISTORUM DUORUM.
IGNIS AUTEM AUT EST COMMUNIS
EIS, QUONIAM NULLUM SENTIENS EST EXTRA CALOREM.
ET TERRA AUT NON EST ULLIUS EORUM, AUT PROPRIE
EST ADMIXTA CUM TACTU. REMANET IGITUR QUOD
NON EST SENSUS EXTRA AQUAM ET AEREM.

425a3

425a5

425a8

Hec est demonstratio accepta ex instrumentis sensuum.
Et dixit: ET SENSUS EX SIMPLICIBUS, etc. Idest, et instrumenta sensuum, que propter suam compositionem et naturam attribuuntur elementis secundum dominium, sunt tria tantum, scilicet instrumentum quod est ex aere, scilicet auditus, ut declaratum fuit prius, et instrumentum quod est ex aqua, scilicet visus, et tertium est quod fit ex utroque, scilicet olfactus. Et dixit in hoc sensu quod fit ex altero istorum duorum, scilicet aut aqua aut aere, quia animalia que sunt in aqua olfaciunt per aquam

Page 329

sicut olfaciunt animalia que sunt in aere per aerem.
Deinde dixit: IGNIS AUTEM, etc. Idest, igni autem ut non attribuitur aliquis sensus hoc modo, aut attribuitur communiter; apparet enim quod nullus sensus potest facere suam actionem cum infrigidatur. Et hoc diminute demonstratur per hanc particulam [line 22 cont.] AUT, que notat iterationem. Et dixit hoc quia respectus eius ad aliquid preter ignem est sicut proportio alicuius ad materiam, et proportio eius ad ignem est sicut proportio alicuius ad suam formam. Deinde dixit: ET TERRA AUT NON EST ALICUIUS, etc. Idest, et terra aut non attribuitur alicui instrumento instrumentorum istorum sensuum, cum non videtur servire sensibilibus aliquo modo, aut si attribuitur, attribuitur carni, quia istud medium, aut istud instrumentum, indiget constitutione et confirmatione; quapropter terra dominatur in eo. Deinde dixit: REMANET ERGO, etc. Idest, remanet [line 32 cont.] igitur quod non est sensus sextus extrinsecus ab aqua et aere, cum non sit corpus extrinsecum ab istis duobus corporibus; quia impossibile est invenire instrumentum sensus ex igne aut ex terra, sed tantum possibile est ex aqua aut ex aere aut ex utroque. Et cum materie instrumentorum sensuum sint terminate in numero, necesse est ut sensus sint ita. Si igitur esset sensus sextus, contingeret quintum elementum esse; sensus enim qui sunt ex aere aut ex aqua sunt aut visus aut auris aut nasus.

Page 330

131. ET HEC DUO SUNT MODO IN QUIBUSDAM ANIMALIBUS,	425a8
ITA QUOD OMNES SENSUS SUNT DISTINCTI IN EIS QUE	
SUNT NON DIMINUTA NEQUE HABENT OCCASIONEM.	425a10
TALPA ENIM VIDETUR HABERE OCULOS SUB CUTE.	425a11

Et sensus attributi hiis duobus elementis non inveniuntur nisi in quibusdam animalibus, scilicet perfectis propter melius, adeo quod, propter sollicitudinem Nature circa hoc, oportet ut omnes sensus sint distincti existentes in animali perfecte creationis quod non habet occasionem, et quod ab animali perfecto, ut homine, non deficiat sensus. Talpa enim videtur habere oculos sub cute, licet non videat. Et quasi intendit per hoc quod, si sensus sextus esset, oporteret ut inveniretur in homine, qui est completissimum animalium; esset enim necessario propter melius. Et hoc manifestum est de sollicitudine Nature in dando sensus animalibus, adeo quod propter hoc dedit talpe

oculos et cooperuit eos cute, cum non indigeat eis in maiori parte sue operationis, cum hoc quod materia eius non posset plus recipere; et si posset, forte esset superfluum.

132. OPORTET IGITUR, SI NON EST ALIUD CORPUS, AUT 425a11
PASSIO QUE NON EST ALICUIUS CORPORUM QUE
SUNT APUD NOS, UT NON DEFICIAT ALIQUIS SENSUS. 425a13

Hec est tertia demonstratio. Et deficit antecedens;
et sillogismus sic componitur perfecte: Si sextus sensus
sit, necesse est corpus sensibile esse aliud ab omnibus
corporibus sensibilibus que sentiunt isti quinque sensus, et

Page 331

passionem esse et qualitatem quam sentiens recipiat
a sensibilibus, ut qualificetur per eam, aliam ab istis qualitatibus
et passionibus; sed nullum corpus sensibile est aliud ab istis
corporibus sensibilibus, neque passio extra istas passiones neque
qualitas; ergo nullus sensus est extra hos quinque sensus.

133. ET ETIAM IMPOSSIBILE EST UT ALIQUOD SENTIENS SIT COMMUNIBUS 425a14
QUE SENTIMUS, NISI PER UNUMQUENQUE SENSUUM 425a15
ACCIDENTALITER, V.G. MOTUI ET QUIETI ET FIGURE
ET QUANTITATI ET NUMERO ET UNI. OMNIA ENIM ISTA SENTIUNTUR
PER MOTUM, V.G. QUANTITAS PER MOTUM; QUAPROPTER
FIGURA ETIAM; FIGURA ENIM EST ALIQUA QUANTITAS;
QUIES AUTEM PER NON MOTUM; NUMERUS
VERO PER NEGATIONEM CONTINUI ET PER EIUS PROPRIETATES;
UNUSQUISQUE ENIM SENSUUM SENTIT UNUM. 425a20

Et etiam impossibile est aliud sentiens esse a quinque sensibus,
ita quod sensibile eius sit aliquod unum sensibile
communi, sub quibus sunt sensibilia propria unicuique sensuum
quinque, nisi sensibilia communia essent unicuique sensuum
accidentaliter. Et dixit hoc quia, si essent eis accidentaliter,
contingeret ut essent alicui sensui essentialiter; quod
enim invenitur alicui accidentaliter debet inveniri alii essentialiter.
Deinde dixit: V.G. MOTUI, etc. Idest, et sensibilia communia non
sunt comprehensa a quinque sensibus accidentaliter, v.g.
motus et quies et figura et quantitas et numerus;

Page 332

omnia enim ista sentiuntur a quinque sensibus per aliquam motionem
et passionem; et quod est ita necesse est ut sit essentialiter.
Deinde dixit: V.G. QUANTITAS, etc. Idest, v.g. quantitas; sensus enim innati
sunt comprehendere eam per aliquam passionem et motum; et
similiter est de figura; figura enim est quantitas cum aliqua qualitate.
Deinde dixit: QUIES AUTEM PER NON MOTUM, etc. Idest, comprehensio autem
quietis est per comprehensionem privationis motus; cum enim
comprehenderit motum essentialiter, comprehendet
privationem eius essentialiter, scilicet quietem. Comprehensio
vero numeri et multitudinis a sensibus est per comprehensionem
privationis continui quod est magnitudo; et iam
declaratum est quod continuum comprehenditur essentialiter;
ergo et sua privatio comprehenditur essentialiter.

134. MANIFESTUM EST IGITUR QUOD IMPOSSIBILE EST UT 425a20

SENSUS INSTRUMENTUM SIT PROPRIUM ALICUI ISTORUM,
V.G. MOTUI. ESSET ENIM SICUT NOS MODO SENTIMUS
DULCE PER VISUM; ET HOC FUIT QUIA EST IN NOBIS SENSUS
IN QUO EST UTRUNQUE, QUI, CUM SINT AMBO CONIUNCTA,
SCIT EA; ET SI NON ESSET ITA, NON SENTIREMUS
IPSUM NISI ACCIDENTALITER; V.G. FILIUS SOCRATIS;
NOS ENIM NON SENTIMUS FILIUM SOCRATIS, SED ALBUM, ET
CONTINGIT HUIC QUOD FUIT FILIUS SOCRATIS. REBUS AUTEM COMMUNIBUS
HABEMUS SENSUM COMMUNEM NON ACCIDENTALITER; NON
IGITUR HABENT SENSUM PROPRIUM. ET NISI HOC ESSET,
NON SENTIREMUS EA OMNINO, NISI SIC SICUT DIXIMUS

425a25

Page 333

QUOD NOS VIDEMUS FILIUM SOCRATIS. ET SENSUS QUIDAM
NON SENTIT SENSIBILIA QUORUNDAM NISI ACCIDENTALITER.
ET NON EST UNIUS CUM SENSUS FUERINT
INSIMUL IN EODEM; V.G.: COLERA EST; EST ENIM AMARA
ET CITRINA. IUDICIUM ENIM QUOD UTRUNQUE EST EIUSDEM
NON EST ALTERIUS. ET IDEO CADIT ERROR ETIAM, ITA QUOD
CITRINUM EXISTIMATUR ESSE COLERA.

425a30

425b1

425b4

Et cum declaratum est quod communia sensibilia comprehenduntur
a quinque sensibus essentialiter, manifestum est quod
impossibile est sensum proprium esse alicuius istorum sensibilium
communium, v.g. motus, aut quantitatis; quoniam, si ita esset,
tunc sentiremus motum, aut sibi simile de sensibilibus
communibus, non per se, sed per medium, sicut comprehendimus
per visum hoc esse dulce mediante colore. Deinde dixit: ET HOC EST
QUIA EST NOBIS SENSUS, etc. Idest, et accidit nobis talis comprehensio,
scilicet iudicare per aliquem sensum super sensibile alterius
sensus, quia contingit quod illi duo sensus fuerint coniuncti in
comprehendendo illa duo sensibilia ex eodem in aliquo tempore.
Et cum post acciderit ut comprehendamus per
alterum duorum sensuum alterum sensibile ex eadem re, iudicabimus
per illum sensum super sensibile alterius per
coniunctionem precedentem, v.g. quoniam nos non scimus per
visum quod hoc est dulce, nisi prius acciderit nobis in aliquo
tempore quod comprehendimus per visum quod mel est
citrinum, et per gustum esse dulce. Cum igitur secundo sentiemus
ipsum per solum visum esse citrinum, statim comprehendemus
ipsum esse dulce, et mel. Deinde dixit: ET SI NON ESSET ITA, NON SENTIREMUS,
[line 39 cont.] etc. Idest,
et si non esset concessum a nobis quod, si unumquodque istorum

Page 334

sensibilium communium haberet sensum proprium, contingeret ut sentire
ea esset sicut sentire per visum quod hoc est dulce, necesse
esset ut sentire ea esset de genere sensus qui proprie dicitur
ACCIDENTALITER, v.g. sentire per visum quod iste est filius Socratis,
quia sentiremus ipsum esse album, et quia accidit quod filius Socratis
fuit albus. Deinde dixit: COMMUNIA AUTEM HABENT SENSUM COMMUNEM, etc.
Idest, et cum declaratum est quod, si aliquod sensibile commune
haberet sensum proprium, tunc sentiretur a nobis accidentaliter
(quemadmodum sentimus per visum istum esse filium
Socratis, quia est albus, aut quemadmodum iudicamus hoc
esse dulce, quia est citrinum; hec enim duo sunt duo modi
accidentaliter), et iam declaratum est quod sensibilia communia

comprehenduntur essentialiter, ergo nullum sensibilibus communium habet sensum proprium, sed communem. Quoniam, si haberet sensum proprium. tunc sentiretur aut sicut sentimus per visum istum esse filium Socratis quia est albus, aut sicut quidam sensus sentit sensibile proprium cuiusdam. Et iste modus etiam est accidentalis, sed differt a primo modo, qui simpliciter dicitur accidentalis (et est comprehendere per visum istum esse filium Socratis), licet uterque numeratus sit accidentalis. Differunt scilicet in hoc: quia comprehendere per visum hoc esse dulce fuit quia cum visu fuit coniuncta in eadem re virtus unius generis cum virtute visus, scilicet sensus gustus; iudicare autem per visum istum esse filium Socratis accidit quia in aliquo tempore fuit coniuncta cum visu alia virtus a virtute sensus; virtus enim qua comprehendimus istum esse Socratem aut filium Socratis est superior ad virtutem sensus. Et ideo iste modus videtur magis accidentalis

Page 335

quam secundus, unde simpliciter dixit ipsum esse accidentalem, et non secundum. Deinde dixit: ET NON EST UNIUS, etc. Idest, et iudicium non est unius virtutis illarum quando duo sensus fuerint coniuncti ad iudicandum super eandem rem esse eandem, sed illud iudicium est utriusque sensus, non alterius sensus ab eis, sicut existimare potest aliquis; sed si dicatur unius ex hoc modo, dicetur accidentaliter. Deinde dixit: V.G.: COLERA, etc. Idest, v.g. hoc esse coleram, quia est amarum citrinum. Iudicare enim quod hec duo sunt eiusdem, scilicet colere, non est alterius virtutis ab hiis duabus. Et quia iudicium super hanc rem esse unam est duarum virtutum, non unius, accidit ei error in iudicando aliquam non coleram esse coleram, quia citrinum.

135. ET DEBET HOMO PERSCRUTARI QUARE HABEMUS
SENSUS PLURES UNO, ET NON UNUM TANTUM. DICAMUS
IGITUR: UT NON IGNOREMUS CONSEQUENTIA COMMUNIA,
UT MOTUM ET QUANTITATEM ET NUMERUM.
QUONIAM, SI NON HABEREMUS NISI VISUM SOLUM, TUNC
IPSE VISUS ESSET MAGIS DIGNUS UT IGNORARET ALBUM,
ADEO UT EXISTIMARET HOC ESSE OMNIA; COLOR
ENIM ET QUANTITAS CONSEQUUNTUR ADINVICEM INSIMUL.
MODO AUTEM, QUIA COMMUNIA SUNT SENSIBILIA AB ALIO,
MANIFESTATUR QUOD QUODLIBET EORUM EST ALIUD.

425b4

425b5

425b10

425b11

Vult dare causam propter quam hec sensibilia communia non comprehenduntur ab uno sensu. Et dixit: ET DEBET HOMO PERSCRUTARI, etc. Idest, et querendum est quare hec sensibilia communia comprehenduntur a pluribus sensibus uno,

Page 336

et non comprehenduntur tantum ab uno. Dende dedit responsionem.
[line 15 cont.] Et dixit:
DICAMUS IGITUR: UT NON IGNOREMUS, etc. Idest, ut non ignoremus alietatem sensibilibus communium a sensibilibus propriis. Deinde dixit: QUONIAM, SI HABEREMUS SOLUM VISUM, etc. Idest, et hoc necesse est quoniam, si poneremus quod solus visus comprehendit ista, et quod ipse solus est in nobis in hac intentione, tunc accideret visui ut ignoraret et non distingueret album ab alio, adeo quod existimaret colorem et

quantitatem et figuram esse eadem. Et hoc accideret ex eo quod color et quantitas consequuntur sibi adinvicem, scilicet quod color non invenitur nisi in superficie, et superficies in corpore. Deinde dixit: MODO AUTEM, QUIA COMMUNIA, etc. Idest, nunc [line 26 cont.] autem, quia videmus quod communia, ut quantitas et magnitudo, comprehenduntur per alium sensum a visu...Secundum hoc igitur est intelligendus suus sermo in hoc loco, non secundum quod sonant verba eius superficietenus, scilicet quod loquitur de quare sensus sunt plures uno. Causa enim formalis in hoc manifesta est, scilicet multitudo sensibilium; et hoc iam dictum est. Et causa finalis perscrutanda est post in fine istius libri.

iii.2
425b12

136. QUONIAM AUTEM SENTIMUS NOS AUDIRE ET VIDERE,
NECESSE EST QUOD SENTIRE QUOD NOS VIDEMUS AUT
EST PER HUNC VISUM, AUT PER ALIUD; SED ILLUD

Page 337

ERIT VISUS, ET COLORIS SUBIECTI. AUT DUO UNIUS,
AUT IDEM SUI. ET ETIAM, SI SENSUS QUO SENTIMUS NOS VIDERE SIT
ALIUS, AUT ERIT HOC IN INFINITUM, AUT ERIT IDEM
SUI. OPORTET IGITUR UT HOC FACIAT PRIMO.

425b15

425b17

Cum complevit sermonem de quinque sensibus, et declaravit sextum sensum non esse, incepit declarare quod isti quinque sensus habent virtutem communem. Et incepit prius dubitare secundum suam consuetudinem. Et dixit: ET QUIA NOS SENTIMUS NOS VIDERE, etc. Idest, et quia nos videmus, et sentimus nos videre, et audimus, et sentimus nos audire, et sic in unoquoque sensuum, necesse est ut hoc fiat per virtutem visus, aut per aliam virtutem. Deinde dixit: SED ILLUD ERIT VISUS ET COLORIS, etc. Idest, sed si hoc, scilicet sentire nos videre, fuerit alterius sensus a visu, continget ut ille sensus habeat duplicem comprehensionem; comprehendet enim visum comprehendere, et comprehendet colorem quem visus comprehendit; impossibile enim est ut comprehendat visum comprehendere colorem nisi etiam ipse comprehendat colorem. Deinde dixit: AUT DUO EIUDEM, AUT IDEM SUI. Idest, consequetur igitur ex hoc alterum duorum. Quoniam, si posuerimus duas virtutes esse, continget ut duo sensus sint eiusdem intentionis, sensus scilicet qui sentit eam, et sensus qui sentit quod ille sensus sentit eam; uterque enim sentit illam; aut ponemus quod idem sentit seipsum, ita quod agens est patiens, quod est inopinabile. Deinde dixit: ET ETIAM, SI SENSUS VISIONIS, etc. Idest, et si posuerimus duas virtutes esse, scilicet quod sensus qui comprehendit nos videre est alius ab eo qui videt, continget

Page 338

etiam in illo sensu quod contingit in primo; necesse est enim ut habeat duplicem comprehensionem, scilicet comprehensionem sui primi subiecti, quod sentit, et comprehensionem quod comprehendit. Et si etiam posuerimus hoc duarum virtutum, continget in tertia quod contingit in secunda; et sic in infinitum, quod est impossibile. Quapropter necesse est nobis ponere eandem virtutem que comprehendat utrunque, scilicet suum primum subiectum, et que comprehendat quod comprehendit. Et cum necesse est abscindere infinitum, melius est

hoc facere in primo, et ponere quod per eandem virtutem comprehendimus colorem et comprehendimus etiam quod comprehendimus ipsum. Quod enim continget nobis posterius faciendum est prius. Et hoc intendebat cum dixit: NECESSE EST IGITUR HOC FACERE PRIMO; aut ponere quod idem patitur a se et comprehendit se.

137. ET IN HOC EST QUESTIO, ET EST QUONIAM, SI VISIO EST SENTIRE PER VISUM, ET VIDET COLOREM, ET HOMO NON VIDET ILLUD QUOD HABET COLOREM NISI QUANDO VIDET ALIQUID, CONTINGET UT ILLUD QUOD VIDET PRIMO HABET ETIAM COLOREM.

425b17

425b20

Sed iste sermo etiam habet questionem, scilicet ponere quod per eandem virtutem comprehendimus colorem et comprehendimus nos comprehendere colorem. Quoniam, si visio est sentire per visum, et visus comprehendit colorem, et homo non videt ipsum videre colorem nisi quando videt aliquid, continget ut illud quod primo videt, quando iudicat ipsum videre, habet etiam colorem.

Page 339

Et intendebat per hoc quod, si necesse est ut omne comprehensibile a visu sit coloratum, et visus comprehendit comprehensionem coloris, ergo continget ex hoc ut ipsa comprehensio sit colorata; quod est inopinabile.

138. DICAMUS IGITUR QUOD MANIFESTUM EST QUOD SENTIRE PER VISUM NON EST UNUM. IUDICAMUS ENIM PER VISUM NOS, NON VIDENDO, OBSCURITATEM ET LUCEM, SED NON EODEM MODO. ET ETIAM VIDENS EST QUASI COLORATUM; SENTIENS ENIM RECIPIT SENSIBILE EXTRA MATERIAM QUIDLIBET QUODLIBET; ET IDEO, CUM FUERINT SENSIBILIA ABSTRACTA, ERUNT SENSUS ET YMAGINATIONES IN SENTIENTE. ET ACTIO SENSIBILIS ET SENSUS EADEM EST; IN ESSE AUTEM NON SUNT EADEM IN EIS; V.G. SONUS QUI EST IN ACTU, ET AUDITUS QUI EST IN ACTU. POSSIBILE EST ENIM UT ALIQUID HABEAT AUDITUM SED NON AUDIAT, ET UT ALIQUID HABEAT SONUM SED NON SEMPER SONET; CUM AUTEM FECERIT ILLUD QUOD EST IN SUA POTENTIA UT AUDIAT, ET SONAVERIT ILLUD QUOD EST IN SUA POTENTIA UT SONET, TUNC ERUNT INSIMUL AUDITUS ET SONUS. ET POTEST ALIQUIS DICERE QUOD PRIMUM ISTORUM EST AUDIRE ET SECUNDUM EST SONARE.

425b20

425b25

425b30

426a1

Cum dedit sermonem dubitativum, incepit dissolvere eum. Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD MANIFESTUM EST QUOD SENTIRE, etc. Idest, dicamus igitur quod manifestum est quod sentire per visum non est eiusdem intentionis ita quod consequatur ab eo ut omne comprehensibile

Page 340

a visu sit coloratum. Deinde dixit: IUDICAMUS ENIM PER VISUM, etc. Idest, et signum eius est quod nos iudicamus per visum non videndo coloratum, cum iudicamus obscuritatem esse obscuritatem et lucem esse lucem, sed neutrum habet

colorem. Sed non eodem modo iudicamus per visum obscuritatem et lucem; iudicamus enim lucem per se, et obscuritatem quia est privatio lucis. Et cum dedit hunc modum dissolutionis, dedit secundam dissolutionem questionem dicenti quod visio debet esse colorata si virtus sensibilis comprehendit visionem. Et dixit: ET ETIAM VIDENS EST QUASI COLORATUM etc. Idest, et etiam possumus concedere visionem esse coloratam; videns enim, quando comprehendit colorem, efficitur quasi coloratum quoquo modo. Et causa in hoc est quia sentiens recipit sensibile et assimilatur ei. Visus itaque recipit colorem quem recipit corpus extra animam; sed differunt in hoc quod receptio sentientis est non materialis, et receptio corporis extra animam est materialis. Deinde dixit: QUIDLIBET QUODLIBET. Idest, sentiens enim recipit sensibile non materialiter, quilibet sensuum quodlibet sensibilium. Et quia sensus recipiunt sensibilia quoquo modo, dicuntur etiam de eis quoquo modo. Deinde dixit: ET IDEO, CUM FUERINT SENSIBILIA ABSTRACTA, etc. Idest, et quia sensus recipiunt sensibilia extra materiam, ideo, quando sensibilia fuerint abstracta a materia, efficiuntur in sentientibus sensus et ymaginationes, non colores sensibiles neque sapes neque alie qualitatibus sensibilium que sunt extra animam in materia. Deinde dixit: ET ACTIO SENSIBILIS ET SENSUS, etc. Idest, et actio sensibilis extra animam in movendo sentiens, et

Page 341

actio sensus qui est in sentiente, scilicet qualitas qua sentiens qualificatur in movendo etiam virtutem visionis, est eadem actio, licet modus esse sensibilis extra animam differat a modo sui esse in sentiente; v.g. quod sonus qui est in actu extra animam ita movet instrumentum auditus sicut auditus qui est in actu movet virtutem auditus; et similiter dispositio coloris in movendo videntem est sicut dispositio qualitatis que provenit in vidente a colore in movendo virtutem visibilem. Deinde dixit: POSSIBILE EST ENIM UT ALIQUID HABEAT AUDITUM, etc. Idest, et hoc fuit ita quia possibile est ut aliquid habeat auditum in potentia sicut habet sonum in potentia, et ut habeat sonum in actu sicut habet auditum in actu. Et cum habuerit auditum in actu, habebit comprehensionem auditus in actu, idest comprehensionem quod audit. Et dixit: POSSIBILE EST ENIM DICERE QUOD ALIQUID HABEAT AUDITUM ET HABEAT SONUM, LICET NON SEMPER SONET, propter hoc quia sunt sic in potentia...

139. ET SI ACTIO ET PASSIO ET MOTUS SUNT IN PASSIVO,	426a2
NECESSE EST UT SONUS ET AUDITUS QUI SUNT IN	
ACTU SINT IN EO QUOD EST IN POTENTI. ACTIO ENIM	
AGENTIS ET MOVENTIS SUNT IN PATIENTE; ET PROPTER HOC	426a5
NON EST NECESSE UT MOVEATUR QUOD MOVET.	
ET ACTIO SONANTIS AUT EST SONUS AUT SONARE, ET	
ACTIO AUDIENTIS AUT EST AUDITUS AUT AUDIRE;	
AUDITUS ENIM EST DUOBUS MODIS, ET SONUS	
DUOBUS MODIS.	426a8

Cum posuit quod actio sentientis et sensibilis est eadem,

licet differant in esse, incepit declarare hoc ex rebus

Page 342

universalibus predictis. Et dixit: ET SI ACTIO ET MOTUS, etc. Idest, et si necesse est ut omnis actio que provenit ab agente, et omnis motus qui provenit a movente, non inveniantur nisi in re patienti et mota, sensus autem patiuntur a sensibilibus et sensibilia agunt in eos, necesse est ut actio sensibilis sit in ipso sentiente, quod est in potentia sensibile. Sonus itaque et auditus qui sunt in actu sunt in eo quod est in potentia sonans, scilicet percussum, et quod est in potentia audiens, scilicet sensus audiens. Deinde dixit: ET IDEO NON EST NECESSE UT MOVEATUR QUOD MOVET. Idest, et quia motus est in patiente, et non in agente, non est necesse ut omne agens sit patiens, ut declaratum est in sermonibus universalibus. Et induxit omne hoc ad declarandum quod sensus movent virtutes sicut sensibilia que sunt extra animam movent sensus. Deinde dixit: SONUS ENIM EST DUOBUS MODIS, etc. Idest, et fuit necesse quod ita esset de sono sicut de auditu, scilicet quod eodem modo movent, et quod actio fit in recipiente, non in agente, propter hoc quod utrunque invenitur duobus modis: modo in potentia, et modo in actu.

140. ET ISTE IDEM SERMO EST DE ALIIS SENSIBUS ET
ALIIS SENSIBILIBUS. QUEMADMODUM ENIM ACTIO
ET PASSIO SUNT IN PATIENTE, NON IN AGENTE, ITA
ACTIO SENSUUM ET SENSIBILIMUM SUNT IN SENTIENTE.
SED IN QUIBUSDAM HABENT NOMINA, UT SONARE
ET AUDIRE; IN QUIBUSDAM AUTEM ALTERUM
NON HABET NOMEN. ACTIO ENIM VISUS DICITUR
visio; ACTIO AUTEM COLORIS NON HABET NOMEN
IN LINGUA GRECA.

426a8

426a10

426a14

Et iste idem sermo quem diximus in sono et auditu, scilicet quod actio eorum est in patiente, est de aliis sensibus.

Page 343

Deinde iteravit propositionem a qua incepit hanc declarationem. Et dixit: QUEMADMODUM ENIM ACTIO ET PASSIO, etc. Idest, et causa in hoc est quoniam, sicut actio et passio sunt in patiente, non in agente, ita actio sensuum et sensibilium sunt in primo sentiente, cum sensibilia sint virtutes agentes, sensus autem agentes et patientes, primum autem sentiens est patiens tantum. Et quia hoc latet, scilicet sensibilia esse virtutes agentes, et sensus esse patientes, propter nominationem (plura enim sensibilia carent nominibus secundum quod sunt agentia, et nomina plurium eorum passiva sunt in figura nominum virtutum agentium), dixit: SED IN QUIBUSDAM HABENT NOMINA, etc. Idest, sed in quibusdam sensibus ponebantur actioni ipsius sensibilis et passioni ipsius sentientis utrique nomina; v.g. SONARE ET AUDIRE; sonare enim est actio soni, audire autem est passio sensus audientis. Et in quibusdam alterum eorum caret nomine; v.g. in visu; passio enim visus habet nomen, et est VIDERE (licet sit in figura nominis agentis); actio autem sui sensibilis (quod est color) caret nomine in Greca lingua. Et dico quod in Arabica actiones habituum sensuum provenientium

in eis a sensibilibus in primas virtutes sentientes
non videntur habere nomina in aliquo ydiomate,
cum hoc non sciatur a vulgo; non enim comprehenduntur
a sensu, neque in primo aspectu.

141. ET QUIA ACTIO SENSIBILIS ET SENTIENTIS EST EADEM,
SED DIFFERUNT IN ESSE, NECESSE EST UT INSIMUL
CORRUMPANTUR ET INSIMUL SERVENTUR AUDITUS

426a15

Page 344

QUI DICITUR HOC MODO, ET SONUS;
ET SIMILITER SAPOR ET GUSTUS ET ALIA. IN EIS AUTEM
QUE DICUNTUR IN POTENTIA NON EST NECESSE.

426a19

Et quia actio sensibilis eadem est cum actione sentientis,
scilicet quod habitus qui ab ero provenit in sentiente
est idem cum habitu quo sensibile agit in
sentiente, in subiecto, licet differant in essentia et forma,
necesse est ut corruptio duorum habituum sit insimul
et salvatio insimul, scilicet habitus per quem sensibile
est movens in actu postquam fuit in potentia, et
habitus per quem sentiens est sentiens in actu postquam
fuit in potentia. Deinde dixit: AUDITUS QUI DICITUR SECUNDUM
HUNC MODUM, ET SONUS. Idest, et hoc sequitur in
sono qui dicitur secundum hunc modum, et est sonus
in actu. Et similiter contingit in sapore qui est in actu,
et in gustu qui est in actu, et in omnibus sensibus. In
sensibili autem quod est in potentia, et in sentiente quod
est in potentia, non sequitur, scilicet quod, cum alterum
eorum corrumpitur, et reliquum corrumpatur, aut
quando unum fuerit, ut sit reliquum

142. SED ANTIQUI NATURALES NON BENE DIXERUNT
IN HOC, CUM EXISTIMAVERUNT QUOD NICHIL EST ALBUM
AUT NIGRUM ABSQUE VISU, NEQUE SAPOR ABSQUE GUSTU.
HOC ENIM UNO MODO EST VERUM ET ALIO

426a20

Page 345

MODO NON VERUM. QUONIAM, QUIA SENSUS ET
SENSIBILE DICUNTUR DUOBUS MODIS, IN POTENTIA
ET IN ACTU, ILLUD QUOD FUIT DICTUM SEQUITUR
IN ISTIS, IN ILLIS AUTEM NON. SED ILLI DIXERUNT
SIMPLICITER QUOD NON DICITUR SIMPLICITER.

426a25

426a26

Sed antiqui Naturales non recte dixerunt in hac
intentione. Dicebant enim quod nullus est color sine visu, neque
sapor sine gustu. Et hoc dixerunt absolute, idest quod
opinati fuerunt quod sensibile et sentiens sunt relata simpliciter,
et cum alterum fuerit, reliquum erit, et cum
alterum corrumpetur, reliquum corrumpetur. Deinde dixit: HOC ENIM
EST VERUM UNO MODO, etc. Idest, et hoc quod Antiqui dixerunt
uno modo est verum et alio modo non verum
Sensus autem et sensibile quandoque dicuntur in potentia
et quandoque in actu. Sed sermo Antiquorum sequitur in eis que sunt
in actu; in eis autem que sunt in potentia
non sequitur, scilicet ut esse eorum et corruptio sit semper
insimul. Sed error Antiquorum fuit in hoc quod locuti fuerunt

absolute in eo quod indiget determinatione.

143. SI IGITUR CONSONANTIA EST SONUS, ET SONUS ET 426a27
AUDITUS SUNT QUASI IDEM, ET CONSONANTIA EST PROPORTIO,
NECESSE EST ETIAM UT AUDIRE SIT ALIQUA
PROPORTIO. ET IDEO CORRUMPITUR QUIDILIBET 426a30
QUANDO AUDITUS FUERIT INTENSUS, SCILICET AUT ACUTUS
AUT GRAVIS. ET SIMILITER IN SAPORIBUS CORRUMPITUR
GUSTUS, ET IN COLORIBUS CORRUMPITUR VISUS A LUCE 426b1

Page 346

INTENSA ET OBSCURITATE, ET IN OLFACTO AB ODORE
FORTI, ET DULCI ET AMARO, QUIA SENSUS EST ALIQUA
PROPORTIO. ET PROPTER HOC, ACETOSUM ET 426b5
DULCE ET SALSUM, QUANDO FUERINT POSITA CUM
SIMILI, ESSENDO PURA, NON ADMIXTA, TUNC ERUNT
DELECTABILIA. ET UNIVERSALITER ADMIXTA SUNT MAGIS
DIGNA UT SINT CONSONANTIA QUAM ACUTUM ET GRAVE.
ET IN TACTU POSSIBILE EST UT CALEFIAT ET INFRIGIDETUR;
ET SENSUS EST SIMILIS PROPORTIO; ET CUM FUERINT
INTENSA, NOCEBUNT ET CORRUMPENT. 426b8

Cum posuit quod sensus qui est in actu est quoquo modo
relativus, incepit declarare hoc, et dare ex eo causas
plurium accidentium in sensu. Et dixit: SI IGITUR CONSONANTIA
EST SONUS, etc. Idest, si igitur neumata consonantia
in auditu, idest admixta mixtione delectabili,
fuerit sonus, et sonus in actu est auditus in actu, et consonantia
que est in pneumatibus non est nisi
proportio temperata inter extrema, scilicet inter sonum
gravem et acutum, qui dicuntur in respectu auditus,
necesse est ut illud temperamentum existens inter ea
(et est consonantia) sit ipse auditus, cum esse auditus in
actu non est nisi in hac proportionem que est temperantia.
Et quia temperans et temperatum sunt relativa,
et esse auditus in actu naturale est in sono temperato,
contingit quod auditus et audibile erunt in capitulo relationis.
Et dixit quod necesse est ut auditus sit ALIQUA proportio,
et non dixit PROPORTIO simpliciter, quia existimatur
quod ista proportio, quamvis sit in capitulo relationis, tamen est

Page 347

proportio agens; et proportionem in eo quod sunt proportionem
non sunt agentes, sed in eo quod qualitates. Sensus igitur
numerantur in relatione uno modo, et in qualitate
alio modo. Et sic intelligitur. Deinde dixit: ET IDEO CORRUMPITUR
QUODLIBET, etc. Idest, et propter hoc quod diximus accidit
ut quilibet sensuum corrumpatur quando ista proportio
transmutabitur intense in exeundo ad alterum extremorum,
v.g. corruptio auditus apud sonum intensum
in acuitate et gravitate, et corruptio gustus apud saporem
intensum, et corruptio visus apud lucem intensam
et obscuritatem intensam, et corruptio olfactus apud
odores intensos. Et causa in hoc est quod esse sensus naturalis
est in proportionem temperata. Et cum illa proportio
fuerit corrupta, corrumpetur sensus, cum ista proportio
sit forma sensus; quemadmodum sanitas est in proportionem

temperata inter quatuor qualitates, et cum illa
proportio fuerit corrupta, corrumpetur sanitas, cum forma
sanitatis est in hac proportionem temperata. Deinde dixit: ET
PROPTER HOC, ACETOSUM, etc. Idest, et quia sensus est aliqua intentio
et aliqua proportio, ideo acetosum et dulce et salsum
adiuncta ad suum simile, non admixta cum alio,
erunt delectabilia, quoniam, cum occurrent similibus, essendo
pura, erunt delectabilia; tunc enim erunt magis abstracta
a materia. Deinde dixit: ET UNIVERSALITER ADMIXTA SUNT, etc. Idest,
et universaliter admixta ex contrariis que sunt in unoquoque
sensuum sunt magis digna ut sint proportio ipsis
contrariis; v.g., sonus qui est inter acutum et gravem

Page 348

magis dignus est ut sit proportio quam acutus et
gravis. Et similiter est de tactu cum calido et frigido et
humido et sicco, licet corpus tangens possit calefieri
et infrigidari, e contrario aliis sensibus, ut iam prediximus;
temperatum tamen magis est dignum ut sit proportio
quam extrema.

144. ET UNUSQUIQUE SENSUUM EST REI SENSIBILIS SUBIECTE	426b8
ILLI, ET EST EXISTENS IN SUO SENTIENTE SECUNDUM	
QUOD EST SENTIENS, ET IUDICAT DIFFERENTIAS SENSIBILIS SIBI	426b10
SUBIECTI, V.G. VISUS ALBUM ET NIGRUM, ET GUSTUS	
DULCE ET AMARUM, ET SIC DE ALIIS.	426b12

Cum incepit perscrutari de virtute qua sentimus
nos sentire, utrum sit eadem cum virtute sensuum propria unicuique
sensui, an alia, dedit in primo sermonem ex quo consequitur
eam esse unam, et post alium ex quo consequitur eam
esse plures, deinde sermonem concludentem eam esse unam,
et dissolutionem ex qua exivit ad declarandum quod sensus
et sensibile sunt unum in actu, non diversa (propter
quod contingeret ut illud quod iudicaret super ipsum
sensem esset aliud ab eo quod iudicaret super ipsum sensibile).
Et cum hoc fecit, reversus est postea ad illam eandem
perscrutationem. Et dixit: ET UNUSQUISQUE SENSUUM, etc.
Idest, et manifestum est per se quod unusquisque sensuum iudicat
suum subiectum proprium quod est ei secundum quod est illud
sentiens, et iudicat cum hoc differentias proprias
que sunt in illo subiecto proprio, v.g. quia visus iudicat

Page 349

colorem qui est subiectum proprium ei secundum
quod est visus, et iudicat differentias contrarias existentes
in eo, v.g. album et nigrum et media, et similiter auditus
iudicat sonum, qui est suum subiectum, et grave et
leve et media, que sunt differentie soni.

145. ET QUIA IUDICAMUS ETIAM ALBUM ET DULCE	426b12
ET UNUMQUODQUE SENSIBILIUM COMPRANDO EA	
ADINVICEM, PER QUID IGITUR SENTIMUS EA ESSE DIVERSA?	
NECESSE EST QUIDAM UT ILLUD SIT PER SENSUM;	
SUNT ENIM SENSIBILIA.	426b15

Et cum sensus comprehendunt differentias contrarias

que sunt in subiectis propriis unicuique sensui, per quam igitur virtutem iudicamus istas esse diversas, cum fecerimus comparisonem inter eas adinvicem? Apparet quidem quod consequitur ex hoc sermone illud quod a primo, et est quod virtus qua visus iudicat album esse aliud a dulci est alia a virtute visus, quemadmodum virtus qua iudicat ipsum videre videtur alia a virtute visibili. Differentia enim inter sensibilia est sensibilis.

146. DICAMUS IGITUR QUOD MANIFESTUM EST QUOD CARO
NON EST ULTIMUM SENTIENS. CONTINGERET ENIM,
CUM TANGERET, QUOD IUDICRET. SED IMPOSSIBILE
EST UT IUDICANS IUDICET DULCE ESSE ALIUD AB ALBO
PER DUO DIVERSA, SED NECESSE EST UT SINT AMBO
EIUSDEM PER DUO INSTRUMENTA. ET NISI HOC ESSET,

426b15

Page 350

ESSET POSSIBILE, QUANDO EGO SENTIREM HOC ET
TU ILLUD, QUOD EGO INTELLIGEREM EA ESSE DIVERSA.
SED NECESSE EST UT UNUM DICAT HOC ESSE ALIUD AB
HOC, ET DULCE ALIUD AB ALBO. DICENS IGITUR EST
IDEM. QUAPROPTER NECESSE EST UT, SICUT DICIMUS,
SIC AGAMUS ET SENTIAMUS. QUONIAM AUTEM
IMPOSSIBILE EST IUDICARE DIVERSA ET PER DIVERSA
MANIFESTUM EST. QUONIAM VERO HOC NON FIT
IN TEMPORE DIVERSO EX HOC DECLARABITUR. QUEMADMODUM
ENIM IDEM DICIT BONUM ESSE ALIUD A MALO,
SIC, CUM DIXERIT IN ALIQUO ESSE ALIUD, IN ILLO
EODEM INSTANTE DICIT IN ALIO ETIAM; ET NON ACCIDENTALITER,
SICUT DICO NUNC ESSE ALIUD NON QUIA
NUNC EST ALIUD, SED DICO SIC INSTANS ET QUOD
EST INSTANS. A QUO IGITUR ERIT? ERIT NON DIVISIBILE,
ET IN TEMPORE INDIVISIBILI.

426b20

426b25

426b29

Dicamus igitur quod manifestum est ex hoc quod dico
quod ultimum sentiens in tactu non est in carne, neque
in visu in oculo, et sic de aliis. Quoniam, si ultimum sentiens
esset in oculo, aut in lingua in gustu, tunc necesse esset, cum
iudicaremus dulce esse aliud ab albo, iudicare per duo
diversa. Illud enim quod comprehendit dulce secundum
hanc positionem aliud est ab eo quod comprehendit
colorem omnino. Illud enim est in oculo solum, et hoc
in carne solum, aut sibi simili; sed caro in tactu non est sicut
oculus in visu. Deinde declaravit hoc esse impossibile.
Et dixit: SED NECESSE EST UT AMBO SINT EIUSDEM, etc.
Idest, sed necesse est ut sint comprehensa ab eodem, et

Page 351

per duo instrumenta, et nisi hoc esset,
non poterit iudicare hoc esse aliud ab hoc. Si
enim esset possibile iudicare hec duo esse diversa per
duas virtutes diversas quarum utraque singulariter
comprehenderet alterum illorum duorum, tunc necesse
esset ut, quando ego sentirem hoc esse dulce et tu illud esse
album, et ego non sensi quod tu sensisti neque tu quod
ego, ut ego comprehenderem meum sensibile esse aliud a
tuo, licet non sentiam tuum, et ut tu comprehenderes

tuum esse aliud a meo, licet nullo modo comprehendas meum; et hoc [line 44 cont.] est manifeste impossibile. Deinde dixit: SED NECESSE EST UT UNUS DICAT HOC ESSE ALIUD AB HOC, ET QUOD DULCE EST ALIUD AB ALBO, etc. Idest, sed quemadmodum necesse est ut idem homo dicat hoc esse aliud ab hoc, sic necesse est ut virtus qua idem homo iudicat dulce esse aliud ab albo sit una eadem virtus; ita enim est in hoc de individuis sicut de membris sensus, cum sint etiam plura in numero. Et hoc intendebat cum dixit: QUAPROPTER NECESSE EST UT, SICUT DICIMUS, SIC AGAMUS ET SENTIAMUS. Idest, quapropter necesse est ut, sicut ille qui dicit hoc esse aliud ab hoc est idem homo, sic illud quod sentit et intelligit hoc esse aliud ab hoc sit eadem virtus. Deinde dixit: QUONIAM AUTEM IMPOSSIBILE EST, etc. Idest, manifestum est igitur ex hoc sermone quod non iudicamus diversa esse sensibilia per diversas virtutes. Deinde dixit: QUONIAM VERO HOC, etc. Idest, quoniam autem [line 59 cont.] ista comprehensio, cum

Page 352

hoc quod est unius virtutis, debet esse etiam in eodem instante manifestum est quoniam, quemadmodum unus homo dicit bonum esse aliud a malo, sic, cum dixerit in altero duorum esse aliud in aliquo instante, manifestum est quod, in instante in quo dicit quod alterum eorum est aliud, in illo eodem dicit in altero esse aliud, cum alietas sit aliqua relatio, et relativa insimul existunt in actu. Deinde dixit: ET NON ACCIDENTALITER, etc. Idest, et non intelligo per INSTANS hoc instans quod dicitur accidentaliter in eo quod illud est divisibile, sicut instans in quo dicimus ratione extrinseca esse aliud instans, cum fuerit comprehensum ratione intrinseca esse aliud (instans enim de quo dicitur ipsum esse aliud est aliud ab instante in quo comprehenditur ipsum esse aliud; et hoc intendebat cum dixit: NON QUIA INSTANS EST ALIUD; idest, non instans de quo dixi esse aliud est instans in quo comprehenditur ipsum esse aliud); sed dicimus hoc instans esse aliud et quod nunc est aliud; et illud instans est aliud ab instante comprehensionis. Deinde dixit: A QUO IGITUR, etc. Idest, a quo igitur erit hoc iudicium? Dico: erit a virtute indivisibili et una, et in tempore indivisibili et uno.

147. SED IMPOSSIBILE EST UT IDEM MOVEATUR MOTIBUS
CONTRARIIS INSIMUL, SECUNDUM QUOD EST INDIVISIBILE ET
IN TEMPORE INDIVISIBILI. HOC ENIM, SI FUERIT DULCE,

426b29

426b30

Page 353

MOVEBIT SENSUM AUT INTELLECTUM ALIQUO MODO
MOTUS, AMARUM AUTEM ECONTRARIO, ALBUM
VERO ALIO MODO. UTRUM IGITUR EST POSSIBILE
IUDICANS EA INSIMUL ESSE IN NUMERO INDIVISIBILE ET
IN ESSE DIVISIBILE, ITA QUOD ALIO MODO, IDEST MODO DIVISIONIS,
SENTIT DIVISIBILIA, ET ALIO MODO SENTIT INDIVISIBILE,
QUONIAM SECUNDUM ESSE EST DIVISIBILE, ET SECUNDUM LOCUM
ET NUMERUM EST INDIVISIBILE?

427a1

427a5

Cum declaravit quod ultimum sentiens in omnibus sensibus debet esse eadem virtus, incepit querere modum secundum quem potest esse eadem et iudicare contraria in eodem tempore. Et dixit SED IMPOSSIBILE EST UT IDEM MOVEATUR, etc. Idest, sed impossibile est ponere ut idem recipiat contraria in eodem instante, secundum quod est idem et indivisibile. Deinde dixit: HOC ENIM, SI FUERIT DULCE, etc. Idest, v.g. quod, si hoc fuerit dulce, movebit sentiens primum aliquo genere motus, et cum fuerit amarum, movebit ipsum econtrario; et similiter de albo et nigro. Cum igitur sensus iudicaverit hoc esse aliud ab hoc (hoc enim est dulce illud amarum essendo), eadem virtus et indivisibilis tunc patietur a contrariis insimul secundum quod est unum et indivisibile; quod est impossibile. Deinde dixit: UTRUM IGITUR POSSIBILE EST UT IUDICANS, etc. Idest, an igitur possibile est ut ista virtus iudicans contraria simul sit eadem subiecto et indivisibilis, sed per intentiones quas recipit est divisibilis, ita quod per hoc dissolvetur questio sic? Quoniam ista virtus inquantum est divisibilis comprehendit res numeratas divisibiles, et inquantum est eadem iudicat

Page 354

ea unico iudicio. Deinde dixit: EST ENIM SECUNDUM ESSE DIVISIBILE, SED SECUNDUM LOCUM ET NUMERUM INDIVISIBILE. Idest, forte iudicans diversa et contraria est secundum essentiam et formam divisibile, sed secundum subiectum et secundum materiam est indivisibile, ut dicimus de pomo quod est indivisibile subiecto et divisibile secundum entia diversa in eo, scilicet colorem et odorem et saporem.

148. DICAMUS IGITUR QUOD HOC EST IMPOSSIBILE.
EST ENIM IDEM INDIVISIBILE DUO CONTRARIA POTENTIA,
ESSE AUTEM NON, SED ACTU EST DIVISIBILE,
ET IMPOSSIBILE EST UT INSIMUL SIT ALBUM ET NIGRUM.
QUAPROPTER NECESSE EST UT NEQUE FORMAS
EORUM RECIPIAT, SI SENTIRE ET INTELLIGERE SUNT TALIA.

427a5

427a9

Cum posuit illum modum ad dissolvendum predictam questionem, reversus est modo ad narrandum quod hoc non sufficit in dissolutione. Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD HOC EST IMPOSSIBILE, etc. Idest, dicamus igitur quod hoc est impossibile, scilicet ut ista virtus sit unica in subiecto et plures secundum essentias et formas. Non enim est possibile ut idem sit indivisibile subiecto et recipiens contraria insimul nisi in potentia, non in actu et esse; v.g. quod idem corpus possibile est dici esse calidum et frigidum insimul potentia, actu autem non, nisi secundum quod est divisibile, scilicet quia quedam pars eius est calida et quedam frigida. Et hoc intendebat

Page 355

cum dixit; SED ACTU EST DIVISIBILE, etc. Et cum declaravit hoc, dixit: QUAPROPTER NECESSE EST UT NEQUE FORMAS EORUM RECIPIAT, etc. Idest, quapropter necesse est ut ista virtus non recipiat formas sensibilibum contrarias, si ista virtus eadem, scilicet sensitiva, est talis, scilicet unica in subiecto et plures in essentia. Et dixit ET INTELLIGERE quia intelligere in hac intentione

simile est ad sentire, scilicet quia in utroque est virtus recipiens et iudicans, et hec iudicat contraria insimul, ut declarabimus in virtute rationali. Et intendit per omnia hec declarare quod hec virtus non est eadem secundum quod est in potentia, sicut est prima materia, sed est unica in intellectu et in esse et in actu, et multa secundum instrumenta, ut post declarabimus.

149. SED ILLUD QUOD DICITUR A QUIBUSDAM punctus 427a9
unius SECUNDUM QUOD EST DUO EST DIVISIBILE. ET SECUNDUM 427a10
QUOD EST INDIVISIBILE, IUDICANS EST UNUM,
ET SECUNDUM QUOD EST DIVISIBILE, UTITUR EODEM PUNCTO BIS.
SECUNDUM IGITUR QUOD UTITUR EXTREMO PRO EXTREMIS
DUOBUS, IUDICAT DUO QUE SUNT DIVERSA; HOC
IGITUR ERIT PER DIVISIBILE; ET SECUNDUM QUOD EST UNUM, PER UNUM.
HOC MODO IGITUR DETERMINEMUS PRINCIPIUM 427a15
QUO DICIMUS ANIMAL ESSE SENTIENS. 427a16

Cum narravit quod impossibile est ut hec potentia sit una in subiecto et multa in virtutibus, incepit dare modum secundum quem est una, et modum secundum

Page 356

quem est multa. Et quia hoc difficile est ad dicendum, et est magis leve ad declarandum per exemplum, induxit sermonem in via exempli. Et dixit: SED QUASI ILLUD, etc. Idest, sed ista virtus est una et multa ut punctus qui est centrum circuli quando ab eo fuerint extracte multe linee a centro ad circumferentiam. Et hoc intendebat cum dixit PUNCTUS UNIUS, hoc est punctus qui continetur ab una linea. Deinde dixit: SECUNDUM QUOD EST DUO EST DIVISIBILE. Idest, secundum igitur quod ista virtus est deo et plures per sensus qui copulantur cum ea, quemadmodum punctus est duo et plures per extrema linearum exeuntium ab ea, est divisibilis ad patiendum a sensibilibus diversis. Deinde dixit: SECUNDUM IGITUR QUOD EST INDIVISIBILE, IUDICANS EST UNUM. Idest, et secundum quod ista virtus est aliquod indivisibile, scilicet secundum quod est finis motuum sensuum a sensibilibus, quemadmodum punctus est aliquod indivisibile secundum quod est finis linearum exeuntium ad ipsum a circumferentia, potest iudicare diversa que copulantur cum ea a sensibus. Et cum declaravit modum secundum quem potest intelligi quod ista virtus est indivisibilis, et modum secundum quem potest intelligi quod est divisibilis, incepit distinguere opus eius secundum quod est divisibilis, et opus eius secundum quod est indivisibilis. Et dixit: SECUNDUM IGITUR QUOD EST DIVISIBILE, UTITUR, etc. Idest, secundum igitur quod ista virtus est divisibilis per sensu, operatur per illud unum quod est de ipsa quasi punctus duabus operationibus diversis insimul, et secundum

Page 357

quod utitur rebus que sunt de ea quasi extrema de lineis, scilicet sensibus inquantum habent hanc consimilitudinem, iudicat res diversas iudiciis diversis; et secundum quod est una, iudicat res diversas unico iudicio. Et quasi opinatur quod virtus primi sentientis melius est

ut dicatur esse una forma et multa instrumentis copulatis cum ea, per que transeunt ad ipsam motus sensibilium quousque copulentur cum ea, quam dicere ipsam esse unam subiecto et multa secundum formas que describuntur in ea. Illud enim esse est dignius ei secundum quod est iudicans, istud autem secundum quod est recipiens. Sed tamen, cum non posuerimus illic eandem intentionem propter formam, non possemus invenire aliquid per quod iudicet diversa esse diversa; iudicium enim dignius est attribui isti potentia secundum quod est actus quam secundum quod est potentia, quemadmodum motio eius passiva a sensibus dignior est attribui ei secundum quod est subiectum recipiens quam secundum quod est agens. Est igitur apud ipsum ut videtur [line 58 cont.] recipiens secundum sensus, et agens secundum iudicium; recipere enim aliquid est aliud a iudicare illud, et hec duo debent inveniri in aliquo duobus modis diversis. Et ideo videmus quod ista virtus iudicat intentiones quas proprie recipit, et earum privationes. Et similiter est de virtute rationabili, sed differunt in hoc quod ista virtus est intentionum materialium, illa autem est intentionum non mixtarum cum materia, ut post declarabitur.

Page 358

iii.3

150. ET QUIA DETERMINABANT ANIMAM HIIS DUABUS DIFFERENTIIS PROPRIE, SCILICET MOVERI IN LOCO, ET INTELLIGERE ET IUDICARE ET SENTIRE, EXISTIMANDO QUOD INTELLIGERE EST QUASI SENTIRE CORPORALE QUOQUO MODO (ANIMA ENIM IN HIIS DUOBUS MODIS IUDICAT ALIQUID ET COGNOSCIT IPSUM), ET ANTIQUI DICEBANT QUOD INTELLIGERE IDEM EST CUM SENTIRE, UT EMPEDOCLES CUM DIXIT QUOD CONSILIUM IN HOMINIBUS RECIPIT SECUNDUM PRESENS, ET DIXIT IN ALIO LOCO QUOD PROPTER HOC TRANSMUTATUR INTELLECTUS IN EO SEMPER; ET HOC IDEM INTENDEBAT HOMERUS CUM DIXIT QUOD ITA EST DE INTELLECTU;

427a17

427a20

427a25

427a26

Quia Antiqui conveniunt in diffiniendo animam per has duas differentias proprie, scilicet per motum localem et per cognitionem et comprehensionem, que videntur esse intelligere et sentire. Deinde dixit: EXISTIMANDO QUOD INTELLIGERE, etc. Idest, et existimabant quod intelligere est genus sensus, qui est aut corpus aut corporalis; anima enim in hiis duobus iudicat res et cognoscit eas. Et quia Antiqui dicebant quod intelligere et sentire sunt eiusdem virtutis et potentie, ideo oportet nos perscrutari de hoc. Deinde dixit: UT EMPEDOCLES, etc. Idest, ut dixit Empedocles quod intellectus in hominibus iudicat [line 22 cont.] rem presentem sensibilem; et in alio loco dixit quod sensus est idem cum intellectu, et propter hoc intellectus semper transmutatur in eis sicut transmutatur sensus. Et intendit per transmutationem

Page 359

errorem qui accidit utrique virtuti, aut oblivionem, et alia accidentia in quibus existimantur habere communicationem. Et hoc intendebat Homerus cum dixit quod sensus similis est intellectui.

151. ET OMNES ISTI EXISTIMANT QUOD INTELLIGERE 427a26
EST CORPORALE, SICUT SENTIRE, ET QUOD SENTIRE ET INTELLIGERE
SUNT A SIMILI AD SIMILE, UT PRIUS DETERMINAVIMUS
QUAMVIS DEBEBANT DICERE, CUM
HOC, IN ERRORE ETIAM; HOC ENIM MAGIS EST PROPRIUM 427b1
ANIMALIBUS, ET MORA ANIME IN EO EST LONGO TEMPORE;
ET IDEO NECESSE EST UT SIT, SICUT QUIDAM DICUNT, QUOD
OMNIA QUE TRANSEUNT PER MENTEM SUNT VERA, AUT
ERROR SIT TANGERE DISSIMILE; HOC ENIM EST CONTRARIUM,
ET SIMILE COGNOSCITUR PER SUUM SIMILE; ET EXISTIMATUR 427b5
QUOD ERROR IN CONTRARIIS SIT IDEM; 427b6

Cum declaravit quod oportet post sermonem de virtute
sensus perscrutari de differentia inter hanc virtutem
et virtutem intellectus, dixit quod existimatum est intellectum
esse corporalem, sicut est sensus; et est quia multi
Antiquorum credebant quod sentire et intelligere idem
sunt. Deinde narravit causam ducentem eos ad hoc dicere,
et declaravit quantum deficit eis in hoc. Et dixit: OMNES
IGITUR ISTI EXISTIMANT, etc. Idest, isti igitur homines existimabant
quod intelligere et sentire utrunque est corpus quia credebant

Page 360

quod intelligere et sentire fiunt per simile, et quia
hee due virtutes comprehendunt corpus, necesse est ut
sint corporee, ut prius determinavimus de hoc in opinione
Antiquorum in hoc. Deinde dixit: QUAMVIS DEBEBANT DICERE, etc.
Idest, quamvis oportebat eos dicere causam erroris ex hoc
modo; error enim magis invenitur in animalibus, et
anima in maiori tempore invenitur ignorans et errans
quam sciens. Deinde dixit: ET IDEO NECESSE EST, etc. Idest, et propter
hoc quod dant istam causam in cognitione, contingit eis aut concedere
hoc quod dicunt Sophiste, scilicet quod omnia transeuntia
per mentem, idest omnia ymaginata, sunt vera, aut dicere
quod verum est animam tangere simile, cum est corpus,
et error tangere dissimile; dissimile enim est contrarium,
et error est contrarium vero. Et hoc quod dixit
manifestum est, scilicet quod, si anima comprehendit res
per res existentes in ea, sicut dicunt, contingit eis, si
dixerint eam esse similem omnibus quia in ea sunt omnia, ut non
sit error omnino, aut dicere eam esse compositam ex altero
duorum contrariorum existentium in rebus, et
sic inveniet veritatem quando comprehenderit contrarium
simile, et errabit quando comprehenderit contrarium
dissimile. Deinde dedit impossibile quod sequitur ex
hoc. Et dixit: ET EXISTIMATUR QUOD ERROR IN CONTRARIIS SIT IDEM.
Idest, sed contingit huic positioni ut error sit in proprio
contrario ex unaquaque rerum contrariarum; sed manifestum
est quod error potest accidere in utroque contrario
indifferenter, et quod non est proprius unico contrario tantum.

Page 361

152. DICAMUS IGITUR QUOD SENTIRE NON EST INTELLIGERE. 427b6
ET HOC MANIFESTUM EST. HOC ENIM EXISTIT IN
OMNIBUS ANIMALIBUS, ET HOC NON INVENITUR
NISI IN PAUCIS ANIMALIBUS. NEQUE INTELLIGERE,
IN QUO EXISTUNT VERUM ET NON VERUM CONTRARIA 427b10

ISTIS, EST IDEM CUM SENTIRE. SENTIRE ENIM RES PROPRIAS
SEMPER EST VERUM, ET EXISTIT IN OMNIBUS
ANIMALIBUS; DISTINGUERE AUTEM POTEST FALSARI,
ET NON EST IN ALIQUO ANIMALI NISI EXISTIMET.

427b14

Iste sermo potest esse responsio ad hanc particulam
QUIA a qua superius incepit, cum indiget responsione;
et quasi dicit; et quia Antiqui determinabant animam
per motum et comprehensionem, et existimatum
est quod comprehensio per intellectum et sensum est eadem,
cum utraque sit cognitio, et etiam multi Antiquorum
credebant hoc propter hoc quod opinabantur quod tantum
simile cognoscit suum simile, et quia hoc dicebant, dicamus
nos quod sentire non est intelligere per intellectum.
Et potest intelligi ita quod responsio sit diminuta, et erit
iste sermo principium; et quasi dicit: et cum iam declaratum
est quod necesse est perscrutari de hac intentione, dicamus
quod sentire non est intelligere. Deinde dixit: ET HOC MANIFESTUM
EST, etc. Idest, et hoc quod intellectus est alius a sensu manifestum
est per se. Sensus enim existit in omnibus animalibus,
intellectus autem in paucis, scilicet in homine. Et dixit PAUCIS
propter hoc quod existimatur quod plura animalia communicant homini
[line 26 cont.] in hac virtute;
et quia hoc non fuit manifestum in hoc loco, accepit
concessum, et est quod non possumus dicere quod omnia

Page 362

animalia intelligunt. Et cum hee due virtutes sint diverse
subiecto, necesse est ut sint diverse in esse; que enim
differunt subiecto differunt in esse. Deinde dixit: NEQUE
INTELLIGERE, IN QUO SUNT, etc. Idest, neque res intellecte, in
quibus est verum in maiori parte et non verum in maiori
parte, secundum quod sunt contraria, sunt eadem
cum contrariis que sunt in sensu, scilicet in quorum altero
est verum in maiori parte, et in altero error in maiori
parte. Sensus enim semper dicit verum in rebus propriis,
et falsum in universalibus; intellectus autem econtrario
verum in universalibus, et falsum in propriis.
Et etiam sensus in rebus propriis magis durat sua veritas
quam intellectus in rebus universalibus. Et ideo
dixit SEMPER cum dixit: SENTIRE ENIM PROPRIA VERUM EST SEMPER;
et dixit post: DISTINGUERE AUTEM POTEST FALSARI.

153. YMAGINATIO AUTEM EST ALIUD A SENSU ET ALIUD
A DISTINCTIONE. ET HOC NON FIT SINE SENSU, ET SINE
HOC NON FIT CONSILIUM. QUONIAM AUTEM NON
EST CUM INTELLIGERE ET CONSILIARI IDEM MANIFESTUM
EST. ISTA ENIM PASSIO NOBIS EST QUANDO VOLUERIMUS;
POSSUMUS ENIM PONERE IN DIRECTO OCULORUM NOSTRORUM,
SICUT RES DEPOSITE IN CONSERVATIONE,
ET FINGERE FORMAS. EXISTIMARE AUTEM
NON EST NOBIS; NECESSE EST ENIM AUT FALSARI
AUT VERARI.

427b14

427b15

427b20

427b21

Cum declaravit quod distinctio non est nisi in habente
rationalitatem, incepit declarare quod distinctio que

reputatur in quibusdam animalibus esse ratio non est nisi distinctio que fit ab ymaginatione, et quod ymaginatio non est neque sensus neque intellectus. Et dixit: YMAGINATIO AUTEM ALIUD EST A SENSU, etc. Idest, et distinguere non invenitur nisi in habente rationem; ymaginari enim aliud est a sentire et a distinguere per intellectum, et ymaginari non fit absque sentire, et absque ymaginari non fit consiliari. Et quasi innuit hic alietatem istarum trium virtutum secundum prius et posterius in Natura. Si enim sensus fuerit, non sequitur ut sit ymaginatio, sed si ymaginatio erit, sensus erit; et similiter, si intellectus fuerit, erit ymaginatio, et non e contrario. Deinde dixit: QUONIAM AUTEM NON EST CUM INTELLECTU ET CONSILIO IDEM, etc. Et iste sermo manifestus est. Deinde dixit: ISTA ENIM PASSIO EST NOBIS, etc. Idest, ymaginatio enim est voluntaria nobis; cum enim voluerimus ymaginari res depositas in virtute conservativa quas prius sensimus, poterimus facere. Et hoc intendebat cum dixit: POSSUMUS ENIM PONERE, etc. Idest, et possumus etiam per hanc virtutem fingere formas ymaginabiles, quarum individua nunquam sensimus. Deinde dixit: EXISTIMARE AUTEM, etc. Idest, existimare autem non est voluntarium. Et hoc intendebat cum dixit: NECESSE EST ENIM AUT VERUM AUT FALSUM. Idest, contingit enim nobis necessario aut existimare verum aut falsum, et non est sic in ymaginatione. Et ista est una rationum ex quibus apparet ymaginari esse aliud ab intelligere.

154. ET ETIAM, CUM NOS EXISTIMAVERIMUS ALIQUOD VALDE TIMOROSUM, STATIM PATIEMUR; ET SIMILITER SI EXISTIMAVERIMUS ALIQUOD AUDACTIVUM. 427b21
 PER YMAGINATIONEM AUTEM DISPOSITIO NOSTRA ERIT SICUT DISPOSITIO NOSTRA SI VIDERIMUS RES IN FORMIS RERUM TIMOROSARUM AUT AUDACTIVARUM.
 ET DIFFERENTIE IPSIUS CONSILII SUNT SCIENTIA ET 427b25
 EXISTIMATIO ET INTELLECTUS, ET CONTRARIA ISTIS. ET SERMO
 DE DIFFERENTIIS ISTORUM SIT IN ALIO LOCO. 427b26

Hoc quod dixit manifestum est. Et est alia ratio quod ymaginatio est alia a consilio et existimatione. Quoniam, cum nos existimaverimus aliquod timorosum futurum, quoquo modo nos patimur passione aliqua, sed non passione ac si illud timorosum esset presens. Et similiter cum nos existimaverimus aliquod audactivum futurum, statim patiemur, sed non passione quali illo audactivo existente in presenti. Cum autem ymaginati fuerimus illud timorosum, statim patiemur quasi presens. Et intendit hic per CONSILIUM fidem. Et locus in quo promisit loqui de istis differentiis videtur michi esse liber de Sensu et Sensato; illic enim loquitur de rebus particularibus istarum virtutum, et in omnibus accidentibus earum postremis.

155. ET QUIA INTELLIGERE ALIUD EST A SENTIRE, ET 427b27
 EXISTIMATUR QUOD INTELLIGERE QUODDAM EST YMAGINARI ET
 QUODDAM CONSILIARI, DETERMINANDUM EST PRIUS DE

YMAGINTIONE; DEINDE LOQUEMUR DE ALIA INTENTIONE.

DICAMUS IGITUR QUOD, SI YMAGINATIO EST QUE FIT
QUE DICITUR YMAGINARI NON SECUNDUM SIMILITUDINEM,
EST ALIQUA VIRTUS ISTARUM VIRTUTUM, AUT DISPOSITIO,
PER QUAM INNUIMUS ET

428a1

DICIMUS VERUM AUT FALSUM. ET EX ISTIS EST SENSUS
ET EXISTIMATIO ET SCIENTIA ET INTELLECTUS.

428a5

Cum complevit sermonem de sensu, incepit post loqui
de virtute ymaginativa. Et dixit: ET QUIA INTELLIGERE, etc. Idest,
et quia manifestum est, aut prope, quod intelligere est aliud
a sentire, sed non est ita manifestum intelligere esse
aliud ab ymaginatione (existimatur enim quod actionum
intellectus quedam est ymaginari, quedam credere, et
quod nulla est differentia inter ymaginationem et intellectum);
quapropter determinandum est prius de virtute
ymaginationis; deinde postea loquemur de virtute rationabili.
Deinde dixit: DICAMUS IGITUR QUOD, SI EST YMAGINATIO, etc. Idest,
dicamus igitur quod, si est actio que fit in nobis que dicitur
ymaginatio non secundum similitudinem, sicut dicitur sensus
falsus multotiens, necesse est ut sit aut aliqua istarum
virtutum comprehensivarum distinctivarum, scilicet aut sensus
aut existimatio aut scientia aut intellectus, aut virtus
alia ab istis virtutibus et dispositio alia ab istis
dispositionibus, per quam experimentamur entia, idest eligimus
ea; et est unum eorum per que debemus dicere
verum aut falsum. Deinde incepit declarare quod non

est aliqua istarum virtutum. Et intendit per INTELLECTUM,
ut michi videtur, primas propositiones, et per
SCIENTIAM illud quod provenit ab eis.

156. QUONIAM AUTEM NON EST SENSUS DECLARATUM
EST EX ISTIS REBUS, SI SENSUS EST AUT POTENTIA
AUT ACTUS, V.G. VISUS AUT VISIO, ET QUANDOQUE
YMAGINATUR ALIQUID QUOD EST NEUTRUM,
V.G. QUOD YMAGINATUR IN SOMPNO. ET AMPLIUS,
SENSUS SEMPER EST PRESENS, YMAGINATIO AUTEM
NON. ET SI ESSET IN ACTU IDEM, TUNC ESSET POSSIBILE
UT YMAGINATIO ESSET OMNIBUS BESTIIS ET
REPTILIBUS, QUOD NON EXISTIMATUR, V.G. FORMICIS
APIBUS ET VERMIBUS. ET AMPLIUS, ILLE SEMPER
EST VERUS; YMAGINATIO AUTEM EST FALSA IN MAIORI
PARTE. ET AMPLIUS, CUM IN REI VERITATE SCIMUS
HOC SENSIBILE ESSE HOMINEM, NON DICIMUS
NOS YMAGINARI HOC ESSE HOMINEM; HOC ENIM NON
DICIMUS NISI QUANDO NON MANIFESTE FUERIT HOMO,
ET TUNC ERIT AUT VERUM AUT FALSUM. ET EX
EIS QUE PRIUS DIXIMUS EST QUOD ETIAM CLAUSIS
OCULIS YMAGINATUR YMAGINATIONIBUS.

428a5

428a10

428a15

428a16

Quoniam autem ymaginatio non est sensus declarabitur
ex istis rebus quas dicemus. Quarum una est
quia sensus est duobus modis, scilicet aut in potentia (v.g. visus

CONSEQUITUR, etc. Idest, sed existimationem semper consequitur fides, quare, si ymaginatio esset existimatio,

Page 369

contingeret ut omne ymaginans haberet fidem. Sed multa ymaginantur, tamen non habent fidem; nullum enim brutorum habet fidem, licet plura eorum ymaginantur. Deinde dixit: OMNEM IGITUR EXISTIMATIONEM, etc. Idest, et quia omne existimans est credens, et omne credens sibi sufficit, et omne quod sibi sufficit habet rationem, necesse est ut omne existimans habeat rationem. Et si ymaginatio esset existimatio, tunc omne ymaginans haberet rationem; sed multa brutorum et reptilium videntur habere ymaginationem sed non rationem omnino; ergo ymaginatio non est existimatio.

158. ET MANIFESTUM EST QUOD YMAGINATIO IMPOSSIBILE	428a24
EST UT SIT EXISTIMATIO CUM SENSU, NEQUE	428a25
COMPOSITIO EXISTIMATIONIS ET SENSUS, EX	
ISTIS REBUS ET EX HOC QUONIAM MANIFESTUM EST QUOD	
EXISTIMATIO NON EST ALICUIUS ALTERIUS AB EO CUIUS EST	
SENSUS ETIAM, SCILICET SI COMPOSITIO QUE FIT EX	
EXISTIMATIONE ALBI ET SENSU EIUS EST YMAGINATIO.	
IMPOSSIBILE EST ENIM UT SIT EX EXISTIMATIONE BONI ET	428a30
SENSU ALBI, SED YMAGINATIO EST EXISTIMATIO EIUS	
QUOD SENTITUR NON ACCIDENTALITER.	428b2

Cum declaravit quod impossibile est ut ymaginatio sit existimatio aut sensus aut scientia aut intellectus, et universaliter aliqua virtutum rationis, incepit declarare etiam quod non est compositum ex existimatione et sensu, ut dicebant quidam Antiquorum. Et dixit: ET MANIFESTUM

Page 370

EST QUOD YMAGINATIO, etc. Idest, et manifestum est quod ymaginatio non est existimatio coniuncta cum sensu, neque virtus composita ex existimatione et sensu, ex sermonibus predictis in quibus declaravimus quod ymaginatio non est aliqua istarum virtutum. Quoniam, si esset composita ex eis, contingeret ut vere dicerentur de ea proprietates illarum virtutum ex quibus componitur modo medio. Compositum enim ex aliquibus necesse est ut in eo existant quoquo modo existentia in componentibus. Et ex hoc etiam quia manifestum est quod existimatio vere non esset alicuius nisi eius cuius est sensus, sed deberent esse eiusdem intentionis, scilicet si compositio que fit ex existimatione albi et eius sensu, ut quidam dicebant, esset ymaginatio. Et innuit Platonem opinantem, ut reputo, quod ymaginatio est ut in eodem componentur nobis existimatio et sensus insimul. Deinde dixit: IMPOSSIBILE EST ENIM UT SIT, etc. Idest, existimatio enim est boni, et sensus albi, et impossibile est ut ymaginatio sit composita ex existimatione eius quod est idem esse album et bonum. Existimatio enim et sensus, secundum hunc modum, non erunt eiusdem nisi accidentaliter; ymaginatio autem apud eos est existimatio et sensus eiusdem rei non accidentaliter. Et est necessarium ut sit ita, quoniam, si ymaginatio est eiusdem

rei (et hoc manifestum est), et componitur ex existimatione et sensu, necesse est ut existimatio et sensus sint eiusdem rei essentialiter.

159. ET YMAGINAMUR ETIAM RES FALSAS, ET CUM HOC HABEMUS
IN EIS OPINIONEM VERAM, V.G. QUONIAM

428b2

Page 371

NOS YMAGINAMUR QUANTITATEM SOLIS ESSE PEDALEM,
ET CREDIMUS IPSUM ESSE MAIOREM TERRA.
CONTINGIT IGITUR AUT UT HOMO PROIICIAT EXISTIMATIONEM
QUAM HABEBAT, ET EST SALVA SALUTE
REI, SINE VIGILIA ET SINE SUFFICIENTIA ECONTRARIO,
AUT, SI FUERIT PERMANENS ADHUC IN IPSA,
NECESSARIO HOC IDEM ERIT VERUM ET FALSUM. SED
NON EFFICITUR FALSUM NISI QUANDO RES TRANSMUTATUR
ABSQUE EO QUOD SIT PERCEPTA.

428b5

428b9

Et signum eius quod existimatio et sensus non sunt
eiusdem rei comprehensibilis est quod multotiens contradicunt
sibi in eadem re. Sentimus enim res falsas, et
cum hoc habemus in eis opinionem veram, v.g.
quod visibiliter sentimus quantitatem solis esse pedalem,
et cum hoc opinamur vere solem esse maiorem
terra. Deinde dixit: CONTINGIT IGITUR AUT UT HOMO PROIICIAT,
etc. Idest, contingit igitur, si existimatio et sensus in talibus
rebus sint eiusdem comprehensibilis, aut ut homo proiiciat
opinionem veram in istis rebus, licet opinio sit salva,
non transmutata propter rei transmutationem de
qua est opinio ab aliqua dispositione in aliam, neque propter
hoc quod opinans etiam transmutatur propter aliquam
infirmiorem aut vigiliam aut argumentum
quod induxit conclusionem contrarii, sed transmutata
per se, cum sensus et existimatio quasi sunt idem, quia
sunt eiusdem; dico, ut proiiciat, aut ut remaneat in ea

Page 372

credendo duo contraria insimul, et erit res in se vera et
falsa insimul in eodem tempore. Deinde dixit: SED NON EFFICITUR
FALSA NISI QUANDO RES TRANSMUTATUR. Idest, et impossibile
est ut opinio vera revertatur et fiat falsa per se, sed
non fit falsa nisi quando res transmutatur in se absque eo quod
illa sit percepta. Et cum impossibile est ut eadem res sit
vera et falsa, et est impossibile ut verum transmutetur
ex se sine transmutatione rei, ergo impossibile est ut
existimatio et sensus sint eiusdem rei.

160. YMGINATIO IGITUR NON EST ALIQUA ISTARUM,
NEQUE EX EIS, SED SICUT ALIQUID MOVETUR PER MOTUM
ALTERIUS, ET YMAGINATIO EXISTIMATUR ESSE
MOTUS, ET IMPOSSIBILE EST UT SIT SINE SENSU, SED
IN EIS QUE SENTIUNTUR ET IN EIS QUE HABENT SENSUM,
ET FIT ETIAM MOTUS AB ACTIONE SENSUS.

428b9

428b10

428b14

Cum destruxit ymginationem esse aliquam istarum
virtutum aut compositam ex eis, incepit demonstrare
substantiam et essentiam eius. Et dixit: YMAGINATIO ERGO,

etc. Idest, declaratum est igitur ex hoc sermone quod ymaginatio non est aliqua istarum virtutum, neque composita ex eis, sed substantia istius virtutis est quod dico. Quoniam, si sunt quedam que moventur ab aliis et movent alia, et ymaginatio videtur esse virtus mobilis et passiva ab alio, et impossibile est ut sit sine sensu, sed est in rebus sensibilibus et in animalibus habentibus sensum perfectum, et possibile est ut motus fiat a sensu qui est in actu, necesse est ut ymaginatio in actu nichil aliud sit nisi perfectio istius virtutis per intentiones.

Page 373

sensibiles existentes in sensu secundum modum secundum quem sensus perficiuntur per sensibilia que sunt extra animam, et quod prima perfectio istius partis anime sit virtus que innata est se assimilare sensationibus que sunt in ipso sensu communi. Sed Aristoteles propalavit in hoc sermone precedens, et tacuit consequens, quia est manifestum, et quia post declarabit ipsum modo perfectiori; et ideo dimisit illud in hoc loco.

161. ET OPORTET UT ISTE SIT SIMILIS SENSUI (ISTE ENIM	428b14
MOTUS IMPOSSIBILE EST UT SIT EXTRA SENSUM, AUT UT	428b15
SIT IN CARENTE SENSU), ET UT SIT ILLUD QUOD HABET	
IPSUM AGENS ET PATIENS MULTAS RES; ET ERIT VERUS	
ET FALSUS. ET CONTINGIT HOC PROPTER HOC	
QUOD NARRABO. SENSUS RERUM PROPRIARUM EST	
VERUS, ET FERE NON CADIT IN IPSUM FALSITAS. DEINDE	
POST SENSUS REI QUAM SEQUUNTUR ISTA; ET	428b20
IN HOC LOCO POTEST FALSARI; V.G. HOC ESSE ALBUM;	
IN HOC ENIM NON FALSAT; QUONIAM AUTEM ALBUM	
EST HOC AUT ALIUD FALSATUR. DEINDE TERTIUS SENSUS,	
ET EST SENSUS COMMUNIIUM CONSEQUENTIUM RES	
QUAS CONSEQUUNTUR PROPRIA, ET SUNT EA QUORUM	
ESSE EST PROPRIORUM IN EIS, ET DICO MOTUM	
ET QUANTITATEM, ET SUNT EA QUE CONTINGUNT	
SENSIBILIBUS. ET IN ISTIS PROPRIE CADIT ERROR. SENSUS	428b25
IGITUR ET MOTUS QUI FIUNT AB ACTU DIFFERUNT	
A SENSU, ET DIFFERUNT AB ISTIS TRIBUS MODIS	
SENSUS. PRIMUS IGITUR, QUANDO SENSUS FUERIT	
PRESENTS, ERIT VERUS; ET ALIUS FALSATUR SIVE FUERIT	
PRESENTS SIVE ABSENS, ET MAXIME QUANDO SENSIBILE	

Page 374

FUERIT REMOTUM. SI IGITUR QUOD NARRAVIMUS	428b30
NON EST ALIO MODO QUAM DIXIMUS, ET ILLUD	
QUOD NARRATUM EST EST YMAGINATIO, YMAGINATIO	
IGITUR EST MOTUS A SENSU QUI EST IN ACTU.	429a2

Et necesse est, si ymaginatio est motus a sensu in actu, ut iste motus qui est ymaginatio sit similis sensui in eis que contingunt sensui, et quod sit impossibile ut iste motus sit extra sensum aut extra animalia, et sint ea que habent hanc virtutem ex animalibus agentia per illam et patientia multas res, et sit vera et falsa, sicut est de sensu. Deinde dixit: ET CONTINGIT HOC, etc. Idest, et contingit ut in ymaginatione accidat verum et falsum

cum sit motus a sensu qui est in actu, ex hoc quod narrabo de hoc quod accidit in sensu. Sensus enim quidam est verus in maiori parte, et est sensus qui est rerum propriarum, v.g.: hoc est album aut nigrum. Et quidam est falsus in maiori parte, et est duobus modis, scilicet sensus sensibilibus accidentalium, v.g. quod iste albus est Socrates vel Plato, et sensus sensibilibus communium, v.g. quantitatis et motus; quoniam in hiis duobus modis sensibilibus cadit error. Et cum ita sit, necesse est ut ymaginationi accadat de hoc illud quod accidit sensui, et plus. Primo autem quia motus qui fit in ymaginatione a sensu qui est in actu differt a motu qui fit in sensu a sensibilibus apud absentiam sensibilibus, et propter hoc accidit falsitas ymaginationi. Secundo vero quia motus istorum trium modorum sensus ad virtutem ymaginativam differunt abinvicem: ymaginatio autem que est sensibilibus propriarum, quando sensus

Page 375

comprehendit ea prius, omni modo est vera; ymaginatio autem que est aliorum modorum sensibilibus, licet comprehendat ea, est falsa, cum sensus errat in eis. Deinde dixit: SENSUS IGITUR ET MOTUS QUI FIUNT AB ACTU DIFFERUNT A SENSU. Idest, ut michi videtur, comprehensio igitur et motus qui fit a sensu in actu que sunt ymaginatio differunt a sensu in actu in eo quod invenitur de veritate et in sensu. Et intendebat per hoc quod sensus est verus, et cum sensibile absentaverit se, forte transmutabuntur illa signa remanentia ex eo in sensu communi, et hoc erit causa erroris virtutis ymaginative, licet sensus fuerit verus. Deinde dixit: ET DIFFERUNT AB ISTIS TRIBUS, etc. Idest, et differt iste motus qui fit ex tribus modis sensus in actu, scilicet qui fit in virtute ymaginativa, ab istis tribus modis sensus. Motus igitur qui fit a sensu qui fit a primis sensibilibus propriis erit verus, quando sensus fuerit presens, idest quando sensus eorum in actu precedit ymaginationem; duo autem alii motus, qui fiunt a duobus aliis modis sensus in actu, qui fit a duobus aliis modis sensibilibus, falsatur, licet sit presens sensus et senserit illa ante ymaginationem, et maxime quando tempus comprehensionis sensibilis a sensu fuerit remotum.

Et quia necesse est, si ymaginatio est motus a sensu in actu, ut ymaginatio sit similis sensui in omnibus suis dispositionibus, et ut sit possibile reddere causas omnium apparentium in ea per sensum, et si fuerit similis sensui in omnibus suis dispositionibus, ut sit motus a sensu in actu; et apparet quod est similis; et iam apparuit etiam ex hoc sermone quod causas omnium apparentium in ea possumus

Page 376

reddere secundum quod est motus a sensu, et quod impossibile est reddere eas per aliam virtutem; et tunc, quia necesse est hoc totum, congregavit omnia que dixit, et dedit conclusionem quam intendebat. Et dixit: SI IGITUR QUOD NARRAVIMUS, etc. Idest, si igitur hoc quod narravimus de hac parte anime videtur esse, et omnia que contingunt

ita quod animal per hoc habet esse nobilissimum in habendo salutem. Deinde dixit: QUORUM QUEDAM QUIA NON HABENT INTELLECTUM, etc. Idest, et quedam animalia agunt per hanc virtutem quia non habent intellectum, et habent istam virtutem loco intellectus in acquirendo salutem; et quedam agunt per illam quando intellectus fuerit sincopizatus ab infirmitate aut alio, et sunt animalia habentia intellectum, ut homines; tunc enim est eis loco intellectus. Hic igitur est sermo de ymaginatione, quid est, et quare; et hec duo naturaliter sunt desiderata.

Page 379

AVERROIS CORDVBENSIS

COMMENTARIUM MAGNUM

IN ARISTOTELIS DE ANIMA LIBRUM TERTIUM

iii.4

1. DE PARTE AUTEM ANIME

429a10

PER QUAM ANIMA COGNOSCIT ET INTELLIGIT (UTRUM EST DIFFERENS AUT NON DIFFERENS IN MAGNITUDINE, SED IN INTENTIONE) PERSCRUTANDUM EST DE DIFFERENTIA QUE SIT, ET QUOMODO SIT FORMARE PER INTELLECTUM.

429a13

Cum complevit sermonem de virtute ymaginativa, que sit, et quare, incepit perscrutari de rationabili, et querere in quo differt ab aliis virtutibus comprehensivis, scilicet virtute sensus et ymaginationis; et hoc in prima et ultima perfectione, et in actione et passione propria, cum necesse est ut virtutes diverse diversentur in hiis duobus, et cum in hiis duobus fuerint diverse, manifestum est quod necesse est ut diversentur in qualitate actionis, si fuerint active, aut passionis, si passive, aut in utroque, si utrunque. Et quia intentio eius est talis, incepit primo demonstrare quod esse istius virtutis, scilicet ipsam esse diversam ab aliis virtutibus anime, manifestum est per se, cum per hanc virtutem differt homo ab aliis animalibus, ut dictum est in multis locis. Et hoc quod est dubium, utrum differt ab aliis virtutibus in subiecto sicut in intentione, aut tantum differt in intentione, non est necessarium ad presciendum

Page 380

in hac perscrutatione, sed forte ex hac perscrutatione declarabitur quomodo est. Et dixit: DE PARTE AUTEM ANIME, etc. Idest, pars autem anime qua comprehendimus comprehensione que dicitur cognoscere et intelligere, cum manifesta est esse diversa ab aliis virtutibus, et ignorare primo utrum differt ab aliis virtutibus anime subiecto et intentione (ut Plato et alii dicbant quod subiectum istius virtutis in corpore aliud est a subiecto aliarum), aut non differt ab aliis in subiecto, sed tantum in intentione, non nocet in hac perscrutatione quam intendimus, modo perscrutandum est de differentia qua ista virtus differt ab aliis. Deinde

dixit: ET QUOMODO EST FORMARE PER INTELLECTUM. Idest,
et prius est perscrutandum quomodo est formare per
intellectum, utrum sit actio aut receptio; scire enim actiones
anime prius est apud nos quam scire eius substantiam.
Et videtur quod intendebat hic per COGNOSCERE
cognitionem speculativam, et per INTELLIGERE cognitionem
operativam, cum intellectus sit communis omnibus,
cognitio autem non.

2. DICAMUS IGITUR QUOD, SI FORMARE PER INTELLECTUM
EST SICUT SENTIRE, AUT PATIETUR QUOQUO MODO
AB INTELLECTO, AUT ALIUD SIMILE.

429a13

429a15

Cum narravit quod principium perscrutationis de
substantia huius virtutis est perscrutari de genere huius
actionis que est formare per intellectum, et scire genus
precedit scire differentiam, incepit primo dubitare.

Page 381

in hoc utrum formare per intellectum sit de virtutibus
passivis, sicut est sensus, aut de activis; et si est de passivis,
utrum est passivum propter hoc quod est materiale
quoquo modo et mixtum cum corpore, idest virtus
in corpore, sicut sensus est passivus, aut nullo modo
est passivum, quia non est materiale neque mixtum cum
corpore omnino, sed de intentione passionis tantum habet
receptionem. Et dixit: DICAMUS IGITUR QUOD, SI FORMARE,
etc. Idest, dicamus igitur quod, si posuerimus quod
formare per intellectum est sicut sentire, scilicet de virtutibus
passivis, adeo quod prima virtus intellectiva
recipiat intellecta et comprehendat ea quemadmodum
virtus sentiens recipit sensibilia et comprehendit ea,
necesse est alterum duorum: aut ut accidat ei aliqua
transmutatio et passio ab intellectu similis transmutationi
que accidit sensui a sensato, quia perfectio sensus
est virtus in corpore, aut ut non accidat ei transmutatio
similis transmutationi sensuum et passioni eorum
a sensato, quia prima perfectio intellectus non est virtus
in corpore; immo hoc non accidit ei omnino. Et hoc
intendebat cum dixit: AUT ALIUD SIMILE. Idest, aut non patiatur
passione equali passioni sensus; scilicet, non accidit
ei transmutatio similis transmutationi que accidit sensui,
sed solum assimilatur sensui in receptione, quia non
est virtus in corpore.

3. OPORTET IGITUR UT SIT NON PASSIVUM, SED RECIPIT
FORMAM, ET EST IN POTENTIA SICUT ILLUD, NON
ILLUD. ET ERIT DISPOSITIO EIUS SECUNDUM SIMILITUDINEM:
SICUT SENTIENS APUD SENSIBILIA, SIC INTELLECTUS
APUD INTELLIGIBILIA.

429a15

429a18

Page 382

Cum narravit quod primo necesse est perscrutari de
hac actione que est formare per intellectum utrum
est passiva aut activa, incepit ponere illud quod vult
declarare, scilicet ipsum esse de virtute passiva quoquo
modo, et quod non est transmutabile, quia neque est corpus

neque virtus in corpore. Et dixit: OPORTET IGITUR
UT SIT NON PASSIVUM, etc. Idest, et cum bene fuerit perscrutatum
de hoc, apparebit quod necesse est quod ista
pars anime per quam fit formare est virtus non transmutabilis
a forma quam comprehendit, sed non habet
de intentione passionis nisi hoc tantum quod recipit formam
quam comprehendit, et quia est in potentia illud
quod comprehendit, sicut sentiens, non quia est aliquid
hoc in actu, aut corpus aut virtus in corpore, sicut est
sentiens. Et hoc intendebat cum dixit: ET EST IN POTENTIA
SICUT ILLUD, NON ILLUD. Idest, et est in potentia sicut sensus, non
quia illa virtus est aliquid hoc, aut corpus aut virtus
in corpore. Deinde dixit: ET ERIT ESSENTIA EIUS SECUNDUM
EXEMPLUM SICUT SENSUS APUD SENSIBILIA. Et potest intelligi
sic: et necesse est ut sit de virtutibus passivis ita
quod proportio sensus ad sensibilia sit sicut proportio
intellectus ad intelligibilia. Et secundum hoc in ordine
sermonis erit transpositio, et tunc debet legi sic: Oportet
igitur ut dispositio eius sit secundum similitudinem: sicut
sensus apud sensibilia, sic intellectus apud intelligibilia;
et ut non sit passivum passione sicut passione sensuum,
sed recipit formam et est in potentia sicut illud, non illud.
Et potest intelligi: et dispositio eius erit secundum
hunc modum: sicut sentiens apud sensibilia, sic intellectus
ad intelligibilia, idest quod ponere ipsum non

Page 383

passivum non contradicit huic quod proportio eius ad
intellectum sit sicut proportio sentientis ad sensatum,
sed forte concedendo ipsum habere hanc proportionem,
erit necesse ut sit non transmutabile. Et coegit nos ad
illam expositionem hoc quod intellectum habere hanc
proportionem manifestum est per se, aut prope, cum hoc
quod est quasi principium ad sciendum ipsum esse non
passivum neque transmutabile.

4. OPORTET IGITUR, SI INTELLIGIT OMNIA, UT SIT
NON MIXTUM, SICUT DIXIT ANAXAGORAS, UT IMPERET,
SCILICET UT COGNOSCAT. SI ENIM IN EO APPARUERIT,
APPARENS IMPEDIET ALIENUM, QUIA
EST ALIUD.

429a18

429a20

Cum posuit quod intellectus materialis recipiens debet
esse de genere virtutum passivarum, et quod cum hoc
non transmutatur apud receptionem, quia neque est corpus
neque virtus in corpore, dedit demonstrationem
super hoc. Et dixit: NECESSE EST IGITUR, SI INTELLIGIT, etc.
Idest, necesse est igitur, si comprehendit omnia existentia extra
animam, ut ante comprehensionem sit nominatus
ex hoc modo in genere virtutum passivarum, non activarum,
et ut sit non mixtus cum corporibus, scilicet
neque corpus neque virtus in corpore naturalis aut animalis,
sicut dixit Anaxagoras. Deinde dixit: UT COGNOSCAT,
etc. Idest, et necesse est ut sit non mixtus, ut comprehendat
omnia et recipiat ea. Si enim fuerit mixtus,
tunc erit aut corpus aut virtus in corpore, et si fuerit

alterum istorum, habebit formam propriam, que forma impedit eum recipere aliquam formam alienam.

Et hoc intendebat cum dixit: SI ENIM APPARUERIT IN EO, etc. Idest, si enim habuerit formam propriam, tunc illa forma impedit eum a recipiendo formas diversas extraneas, quia sunt alie ab ea. Et modo considerandum est in hiis propositionibus quibus Aristoteles declaravit hec duo de intellectu, scilicet ipsum esse in genere virtutum passivarum, et ipsum esse non transmutabile, quia neque est corpus neque virtus in corpore. Nam hec duo sunt principium omnium que dicuntur de intellectu. Et sicut Plato dicit, maximus sermo debet esse in principio; minimus enim error in principio est causa maximi erroris in fine, sicut dicit Aristoteles.

Dicamus igitur: quoniam autem formare per intellectum est aliquo modo de virtutibus receptivis, sicut est de virtute sensus, manifestum est ex hoc. Virtutes enim passive sunt mobiles ab eo cui attribuuntur; active autem movent illud cui attribuuntur. Et quia res non movent nisi secundum quod est in actu, et movetur secundum quod est in potentia, necesse est, inquantum forme rerum sunt in actu extra animam, ut moveant animam rationalem secundum quod comprehendit eas, quemadmodum sensibilia, inquantum sunt entia in actu, necesse est ut moveant sensus et ut sensus moveantur ab eis. Et ideo anima rationalis indiget considerare intentiones que sunt in virtute ymaginativa, sicut sensus indiget inspicere sensibilia. Sed cum videtur quod forme rerum extrinsecarum movent hanc virtutem ita quod mens aufert eas a materiis, et facit eas primo intellecta

in actu postquam erant intellecta in potentia, ex hoc modo videtur quod ista anima est activa, non passiva. Secundum igitur quod intellecta movent eam, est passiva, et secundum quod moventur ab ea, est activa. Et ideo dicit Aristoteles post quod necesse est ponere in anima rationali has duas differentias, scilicet virtutem actionis et virtutem passionis. Et dicit aperte quod utraque pars eius est neque generabilis neque corruptibilis, ut post apparebit. Sed hic incepit notificare substantiam huius virtutis passive, cum hoc est necesse in doctrina. Ex hoc igitur declaratur quod hec differentia, scilicet passionis et receptionis, existit in virtute rationali.

Quoniam autem substantia recipiens has formas necesse est ut non sit corpus neque virtus in corpore manifestum est ex propositionibus quibus Aristoteles usus est in hoc sermone. Quarum una est quod ista substantia recipit omnes formas materiales; et hoc notum est de hoc intellectu. Secunda autem est quod omne recipiens aliquid necesse est ut sit denudatum a natura recepti, et ut sua substantia non sit substantia recepti in specie. Si enim recipiens esset de natura recepti, tunc res reciperet

se, et tunc movens esset motum. Unde necesse est ut sensus recipiens colorem careat colore, et recipiens sonum careat sono. Et hec propositio est necessaria et sine dubio. Et ex hiis duabus sequitur quod ista substantia que dicitur intellectus materialis nullam habet in sui natura de formis materialibus istis. Et quia forme materiales sunt aut corpus aut forme in corpore, manifestum est quod ista substantia que dicitur intellectus materialis.

Page 386

neque est corpus neque forma in corpore; est igitur non mixtum cum materia omnino. Et debes scire quod illud quod dedit hoc necessario est, quia ista substantia est, et quod est recipiens formas rerum materialium vel materiales non habet in se formam materiale, scilicet compositam ex materia et forma. Neque est etiam aliqua forma formarum materialium; forme enim materiales non sunt separabiles. Neque est etiam ex formis primis simplicibus; ille enim sunt separabiles, sed non...recipit formas nisi diversas, et secundum quod sunt intellecte in potentia, non in actu. Est igitur aliud ens a forma et materia et congregato ex eis. Utrum autem hec substantia habeat formam propriam diversam in esse a formis materialibus adhuc non declaratur ex hoc sermone. Propositio enim dicens quod recipiens debet esse denudatum a natura recepti intelligitur a natura speciei illius recepti, non a natura sui generis, et maxime remoti, et maxime eius quod dictum est per equivocationem. Et ideo diximus quod in sensu tactus invenitur medium inter contraria que comprehendit; contraria enim alia sunt in specie a mediis. Et cum talis est dispositio intellectus materialis, scilicet quod est unum entium, et quod potentia est abstracta, et non habet formam materiale, manifestum est ipsum esse non passivum, cum passiva, scilicet transmutabilia, sunt sicut forme materiales, et quod est simplex, sicut dicit Aristoteles, et separabilis. Et sic intelligitur natura intellectus materialis apud Aristotelem; et post loquemur de eius dubiis.

Page 387

5. ET SIC NON HABEBIT NATURAM NISI ISTAM, SCILICET
QUOD EST POSSIBILIS. ILLUD IGITUR DE ANIMA
QUOD DICITUR INTELLECTUS (ET DICO INTELLECTUM
ILLUD PER QUOD DISTINGUIMUS ET COGITAMUS)
NON EST IN ACTU ALIQUOD ENTIIUM ANTEQUAM
INTELLIGAT.

429a21

429a24

Cum declaravit quod intellectus materialis non habet aliquam formam materialium, incepit diffinire ipsum hoc modo, et dixit quoniam non habet naturam secundum hoc nisi naturam possibilitatis ad recipiendum formas intellectas materiales. Et dixit: ET SIC NULLAM HABET NATURAM, etc. Idest, illud igitur ex anima quod dicitur intellectus materialis nullam habet naturam et essentiam qua constituatur secundum quod est materialis nisi naturam possibilitatis, cum denudetur ab omnibus formis materialibus et intelligibilibus.

Deinde dixit: ET DICO INTELLECTUM, etc. Idest, et intendo per INTELLECTUM hic virtutem anime que dicitur intellectus vere, non virtutem que dicitur intellectus large, scilicet virtutem ymaginativam, in lingua Greca, sed virtutem qua distinguimus res speculativas et cogitamus in rebus operativis futuris. Deinde dixit: NON EST IN ACTU ALIQUOD ENTIIUM ANTEQUAM INTELLIGAT. Idest, diffinitio igitur intellectus materialis est illud quod est in potentia omnes intentiones formarum materialium universalium, et non est in actu aliquod entium antequam intelligat ipsum. Et cum ista est diffinitio intellectus materialis, manifestum est quod differt apud ipsum a prima materia in hoc quod iste est in potentia omnes intentiones formarum

Page 388

universalium materialium, prima autem materia est in potentia omnes iste forme sensibiles non cognoscens neque comprehendens. Et causa propter quam ista natura est distinguens et cognoscens, prima autem materia neque cognoscens neque distinguens, est quia prima materia recipit formas diversas, scilicet individuales et istas, ista autem recipit formas universales. Et ex hoc apparet quod ista natura non est aliquid hoc, neque corpus neque virtus in corpore; quoniam, si ita esset, tunc reciperet formas secundum quod sunt diversa et ista, et si ita esset, tunc forme existentes in ipsa essent intellectu in potentia, et sic non distingueret naturam formarum secundum quod sunt forme, sicut est dispositio in formis individualibus, sive spiritualibus sive corporalibus. Et ideo necesse est, si ista natura que dicitur intellectus recipit formas, ut recipiat formas modo alio receptionis [line 46 cont.] ab eo secundum quem iste materie recipiunt formas quarum conclusio materia est terminatio prime materie in eis. Et ideo non est necesse ut sit de genere materiaram istarum in quibus forma est inclusa, neque ipsa prima materia. Quoniam, si ita esset, tunc receptio in eis esset eiusdem generis; diversitas enim nature recepti facit diversitatem nature recipientis. Hoc igitur movit Aristotelem ad imponendum hanc naturam que est alia a natura materie et a natura forme et a natura congregati.

Page 389

Et hoc idem induxit Theofrastum et Themistium et plures expositores ad opinandum quod intellectus materialis est substantia neque generabilis neque corruptibilis. Omne enim generabile et corruptibile est hoc; sed iam demonstratum est quod iste non est hoc, neque corpus neque forma in corpore. Et induxit eos ad opinandum, cum hoc, quod ista est sententia Aristotelis. Ista enim intentio, scilicet quod iste intellectus est talis, bene apparet intuitibus demonstrationem Aristotelis et sua verba; de demonstratione autem secundum quod exposuimus; de verbis vero quia dixit ipsum esse non passivum, et dixit ipsum esse separabile et simplex. Hec enim tria verba usitantur in eo ab Aristotele, et non est rectum, immo est

remotum, uti aliquo eorum in doctrina demonstrativa de generabili et corruptibili.

Sed cum post viderunt Aristotelem dicere quod necesse est, si intellectus in potentia est, ut etiam intellectus in actu sit, scilicet agens (et est illud quod extrahit illud quod est in potentia de potentia in actum), et ut intellectus sit extractus de potentia in actum (et est ille quem intellectus agens ponit in intellectum materiale secundum quod artificium ponit formas artificiales in materia artificis), et cum post hoc viderunt, opinati sunt quod iste tertius intellectus, quem ponit intellectus agens in intellectum recipientem materiale (et est intellectus speculativus), necesse est ut sit eternus; cum enim recipiens fuerit eternum et agens eternum, necesse est ut factum sit eternum necessario. Et quia opinati sunt hoc, contingit ut in rei veritate

Page 390

non sit intellectus agens, neque factum, cum agens et factum non intelligantur nisi cum generatione in tempore. Aut dicatur quod dicere hoc AGENS et hoc FACTUM non est nisi secundum similitudinem, et quod intellectus speculativus nichil aliud est nisi perfectio intellectus materialis per intellectum agentem, ita quod speculativus sit aliquod compositum ex intellectu materiali et intellectu qui est in actu; et hoc quod videtur, quod intellectus agens quandoque intelligit quando fuerit copulatus nobis, et quandoque non intelligit, accidit ei propter mixtionem, scilicet propter mixtionem eius cum intellectu materiali; et quod ex hoc modo tantum fuit coactus Aristoteles ad ponendum intellectum materiale, non quia intelligibilia speculativa sunt generata et facta.

Et confirmaverunt hoc per hoc quod propalavit Aristoteles quod intellectus agens existit in anima nobis, cum videmur denudare formas a materiis primo, deinde intelligere eas. Et denudare eas nichil aliud est nisi facere eas intellectas in actu postquam erant in potentia, quemadmodum comprehendere eas nichil aliud est quam recipere eas.

Et cum viderunt hanc actionem que est creare intellecta et generare ea esse reversam ad nostram voluntatem, et augmentabilem in nobis secundum augmentationem intellectus qui est in nobis, scilicet speculativi, et iam fuit declaratum quod intellectus qui creat et generat intelligibilia et intellecta est intelligentia agens, ideo dixerunt quod intellectus qui est in habitu est iste intellectus, sed accidit ei debilitas quandoque, et quandoque additio, propter mixtionem. Hoc igitur movit Theofrastum

Page 391

et Themistium et alios ad opinandum hoc de intellectu speculativo, et ad dicendum quod hec erat opinio Aristotelis.

Et super hoc sunt questiones non paucae. Quarum

prima est quod hec positio contradicit huic quod Aristoteles posuit, scilicet quod proportio intellecti in actu ad intellectum materiale est sicut proportio sensati ad sentiens. Et contradicit veritati in se. Si enim formare per intellectum esset eternum, oporteret ut formatum per intellectum esset eternum, quapropter necesse esset ut forme sensibiles essent intellecte in actu extra animam, et non materiales omnino; et hoc est contra hoc quod invenitur in istis formis.

Et etiam Aristoteles aperte dicit in hoc libro quod proportio istius virtutis distinguentis rationabilis ad intentiones formarum ymaginatarum est sicut proportio sensuum ad sensata; et ideo anima nichil intelligit sine ymaginatione, quemadmodum sensus nichil sentiunt sine presentia sensibilis. Si igitur intentiones quas intellectus comprehendit ex formis ymaginatis essent eterne, tunc intentiones virtutum ymaginativarum essent eterne. Et si iste essent eterne, tunc sensationes essent eterne; sensationes enim sunt de hac virtute sicut intentiones ymaginabiles de virtute rationabili. Et si sensationes essent eterne, tunc sensata essent eterna, aut sensationes essent intentiones alie ab intentionibus rerum existentium extra animam in materia. Impossibile enim est ponere eas easdem intentiones quandoque eternas et quandoque corruptibiles, nisi esset possibile quod natura corruptibilis transmutaretur et reverteretur eterna. Et

Page 392

ideo necesse est, si iste intentiones que sunt in anima fuerint generabilium et corruptibilium, ut ille etiam sint generabiles et corruptibiles. Et in hoc fuit prolixus sermo in alio loco.

Hoc igitur est unum impossibile quod videntur contradicere huic opinioni, scilicet huic quod posuimus quod intellectus materialis est virtus non facta de novo. Existimatur enim quod impossibile est ymaginari quomodo intellecta erunt facta, et ista non erit facta; quando enim agens fuerit eternum et patiens fuerit eternum, necesse est ut factum sit eternum. Et etiam, si posuerimus factum esse generatum (et est intellectus qui est in habitu), quomodo possumus dicere in eo quod generat et creat intellecta?

Et est secunda questio magis difficilis valde. Et est quod, si intellectus materialis est prima perfectio hominis, ut declaratur de diffinitione anime, et intellectus speculativus est postrema perfectio, homo autem est generabilis et corruptibilis et unus in numero per suam postremam perfectionem ab intellectu, necesse est ut ita sit per suam primam perfectionem, scilicet quod per primam perfectionem de intellectis sit alius a te, et tu alius a me (et si non, tu esses per esse mei, et ego per esse tui, et universaliter homo esset ens antequam esset, et sic homo non esset generabilis et corruptibilis in eo quod homo, sed, si fuerit, erit in eo quod animal). Existimatur enim quod, quemadmodum

necesse est quod, si prima perfectio fuerit
aliquid hoc et numerabilis per numerationem individuorum.

Page 393

ut postrema perfectio sit huiusmodi, ita etiam
necesse est econtrario, scilicet quod, si postrema perfectio
est numerata per numerationem individuorum hominum,
ut prima perfectio sit huiusmodi.

Et alia multa contingunt impossibilia huic positioni.
Quoniam, si prima perfectio esset eadem omnium
hominum, et non numerata per numerationem
eorum, contingeret quod, cum ego acquirerem aliquod
intellectum, et tu etiam acquirereres illud idem, et quando
ego obliviscerer aliquod intellectum, ut tu etiam. Et alia
multa impossibilia contingunt huic positioni. Existimatur
enim quod nulla differentia est inter utranque positionem
in hoc quod contingit de impossibili, scilicet ex
hoc quod ponimus quod postrema et prima perfectio sunt huiusmodi,
scilicet non numerate per numerationem individuorum.
Et cum nos fugerimus omnia ista impossibilia,
continget nobis ponere quod prima perfectio est hec intentio,
scilicet individualis in materia et numerata per numerationem
individuorum hominis et generabilis et corruptibilis.
Et iam declaratum est ex demonstratione
Aristotelis predicta quod non est aliquid hoc,
neque corpus neque virtus in corpore. Quomodo igitur possumus
evadere ab hoc errore, aut qualis est via dissolutionis
istius questionis?

Alexander autem sustentatur super hunc sermonem postremum,
et dicit quod magis convenit Naturalibus, scilicet sermonem
concludentem quod intellectus materialis

Page 394

est virtus generata, ita quod existimamus de eo quod opinatur
et in aliis virtutibus anime, esse preparationes
factas in corpore per se a mixtione et complexione.
Et dicit hoc non esse inopinabile, scilicet ut ex mixtione
elementorum fiat tale esse nobile mirabile, licet sit
remotum a substantia elementorum propter maximam
mixtionem.

Et dat testimonium super hoc esse possibile ex hoc
quod apparet quod compositio que primo cecidit in elementis,
scilicet compositio quatuor qualitatum simplicium, cum
hoc quod est parva illa compositio, est causa maxime diversitatis,
in tantum quod unum est ignis et aliud est aer.

Et cum ita sit, non est remotum ut per multitudinem
compositionis que est in homine et in animalibus fiant
illic virtutes diverse in tantum a substantiis elementorum.

Et hoc aperte et universaliter propalavit in initio
libri sui de Anima, et precepit ut considerans primo de anima
debeat prescire mirabilia compositionis corporis
hominis. Et dixit etiam in tractatu quem fecit de Intellectu

secundum opinionem Aristotelis quod intellectus materialis est virtus facta a complexione. Et hec sunt verba eius:

CUM IGITUR EX HOC CORPORE, QUANDO FUERIT MIXTUM ALIQUA MIXTIONE, GENERABITUR ALIQUID EX UNIVERSO MIXTI ITA QUOD SIT APTUM UT SIT INSTRUMENTUM ISTIUS INTELLECTUS QUI EST IN HOC MIXTO, CUM EXISTIT IN OMNI CORPORE, ET ISTUD INSTRUMENTUM EST ETIAM CORPUS, TUNC DICETUR ESSE INTELLECTUS IN POTENTIA; ET EST VIRTUS FACTA A MIXTIONE QUE CECIDIT IN CORPORIBUS, PREPARATA AD RECIPIENDUM INTELLECTUM QUI EST IN ACTU.

Page 395

Et ista opinio in substantia intellectus materialis maxime distat a verbis Aristotelis et ab eius demonstratione; a verbis autem ubi dicit quod intellectus materialis est separabilis, et quod non habet instrumentum corporale, et quod est simplex et non patiens, idest non transmutabilis, et ubi laudat Anaxagoram in hoc quod dixit quod est non mixtus cum corpore; a demonstratione vero sicut scitum est in hoc quod scripsimus.

Alexander autem exponit demonstrationem Aristotelis a qua conclusit intellectum materiale esse non passivum, neque aliquid hoc, neque corpus neque virtutem in corpore, ita quod intendebat ipsam preparationem, non subiectum preparationis. Et ideo dicit in suo libro de Anima quod intellectus materialis magis assimilatur preparationi que est in tabula non scripta quam tabule preparate; et dicit quod ista preparatio potest dici vere quod non est aliquid hoc, neque corpus neque virtus in corpore, et quod non est passiva.

Sed hoc quod dixit Alexander nichil est. Hoc enim vere dicitur de omni preparatione, scilicet quod neque est corpus neque forma hec in corpore. Quare igitur appropriavit Aristoteles hoc preparationi que est in intellectu inter alias preparationes, si non intendebat demonstrare nobis substantiam preparati sed substantiam preparationis? Sed impossibile est dicere quod preparatio est substantia, cum hoc quod dicimus quod subiectum istius preparationis neque est corpus neque virtus in corpore. Et est illud quod conclusit demonstratio Aristotelis alia intentio ab ea secundum quam dicitur quod preparatio neque est corpus neque virtus in corpore.

Et hoc manifestum est ex demonstratione Aristotelis.

Page 396

Propositio enim dicens quod omne recipiens aliquid necesse est ut in eo non existat in actu aliquid ex natura recepti manifesta est ex eo quod substantia preparati et natura eius querit habere hoc predicatum secundum quod est preparatum. Preparatio enim non est recipiens, sed esse preparationis a recipiente est sicut accidentis proprii. Et ideo, cum fuerit receptio, non erit preparatio, et remanebit recipiens. Et hoc manifestum est et intellectum

ab omnibus expositoribus ex demonstratione Aristotelis.

Aliquid enim esse non corpus neque virtutem in corpore dicitur quatuor modis diversis. Quorum unus est subiectum intellectuum, et est intellectus materialis, cuius esse demonstratum est quid sit. Secundum est ipsa preparatio existens in materiis, et est propinquum modo secundum quem dicitur quod privatio simpliciter neque est corpus neque virtus in corpore. Tertium autem est prima materia, cuius etiam esse demonstratum est. Quartum est forme abstracte, quarum esse est etiam demonstratum. Et omnia ista sunt diversa.

Et induxit Alexandrum ad hanc expositionem remotam manifesti erroris fugere, scilicet a questionibus predictis. Et videmus etiam Alexandrum sustentari in hoc quod prima perfectio intellectus debet esse virtus generata super universales sermones dictos in diffinitione anime, scilicet quia est prima perfectio corporis naturalis organici. Et dicit quod ista diffinitio est vera de omnibus partibus anime eadem intentione. Et dat rationem super hoc: quoniam dicere quod omnes partes anime sunt forme est univocum, aut prope, et quia forma in eo quod est finis habentis

Page 397

formam, impossibile est ut separetur, necesse est, cum prime perfectiones anime sint forme, quod non separentur. Et per hoc destruit ut in primis perfectionibus anime sit perfectio separata, sicut dicitur de nauta cum nave, aut universaliter erit in ea aliqua pars que dicitur perfectio intentione diversa ab intentione qua dicitur in aliis. Et hoc quod ipse fingit quod manifestum est de sermonibus universalibus in anima, manifeste dixit Aristoteles quod hoc non est manifestum in omnibus partibus anime; dicere enim FORMAM et PRIMAM PERFECTIONEM est dicere equivoce de anima rationali et de aliis partibus anime.

Abubacher autem videtur intendere in manifesto sui sermonis quod intellectus materialis est virtus ymaginativa secundum quod est preparata ad hoc quod intentiones que sunt in ea sint intellecte in actu, et quod non est alia virtus subiecta intellectis preter istam virtutem. Abubacher autem videtur intendere istud fugiendo impossibilia contingentia Alexandro, scilicet quod subiectum recipiens formas intellectas est corpus factum ab elementis, aut virtus in corpore; quoniam, si ita fuerit, continget aut ut esse formarum in anima sit esse earum extra animam, et sic anima erit non comprehensiva, aut ut intellectus habeat instrumentum corporale, si subiectum ad intellecta sit virtus in corpore, sicut est de sensibus.

Et magis inopinabile de opinione Alexandri est hoc quod dixit quod prime preparationes ad intellecta et ad alias postremas perfectiones de anima sunt res facte a complexione, non virtutes facte a motore extrinseco ut est famosum ex opinione Aristotelis et omnium Peripateticorum. Ista enim opinio in virtutibus anime

comprehensivis, si est secundum quod nos intelleximus, est falsa. A substantia enim elementorum et a natura eorum non potest fieri virtus distinguens comprehensiva; quoniam, si esset possibile ut a natura eorum et sine extrinseco motore fierent tales virtutes, tunc esset possibile ut postrema perfectio, que est intellecta, esset aliquod factum a substantia eorum elementorum ut color et sapor fiunt. Et ista opinio est similis opinioni negantium causas agentes et non concedentium nisi causas materiales; et sunt illi qui dicunt casum. Sed Alexander est maioris nobilitatis quam ut credat hoc; sed questiones que opponebantur ei in intellectu materiali coegerunt ipsum ad hoc.

Revertamur igitur ad nostrum, et dicamus quod forte iste questiones sunt que induxerunt Avempeche ad hoc dicendum in intellectu materiali. Sed quod accidit ei impossibile manifestum est. Intentiones enim ymagine sunt moventes intellectum, non mote. Declaratur enim quod sunt illud cuius proportio ad virtutem distinctivam rationabilem est sicut proportio sensati ad sentiens, non sicut sentientis ad habitum qui est sensus. Et si esset recipiens intellecta, tunc res reciperet se, et movens esset motum. Et iam declaratum est quod intellectus materialis impossibile est ut habeat formam in actu, cum substantia et natura eius est ut recipiat formas secundum quod sunt forme.

Et cum omnia que possunt dici in natura intellectus materialis videntur impossibilia, preter hoc quod dixit Aristoteles, cui etiam contingunt questiones non pauce; quarum una est quod intellecta speculativa sunt eterna; secunda autem est fortissima earum, scilicet quod postrema perfectio in homine sit numerata per numerationem individuorum hominis, et prima perfectio sit una in numero omnibus. Tertia autem est questio Theofrasti, et est quod ponere quod iste intellectus nullam habet formam necessarium est, et ponere etiam ipsum esse aliquod ens necessarium est; et si non, non esset receptio neque preparatio. Preparatio enim et receptio est ex hoc quod non inveniuntur in subiecto. Et cum est aliquod ens, et non habet naturam forme, remanet ut habeat naturam prime materie, quod est valde inopinabile; prima enim materia neque est comprehensiva neque distinctiva. Et quomodo dicitur in aliquo cuius esse sit tale quod est abstractum?

Et cum omnia ista sint, ideo visum est michi scribere quod videtur michi in hoc. Et si hoc quod apparet michi non fuerit completum, erit principium complementi. Et tunc rogo fratres videntes hoc scriptum scribere suas dubitationes, et forte per illud inveniatur verum in hoc, si nondum inveni. Et si inveni, ut fingo, tunc declarabitur per illas questiones. Veritas enim, ut dicit

Aristoteles, convenit et testatur sibi omni modo.

Questio autem dicens quomodo intellecta speculativa,
erunt generabilia et corruptibilia et agens ea et

Page 400

recipiens erit eternum, et que est indigentia ad imponendum intellectum agentem et recipientem si non est illic aliquod generatum, illa questio non contingeret si non esset hic aliud quod est causa esse intellecta speculativa generata. Modo autem, quia ista intellecta constituuntur per duo, quorum unum est generatum et aliud non generatum, quod dictum fuit in hoc est secundum cursum naturalem. Quoniam, quia formare per intellectum, sicut dicit Aristoteles, est sicut comprehendere per sensum, comprehendere autem per sensum perficitur per duo subiecta, quorum unum est subiectum per quod sensus fit verus (et est sensatum extra animam), aliud autem est subiectum per quod sensus est forma existens (et est prima perfectio sentientis), necesse est etiam ut intellecta in actu habeant duo subiecta, quorum unum est subiectum per quod sunt vera, scilicet forme que sunt ymagines vere, secundum autem est illud per quod intellecta sunt unum entium in mundo, et istud est intellectus materialis. Nulla enim differentia est in hoc inter sensum et intellectum, nisi quia subiectum sensus per quod est verus est extra animam, et subiectum intellectus per quod est verus est intra animam. Et hoc dictum est ab Aristotele in hoc intellectu, ut videbitur post.

Et hoc subiectum intellectus quod est motor illius quoquo modo est illud quod reputavit Avempeche esse recipiens, quia invenit ipsum quandoque intellectum in potentia et quandoque intellectum in actu, et ista est dispositio subiecti recipientis, et existimavit conversionem.

Page 401

Et ista proportionalitas magis invenitur perfecta inter subiectum visus quod movet ipsum et inter subiectum intellectus quod movet ipsum. Quemadmodum enim subiectum visus movens ipsum, quod est color, non movet ipsum nisi quando per presentiam lucis efficitur color in actu postquam erat in potentia, ita intentiones ymagine non movent intellectum materiale nisi quando efficiuntur intellecte in actu postquam erant in potentia. Et propter hoc fuit necesse Aristoteli imponere intellectum agentem, ut videbitur post; et est extrahens has intentiones de potentia in actum. Quemadmodum igitur color qui est in potentia non est prima perfectio coloris qui est intentio comprehensa, sed subiectum quod perficitur per istum colorem est visus, ita etiam subiectum quod perficitur per rem intellectam non est intentiones ymagine que sunt intellecte in potentia, sed intellectus materialis est qui perficitur per intellecta; et est + cuius proportio ad ea+ est sicut proportio intentionis coloris ad virtutem visibilem.

Et cum omnia ista sint sicut narravimus, non contingit ut ista intellecta que sunt in actu, scilicet speculativa, ut sint generabilia et corruptibilia nisi propter subiectum per quod sunt vera, non propter subiectum per quod sunt unum entium, scilicet intellectum materiale.

Questio autem secunda, dicens quomodo intellectus materialis est unus in numero in omnibus individuis hominum, non generabilis neque corruptibilis, et intellecta existentia in eo in actu (et est intellectus speculativus) numeratus per numerationem individuorum hominum, generabilis

Page 402

et corruptibilis per generationem et corruptionem individuorum, hec quidem questio valde est difficilis, et maximam habet ambiguitatem.

Si enim posuerimus quod iste intellectus materialis est numeratus per numerationem individuorum hominum, continget ut sit aliquid hoc, aut corpus aut virtus in corpore. Et cum fuerit aliquid hoc, erit intentio intellecta in potentia. Intentio autem intellecta in potentia est subiectum movens intellectum recipientem, non subiectum motum. Si igitur subiectum recipiens fuerit positum esse aliquid hoc, continget ut res recipiat seipsam, ut diximus. quod est impossibile.

Et etiam, si concesserimus ipsam recipere seipsam, contingeret ut reciperet se secundum quod diversa. Et sic erit virtus intellectus eadem cum virtute sensus, aut nulla differentia erit inter esse forme extra animam et in anima. Hec enim materia individualis non recipit formas nisi has et individuales. Et hoc est unum eorum que attestantur Aristotelem opinari quod iste intellectus non est intentio individualis.

Et si posuerimus quod non numeratur per numerationem individuorum, continget ut proportio eius ad omnia individua existentia in sua perfectione postrema in generatione sit eadem, unde necesse est, si aliquod istorum individuorum acquisierit rem aliquam intellectam, ut illa acquiratur ab omnibus illorum. Quoniam, si continuatio illorum individuorum est propter continuationem intellectus materialis cum eis, quemadmodum continuatio hominis cum intentione sensibili est propter continuationem prime perfectionis

Page 403

sensus cum eo qui est recipiens intentionem sensibilem (continuatio autem intellectus materialis cum omnibus hominibus existentibus in actu in aliquo tempore in perfectione eorum postrema debet esse eadem continuatio; nichil enim facit alietatem proportionis continuationis inter hec duo continua), si, inquam, hoc ita est, necesse est, cum tu acquisieris aliquod intellectum, ut ego etiam acquiram illud intellectum; quod est impossibile.

Et indifferenter sive posueris quod postrema perfectio

generata in unoquoque individuo est subiecta isti intellectui, scilicet per quam copulatur intellectus materialis, et est ex ea quasi forma separabilis a suo subiecto cum quo continuatur, si aliquid est tale, et sive posueris eam perfectionem esse virtutem virtutum anime aut virtutum corporis, idem est in sequendo impossibile.

Et ideo opinandum est quod, si sint aliqua animata quorum prima perfectio est substantia separata a suis subiectis, ut existimatur de corporibus celestibus, quod impossibile est ut inveniatur ex una specie eorum plus uno individuo. Quoniam, si ex eis, scilicet ex eadem specie, inveniretur plusquam unum individuum, v.g. de corpore moto ab eodem motore, tunc esse eorum esset ociosum et superfluum, cum motus eorum esset propter eandem intentionem in numero, v.g. quod esse plus una navi in numero uni naute in eadem hora est ociosum, et similiter esse plus uno instrumento in numero uni artificii eiusdem speciei instrumentorum est ociosum.

Et hec est intentio eius quod fuit dictum in primo de Celo et Mundo, scilicet quod, si esset alius mundus, esset aliud corpus celeste; et si esset aliud corpus celeste, haberet alium

Page 404

motorem in numero a motore istius corporis celestis; et si hoc esset, tunc motor corporis celestis esset materialis et numeratus per numerationem corporum celestium, scilicet quia impossibile est quod unicus motor in numero sit duorum corporum diversorum in numero. Et ideo artifex non utitur plus uno instrumento, cum ab eo non proveniat nisi unica actio. Et universaliter existimatur quod impossibilia contingentia huic positioni contingunt huic quod ponimus quod intellectus qui est in habitu est unus in numero. Et iam enumeravit plura eorum Avempeche in sua epistola quam appellavit Continuationem Intellectus cum Homine. Et cum ita sit, qualis igitur est via ad dissolvendum hanc questionem difficile?

Dicamus igitur quod manifestum est quod homo non est intelligens in actu nisi propter continuationem intellecti cum eo in actu. Et est etiam manifestum quod materia et forma copulantur adinvicem ita quod congregatum ex eis sit unicum, et maxime intellectus materialis et intentio intellecta in actu; quod enim componitur ex eis non est aliquod tertium aliud ab eis sicut est de aliis compositis ex materia et forma. Continuatio igitur intellecti cum homine impossibile est ut sit nisi per continuationem alterius istarum duarum partium cum eo, scilicet partis que est de eo quasi materia, et partis que est de ipso (scilicet intellecto) quasi forma.

Et cum declaratum est ex predictis dubitationibus quod impossibile est ut intellectum copuletur cum unoquoque hominum et numeretur per numerationem eorum per partem que est de eo quasi materia, scilicet intellectum

materialem, remanet ut continuatio intellectuum cum nobis hominibus sit per continuationem intentionis intellecte cum nobis (et sunt intentiones ymaginate), scilicet partis que est in nobis de eis aliquo modo quasi forma. Et ideo dicere puerum esse intelligentem in potentia potest intelligi duobus modis, quorum unus est quia forme ymaginate que sunt in eo sunt intellecte in potentia, secundus autem est quia intellectus materialis, qui innatus est recipere intellectum illius forme ymaginate, est recipiens in potentia et continuatus cum nobis in potentia.

Declaratum est igitur quod prima perfectio intellectus differt a primis perfectionibus aliarum virtutum anime, et quod hoc nomen PERFECTIO dicitur de eis modo equivoco, econtrario ei quod existimavit Alexander. Et ideo dixit Aristoteles in diffinitione anime quod est perfectio prima corporis naturalis organici, quod nondum est manifestum utrum per omnes virtutes perficitur corpus eodem modo, aut est ex eis aliqua per quam corpus non perficitur, et si perficitur, erit alio modo.

Preparatio autem que est in virtute ymaginativa intellectuum similis est preparationibus que sunt in aliis virtutibus anime, scilicet perfectionibus primis aliarum virtutum anime, secundum hoc quod utraque preparatio generatur per generationem individui, et corrumpitur per corruptionem eius, et universaliter numeratur per numerationem eius.

Et differunt in hoc quod illa est preparatio in motore ut sit motor, scilicet preparatio que est in intentionibus

ymaginatiss; secunda autem est preparatio in recipiente, et est preparatio que est in primis perfectionibus aliarum partium anime.

Et propter hanc similitudinem inter has duas preparationes existimavit Avempeche quod nulla est preparatio ad rem intellectam fiendam nisi preparatio existens in intentionibus ymaginatis. Et hee due preparationes differunt sicut terra a celo; una enim est preparatio in motore ut sit motor, alia autem est preparatio in moto ut sit motum et recipiens.

Et ideo opinandum est, quod iam apparuit nobis ex sermone Aristotelis, quod in anima sunt due partes intellectus, quarum una est recipiens, cuius esse declaratum est hic, alia autem agens, et est illud quod facit intentiones que sunt in virtute ymaginativa esse moventes intellectum materialem in actu postquam erant moventes in potentia, ut post apparebit ex sermone Aristotelis; et quod hee due partes sunt non generabiles neque corruptibiles; et quod agens est de recipienti quasi forma de materia, ut post declarabitur.

Et ideo opinatus est Themistius quod nos sumus intellectus agens, et quod intellectus speculativus nichil est aliud nisi continuatio intellectus agentis cum intellectu materiali tantum. Et non est sicut existimavit, sed opinandum est quod in anima sunt tres partes intellectus, quarum una est intellectus recipiens, secunda autem est efficiens, tertia autem factum. Et due istarum trium sunt eterne, scilicet agens et recipiens; tertia autem est generabilis et corruptibilis uno modo, eterna alio modo.

Quoniam, quia opinati sumus ex hoc sermone quod intellectus materialis est unicus omnibus hominibus, et etiam

Page 407

ex hoc sumus opinati quod species humana est eterna, ut declaratum est in aliis locis, necesse est ut intellectus materialis non sit denudatus a principiis naturalibus communibus toti speciei humane, scilicet primis propositionibus et formationibus singularibus communibus omnibus; hec enim intellecta sunt unica secundum recipiens, et multa secundum intentionem receptam.

Secundum igitur modum secundum quem sunt unica, necessario sunt eterna, cum esse non fugiat a subiecto recepto, scilicet motore, qui est intentio formarum ymaginatarum, et non est illic impediens ex parte recipientis. Generatio igitur et corruptio non est eis nisi propter multitudinem contingentem eis, non propter modum secundum quem sunt unica. Et ideo, cum in respectu alicuius individui fuerit corruptum aliquod intellectum primorum intellectuum per corruptionem sui subiecti per quod est copulatum cum nobis et verum, necesse est ut illud intellectum non sit corruptibile simpliciter, sed corruptibile in respectu uniuscuiusque individui. Et ex hoc modo possumus dicere quod intellectus speculativus est unus in omnibus.

Et cum consideratum fuerit de istis intellectis secundum quod sunt entia simpliciter, non in respectu alicuius individui, vere dicuntur esse eterna, et quod non intelliguntur quandoque et quandoque non, sed semper. Et quasi istud esse est eis medium inter esse amissum et esse remanens. Secundum enim multitudinem et diminutionem contingentem eis a postrema perfectione sunt generabilia et corruptibilia, et secundum quod sunt unica in numero sunt eterna.

Hoc erit si non fuerit positum quod dispositio in postrema perfectione in homine est sicut dispositio in

Page 408

intellectis communibus omnibus, scilicet quod esse mundanum non denudatur a tali individuo esse. Hoc enim esse impossibile non est manifestum; immo dicens hoc potest habere rationem sufficientem et facientem animam quiescere. Quoniam, cum sapientiam esse in aliquo modo proprio hominum est, sicut modos artificiorum esse in modis propriis hominum, existimatur quod impossibile est ut tota habitatio

fugiat a Philosophia, sicut opinandum est quod impossibile est ut fugiat ab artificiis naturalibus. Si enim aliqua pars eius caruerit eis, scilicet artificiis, v.g. quarta septentrionalis terre, non carebunt eis alie quarte, quia declaratum est quod habitatio est possibilis in parte meridionali sicut in septentrionali.

Forte igitur Philosophia invenitur in maiori parte subiecti in omni tempore, sicut homo invenitur ab homine et equus ab equo. Intellectus igitur speculativus est non generabilis neque corruptibilis secundum hunc modum.

Et universaliter ita est de intellectu agentis creantis intellecta sicut de intellectu distinguenti recipiente. Quemadmodum enim intellectus agens nunquam quiescit a generando et creando simpliciter, licet ab hac, scilicet generatione, evacuatur aliquod subiectum, ita est de intellectu distinguenti.

Et hoc innuit Aristoteles in primo istius libri, cum dixit: ET FORMARE PER INTELLECTUM ET CONSIDERARE SUNT DIVERSA ITA QUOD INTUS CORRUMPATUR ALIQUID ALIUD, IPSUM AUTEM IN SE NULLAM HABET CORRUPTIONEM. Et intendit per ALIQUID ALIUD formas ymaginatas humanas. Et intendit per FORMARE PER INTELLECTUM

Page 409

receptionem que est semper in intellectu materiali, de qua intendebat dubitare in hoc tractatu et in illo, cum dixit: ET NON SUMUS MEMORES, QUIA ISTE EST NON PASSIVUS; INTELLECTUS AUTEM PASSIVUS EST CORRUPTIBILIS, ET ABSQUE HOC NICHIL INTELLIGIT.

Et intendit per INTELLECTUM PASSIVUM virtutem ymaginativam, ut post declarabitur. Et universaliter ista intentio apparuit a remotis, scilicet animam esse immortalem, scilicet intellectum speculativum.

Unde Plato dixit quod universalia sunt neque generabilia neque corruptibilia, et quod sunt existentia extra mentem. Et est sermo verus ex hoc modo, et falsus secundum quod sonant verba eius (et est modus quem Aristoteles laborabat destruere in Metaphysica). Et universaliter ista intentio anime est pars vera in propositionibus probabilibus que dant animam esse utrumque, scilicet mortalem et non mortalem; probabilia enim impossibile est ut sint falsa secundum totum. Et hoc apologizaverunt Antiqui, et in representatione illius conveniunt omnes leges.

Tertia autem questio (et est quomodo intellectus materialis est aliquod ens, et non est aliqua formarum materialium neque etiam prima materia) sic dissolvitur. Opinandum est enim quod iste est quartum genus esse. Quemadmodum enim sensibile esse dividitur in formam et materiam, sic intelligibile esse oportet dividi in consimilia hiis duobus, scilicet in aliquod simile forme et in aliquod simile materie. Et hoc necesse est in omni intelligentia abstracta que intelligit aliud; et si non, non esset multitudo

Page 410

in formis abstractis. Et iam declaratum est in Prima Philosophia quod nulla est forma liberata a potentia simpliciter, nisi prima forma, que nichil intelligit extra se, sed essentia eius est quiditas eius; alie autem forme diversantur in quiditate et essentia quoquo modo. Et nisi esset hoc genus entium quod scivimus in scientia anime, non possemus intelligere multitudinem in rebus abstractis, quemadmodum, nisi sciremus hic naturam intellectus, non possemus intelligere quod virtutes moventes abstracte debent esse intellectus.

Et hoc latuit multos Modernos, adeo quod negaverunt illud quod dicit Aristoteles in tractatu undecimo Prime Philosophie, quod [line 674 cont.] necesse est ut forme abstracte moventes corpora celestia sint secundum numerum corporum celestium. Et ideo scire de anima necessarium est in sciendo Primam Philosophiam. Et iste intellectus recipiens necesse est ut intelligat intellectum qui est in actu. Cum enim intellexerit formas materiales, dignior est ut intelligat formas non materiales; et illud quod intelligit ex formis abstractis, v.g. ex intelligentia agentis, non impedit ipsum intelligere formas materiales.

Propositio autem dicens quod recipiens nichil debet habere in actu ex eo quod recipit non dicitur simpliciter, sed cum conditione, scilicet quod non est necesse ut recipiens non sit in actu aliquid omnino, sed ut non sit in actu aliquid ex eo quod illud recipit, sicut prediximus. Immo debes scire quod respectus intellectus agentis ad istum intellectum est respectus lucis ad diaffonum, et respectus formarum materialium

Page 411

ad ipsum est respectus coloris ad diaffonum. Quemadmodum enim lux est perfectio diaffoni, sic intellectus agens est perfectio materialis. Et quemadmodum diaffonum non movetur a colore neque recipit eum nisi quando lucet, ita iste intellectus non recipit intellecta que sunt hic nisi secundum quod perficitur per illum intellectum et illuminatur per ipsum. Et quemadmodum lux facit colorem in potentia esse in actu ita quod possit movere diaffonum, ita intellectus agens facit intentiones in potentia intellectas in actu ita quod recipit eas intellectus materialis. Secundum hoc igitur est intelligendum de intellectu materiali et agenti.

Et cum intellectus materialis fuerit copulatus secundum quod perficitur per intellectum agentem, tunc nos sumus copulati cum intellectu agentis; et ista dispositio dicitur ADEPTIO et INTELLECTUS ADEPTUS, ut post videbitur. Et iste modus secundum quem posuimus essentiam intellectus materialis dissolvit omnes questiones contingentes huic quod ponimus quod intellectus est unus et multa. Quoniam, si res intellecta apud me et apud te fuerit una omnibus modis, continget

quod, cum ego scirem aliquod intellectum, ut tu scires etiam ipsum, et alia multa impossibilia. Et si posuerimus eum esse multa, continget ut res intellecta apud me et apud te sit una in specie et due in individuo; et sic res intellecta habebit rem intellectam, et sic procedit in infinitum. Et sic erit impossibile ut discipulus addiscat a magistro, nisi scientia que est in magistro sit virtus generans et creans scientiam que est in discipulo, ad modum secundum quem iste ignis generat alium

Page 412

ignem sibi similem in specie; quod est impossibile. Et hoc quod scitum est idem in magistro et discipulo ex hoc modo fecit Platonem credere quod disciplina esset rememoratio. Cum igitur posuerimus rem intelligibilem que est apud me et apud te multam in subiecto secundum quod est vera, scilicet formas ymaginationis, et unam in subiecto per quod est intellectus ens (et est materialis), dissolvuntur iste questiones perfecte.

Modus autem per quem existimavit Avempeche dissolvere questiones advenientes super hoc quod intellectus est unus aut multus, scilicet modus quem dedit in sua epistola intitulata Continuatio Intellectus cum Homine, non est modus conveniens ad dissolvendum istam questionem. Intellectus enim quem demonstravit in illa epistola esse unum, quando laboravit in dissolvendo istam questionem, alius est ab intellectu quem demonstrat etiam illic esse multa, cum intellectus quem demonstravit esse unum est intellectus agens inquantum est forma necessario intellectus speculativi; intellectus vero quem demonstravit esse multum est ipse intellectus speculativus. Hoc autem nomen, scilicet INTELLECTUS, equivoce dicitur de speculativo et agenti.

Et ideo, si illud quod intelligitur de hoc nomine INTELLECTUS in duobus sermonibus oppositis, scilicet concludente intellectum esse multum et concludente intellectum esse unum, est intentio non equivoca, tunc illud quod post dedit in hoc, scilicet quod intellectus agens est unus et speculativus multi, non dissolvit hanc questionem. Et si

Page 413

illud quod intelligitur in illis duobus sermonibus oppositis de hoc nomine INTELLECTUS sit intentio equivoca, tunc dubitatio erit sophistica, non disputativa. Et ideo credendum est quod questiones quas dedit ille vir in illa epistola non dissolvuntur nisi ex hoc modo, si ille dubitationes non sunt sophistice, sed disputative. Et per istum modum dissolvetur questio in qua dubitabat in intellectu materiali utrum sit extrinsecus aut copulatus. Et cum hoc sit declaratum, revertamur ad exponendum sermonem Aristotelis.

6. ET IDEO NECESSE EST UT NON SIT MIXTUS CUM CORPORE.
QUONIAM, SI ESSET MIXTUS CUM CORPORE,
TUNC ESSET IN ALIQUA DISPOSITIONE, AUT CALIDUS

429a24

429a25

AUT FRIGIDUS, AUT HABERET ALIQUOD INSTRUMENTUM
SICUT HABET SENTIENS. MODO AUTEM NON EST ITA. RECTE
IGITUR DIXERUNT DICENTES QUOD ANIMA EST LOCUS
FORMARUM; SED NON UNIVERSA, SED INTELLIGENS;
NEQUE FORME IN ENDELECHIA, SED IN
POTENTIA.

429a29

Hec est alia demonstratio quod intellectus materialis
non est aliquid hoc, neque corpus neque virtus in corpore.
Et dixit: ET IDEO FUIT NECESSE, etc. Idest, et quia natura
eius est ista quam narravimus, recte et necesse fuit ut
non admisceretur cum corpore, idest quod non est virtus in eo
secundum quod admiscetur cum corpore, ut declaratum est. Deinde dedit

Page 414

secundam rationem super hoc. Et dixit: SI ENIM ESSET ADMIXTUS, etc. Idest,
si enim esset virtus in corpore, tunc esset aliqua dispositio
et aliqua qualitas corporalis; et si haberet qualitatem, tunc illa
qualitas aut attribueretur calido aut frigido (scilicet complexioni
in eo quod est complexio), aut esset qualitas existens in
complexione tantum addita complexioni, sicut est de
anima sensibili et sibi similibus, et sic haberet instrumentum
corporale. Deinde dixit: SED NON EST ITA. Idest, sed non habet
qualitatem attributam calido et frigido, neque habet
instrumentum; ergo non est mixtum cum corpore. Et debemus
considerare in consecutione et destructione utrum
indigeant demonstratione aut non. Dicamus igitur:
quoniam autem consecutio consequentis ad precedens est vera
manifestum est ex predictis; declaratum est enim
quod omnis virtus in corpore composito aut attribuitur
primis qualitatibus, scilicet forme complexionis, aut erit virtus
existens in forma complexionali, et sic necessario
erit anima organica. Destructio vero manifesta est etiam ex
predictis; declaratum est enim quod nullum est instrumentum
aliud ab instrumentis quinque sensuum (ubi fuit
declaratum quod nullus est sensus sextus); et universaliter, si
intellectus esset virtus animalis in corpore, tunc aut esset
sextus sensus, aut consequens sextum sensum, scilicet aliquid
cuius proportio ad sextum sensum esset sicut proportio ymaginationis
ad communem sentientem. Quoniam autem intellectus materialis
non est virtus attributa complexioni manifestum

Page 415

est ex predictis, quoniam, cum anima sensibilis non est virtus
attributa complexioni, quanto magis intellectus!

Et si esset attributa complexioni, tunc, sicut dicit Aristoteles,
esse forme lapidis in anima esset idem cum eius esse extra
animam, et sic lapis esset comprehendens, et alia multa
impossibilia contingentia huic positioni. Et quidam
dubitaverunt in hoc quod fuit dictum (scilicet quod intellectus
non habet instrumentum) ex hoc quod dicitur quod virtus
ymaginativa est in anteriori cerebri, et cogitativa
in medio, et rememorativa in posteriori. Et hoc non tantum
dictum est a Medicis, sed dictum est in Sensu et Sensato.
Galienus autem et alii Medici ratiocinantur super
hoc quod iste virtutes sunt in istis locis per locum

concomitantie, et est locus faciens existimare, non verus.

Sed iam declaratum est in libro de Sensu et Sensato quod talis est ordo istarum virtutum in cerebro per demonstrationem dantem esse et causam. Sed illud non contradicit illi quod dictum est hic. Virtus enim cogitativa apud Aristotelem est virtus distinctiva individualis, scilicet quod non distinguit aliquid nisi individualiter, non universaliter. Declaratum est enim illic quod virtus cogitativa non est nisi virtus que distinguit intentionem rei sensibilis a suo idolo ymaginato; et ista virtus est illa cuius proportio ad has duas intentiones, scilicet ad idolum rei et ad intentionem sui idoli, est sicut proportio sensus communis ad intentiones quinque sensuum. Virtus igitur cogitativa est de genere virtutum existentium in corporibus. Et hoc aperte dixit Aristoteles in illo libro, cum posuit virtutes distinctivas individuales in quatuor ordinibus: in primo posuit

Page 416

sensum communem, deinde ymaginativam, deinde cogitativam, et postea rememorativam. Et posuit rememorativam magis spiritualem, deinde cogitativam, deinde ymaginativam, et post sensibilem. Licet igitur homo proprie habeat virtutem cogitativam, tamen hoc non facit hanc virtutem esse rationabilem distinctivam; illa enim distinguit intentiones universales, non individuales. Et hoc fuit aperte dictum ab Aristotele in illo libro. Virtus igitur distinctiva rationalis, si esset virtus in corpore, contingeret ut esset una istarum virtutum quatuor, quapropter haberet instrumentum corporale; aut esset alia virtus individualis distincta ab istis quatuor; sed iam declaratum est illic hoc esse impossibile. Et quia Galienus existimavit quod virtus cogitativa est rationalis materialis, fecit ipsum errare in hoc locus consequentis. Quia enim virtus rationalis appropriatur homini, et cogitativa appropriatur ei, existimatur propter conversionem affirmative universalis quod cogitativa est rationalis. Et unus eorum qui erraverunt in hoc est Abelfarag Babilonensis in suo commento in libro de Sensu et Sensato. Deinde dixit: RECTE IGITUR DIXERUNT DICENTES ANIMAM ESSE LOCUM FORMARUM. Idest, et cum declaratum sit quod non est mixtus alicui corpori, tunc recte dixerunt describentes animam esse locum formarum, cum non acceperunt in notificando substantiam eius plusquam istam consimilitudinem et convenientiam que est inter ipsam et locum. Deinde dixit: SED NON UNIVERSA, SED INTELLIGENS.

Page 417

Idest, sed ista consimilitudo non debet accipi in intelligendo omnes partes anime, sed tantum in anima rationali; alie enim partes anime sunt forme in materiis, rationalis autem non. Deinde dixit: ET FORME NON IN PERFECTIONE, SED IN POTENTIA. Idest, sed locus differt ab anima distinctiva intelligenti in hoc quod locus nichil est eorum que existunt in eo; anima autem rationalis materialis est forme existentes in ea, non actu, sed potentia. Et fecit hoc ne aliquis intelligat ex hac descriptione quod genus acceptum in ea sit genus verum, non rethoricum. Sed cogetur homo

in talibus rebus, que non intelliguntur nisi per consimilitudinem,
ut notificet eas per talia genera rethorica.

7. QUONIAM AUTEM PRIVATIO PASSIONIS IN SENTIENTE	429a29
ET IN FORMATIONE PER INTELLECTUM NON EST	429a30
CONSIMILIS MANIFESTUM EST IN SENSU. SENSUS ENIM	
NON POTEST SENTIRE POST FORTE SENSATUM, V.G.	429b1
POST SONOS MAGNOS AUT POST COLORES FORTES	
AUT POST ODORES FORTES; INTELLECTUS AUTEM, CUM	
INTELLEXERIT ALIQUOD FORTE INTELLIGIBILIMUM,	
TUNC NON MINUS INTELLIGET ILLUD QUOD EST SUB	
PRIMO, IMMO MAGIS. SENTIENS ENIM NON EST EXTRA	
CORPUS; ISTE AUTEM EST ABSTRACTUS.	429b5

Cum declaravit quod intellectus materialis non admiscetur
materie, incepit notificare quod hoc convenit apparentibus.
Hec enim est conditio necessaria necessariis
demonstrationibus, scilicet ut apparentia sensui non differant
ab eo quod videtur per rationem. Et dixit: QUONIAM AUTEM
PRIVATIO PASSIONIS, etc. Idest, quoniam autem privatio transmutationis

Page 418

existentis in sensu non est similis privationi transmutationis
existentis in intellectu, ut demonstratum fuit ratione,
manifestum est etiam ex apparentibus. Privatio enim
transmutationis in intellectu debet esse pura, et non est
ita privatio transmutationis in sensu, cum sensus sit virtus
materialis. Deinde dixit: SENSUS ENIM NON POTEST SENTIRE, etc.
Idest, et signum eius est quoniam sensus non potest sentire
sua sensibilia convenientia sibi quando senserit aliquod
forte et recesserit ab eo subito ad aliud sensibile,
v.g. quando sensus auditus recesserit a magno
sono, aut visus a forti colore, aut olfactus a forti odore. Et
causa in hoc est passio et transmutatio que accidit
sentienti a forti sensato; et causa huius transmutationis
est quia est virtus in corpore. Et cum demonstravit
hoc quod videtur de transmutatione in sensu, incepit
notificare quod contrarium est de intellectu. Et dixit: SED
INTELLECTUS, QUANDO INTELLEXERIT ALIQUOD FORTE, etc. Idest, intellectus
autem, cum intellexerit aliquod forte intelligibile, tunc
facilius intelliget intelligibile non forte; unde sequitur
quod non patitur neque transmutatur a forti intelligibili.
Et cum demonstravit eos esse diversos in
hoc, dedit causam. Et dixit: SENTIENS ENIM NON EST EXTRA CORPUS;
ISTE AUTEM EST ABSTRACTUS. Idest, et causa in hoc est quod
prius fuit declaratum, scilicet quod sentiens non est extra corpus,
intellectus autem est abstractus. Et possumus ponere
hunc sermonem demonstrationem tertiam per se, sed

Page 419

diminutam. Quia, cum dixerimus quod, si intellectus
transmutatur essentialiter, et non accidentaliter et mediante
alio (hoc enim concessum est in intellectu), necesse
est ut transmutatio contingat ei apud suam actionem
propriam (que est intelligere), sicut est in sensu. Et si non
transmutatur per se et essentialiter, necesse est ut non sit
virtus in corpore omnino; omnis enim virtus recipiens

in aliquo corpore debet transmutari secundum quod est recipiens.

Et ideo non oportet obiicere huic argumento ex eo quod accidit in intellectu de transmutatione propter transmutationem virtutum ymaginationis, et maxime cogitative; intellectui enim existimatur accidere fatigatio hoc modo; et non est ita nisi accidentaliter. Virtus enim cogitativa est de genere virtutum sensibilium. Ymaginativa autem et cogitativa et rememorativa non sunt nisi in loco virtutis sensibilis, et ideo non indiget eis nisi in absentia sensibilis. Et omnes iuvant se ad presentandum ymaginem rei sensibilis, ut aspiciat eam virtus rationalis abstracta et extrahat intentionem universalem et postea recipiat eam, idest comprehendat eam. Et forte, sicut diximus, induxit hunc sermonem ad verificandum predictas demonstrationes.

8. ET CUM QUODLIBET EORUM FUERIT SIC, SCILICET SICUT DICITUR SCIENTIA IN ACTU (ET HOC CONTINGET QUANDO POTERIT INTELLIGERE PER SE), TUNC ETIAM ERIT IN POTENTIA QUOQUO MODO, SED NON EODEM MODO QUO ANTE ERAT, ANTEQUAM SCIVIT AUT INVENIT. ET IPSE TUNC POTEST INTELLIGERE PER SE.

429b5

429b10

Page 420

Et cum in eo fuerit unumquodque intellectuum tali modo sicut dicitur in sciente quod est sciens in actu, idest quando intellecta fuerint in eo entia in actu (et hoc continget intellectui quando poterit intelligere per se, non quando intellexerit per aliud). Et hoc quod dixit est differentia inter virtutes agentes propinquas et remotas; propinque enim actui sunt que agunt per se et non indigent extrahente eas de potentia in actum; remote autem indigent. Et ideo dixit quod, cum intellectus fuerit in hac dispositione, tunc erit potentia quoquo modo; idest, tunc dicetur de eo hoc nomen POTENTIA non vere sed modo simili. Deinde dixit: ET IPSE TUNC POTERIT INTELLIGERE PER SE. Idest, et cum intellectus fuerit in hac dispositione, tunc intelliget se secundum quod ipse non est aliud nisi forme rerum, inquantum extrahit eas a materia. Quasi igitur se intelligit ipse modo accidentali, ut dicit Alexander, idest secundum quod accidit intellectis rerum quod fuerint ipse, idest essentia eius. Et hoc est econtrario dispositioni in formis abstractis; ille enim, cum intellectum earum non est aliud ab eis in intentione per quam sunt intellecta istius intellectus, ideo intelligunt se essentialiter, et non accidentaliter. Et hoc perfectius invenitur in primo intelligente, quod nichil intelligit extra se. Et possumus exponere istum locum secundum quod Alfarabius dicit in suo tractatu de Intellectu et Intellecto. Et est quod, cum intellectus fuerit in actu, erit unum entium, et poterit intelligere seipsum per intentionem quam abstrahet a se, secundum quod abstrahit intentiones rerum que sunt extra animam. Et sic intellectum habebit intellecta. Et nos post perscrutabimur de hoc utrum sit possibile aut non.

Page 421

9. ET QUIA MAGNITUDO EST ALIQUID ET ESSE MAGNITUDINIS
ALIUD, ET AQUA EST ALIQUID ET ESSE AQUE
ALIUD, ET SIC IN MULTIS ALIIS (SED NON IN OMNIBUS;
IN QUIBUSDAM ENIM ESSE CARNIS IDEM EST
CUM CARNE), NECESSE EST UT EXPERIMENTETUR AUT
PER DUO, AUT PER DIVERSAM DISPOSITIONEM. CARO
ENIM NON EST EXTRA MATERIAM, SED, SICUT SIMITAS,
EST ALIQUID HOC ET IN ALIQUO HOC.

429b10

429b14

Cum complevit demonstrationem de notificatione substantie intellectus materialis, et dedit differentiam inter ipsam et substantiam sentientis materialis, incepit dare etiam differentiam inter intellectum in actu et ymaginationem in actu. Existimatur enim quod ymaginatio ipsa est intellectus, et precipue cum dicimus quod proportio eius ad intellectum est sicut proportio sensibilis ad sensum, scilicet quia movet ipsum, et existimatur quod motor et motum debent esse eiusdem speciei., Et incepit dicere: ET QUIA MAGNITUDO EST ALIQUID, etc. Idest, et quia hoc individuum est aliquid, et intentio per quam hoc individuum est ens, scilicet quiditas et forma eius, est aliud; v.g. quod hec aqua est aliquid, et intentio, idest forma, per quam hec aqua est ens aliud est ab aqua. Deinde dixit: ET SIC IN MULTIS ALIIS. Idest, et hoc accidit similiter in multis rebus, scilicet in omnibus compositis ex materia et forma. Et dixit SED NON IN OMNIBUS ad excipiendum res abstractas, et universaliter res simplices non compositas. Deinde dixit: IN QUIBUSDAM ENIM ESSE CARNIS IDEM EST CUM CARNE. Idest, et causa propter quam hee due intentiones non inveniuntur in omnibus entibus est

Page 422

quod quiditas et essentia in entibus simplicibus est idem, ita, v.g., quod esse carnis idem est cum carne quia intentio carnis in eis non est in materia. Et cum induxit precedens in hoc sermone, dedit consequens. Et dixit: NECESSE EST UT EXPERIMENTETUR, etc. Idest, et cum fuerit declaratum quod entia sensibilia dividuntur in duplex esse, scilicet in hoc singulare et suam formam, necesse est ut virtus experimentativa, idest comprehensiva, comprehendat ea aut per duas virtutes, aut per unam sed duabus dispositionibus diversis. Cum duabus autem virtutibus erit quando comprehenderit utrumque istorum per se, scilicet formam singulariter et individuum singulariter; per unam vero virtutem et dispositionem diversam erit quando comprehenderit alietatem que est inter has duas intentiones. Quod enim comprehendit alietatem inter duo necesse est, ut declaratum est, ut sit unum uno modo et multa alio modo. Et ista est dispositio intellectus in comprehendendo alietatem que est inter formam et individuum; comprehendit enim formam per se, et comprehendit individuum mediante sensu. Comprehendit igitur alietatem inter ea per dispositionem que diversatur, quemadmodum sensus communis comprehendit alietatem inter sensibilia per dispositionem diversam, scilicet sensus particularis; sed quia istas formas non comprehendit intellectus nisi cum materiis,

ideo comprehendit eas per dispositionem que diversatur.
Et cum notificavit quod necesse est ut anima
comprehendat has duas intentiones per virtutem diversam,
et comprehendat alietatem earum per unicam

Page 423

virtutem sed secundum diversam dispositionem, dedit causam propter
quam indiget anima in comprehendendo has duas intentiones
diversa dispositione. Et dixit: CARO ENIM NON
EST EXTRA MATERIAM. Idest, et causa propter quam forma non
comprehenditur ab intellectu nisi cum materia, quod facit
ipsum comprehendere eam diversa dispositione,
est quod forme non sunt extra materiam. Forma
enim carnis nunquam denudatur a materia, sed semper intelligitur
cum materia, sicut simitas cum naso, cum simitas
sit aliquid hoc in aliquo hoc. Et sic est de formis sensibilibus,
scilicet quod sunt aliquid hoc in aliquo hoc.

10. IPSA IGITUR PER SENTIENS EXPERIMENTATUR CALIDUM	429b14
ET FRIGIDUM. ET RES QUE SUNT IN CARNE ASSIMILANTUR	429b15
EIS QUE SUNT ILLIUS. ET EXPERIMENTATUR	
PER ALIUD, AUT SECUNDUM DISPOSITIONEM LINEE SPIRALIS,	
QUAMDIU DURAT, QUID EST ESSE CARNIS.	429b18

Et cum necesse est experimentari
res diversas per virtutes diversas (per sentiens
autem et per sibi similia experimentatur anima calidum et frigidum
et sibi similia), necesse est, secundum exemplum, ut res
existens in carne per quam caro est quod est, no illud
per quod est calida aut frigida, sit similis virtuti
comprehendenti eam, et ut experimentetur per aliam
virtutem. Et dixit: ASSIMILANTUR EIS QUE SUNT ILLIUS, quia
necesse est ut proportio que est intentionis ad intentionem,

Page 424

scilicet individualis ad universalem, sit sicut proportio virtutis
comprehendentis alteram earum ad virtutem comprehendentem
alteram. Et cum necesse est ut due intentiones
sint diverse, necesse est ut virtutes sint diverse. Intelligens
igitur non est ymaginativa, cum iam declaratum est
quod comprehensum virtutis ymaginative et sensibilis idem
est. Deinde dixit: ET EXPERIMENTATUR PER ALIUD, AUT SECUNDUM
DISPOSITIONEM LINEE, etc. Idest, et necesse est ut formam
experimentetur per aliam virtutem. Et hoc erit ex hac virtute
aut per dispositionem similem lineae recte (cum intellexerit
primam formam existentem in hac re singulari), aut
secundum dispositionem similem lineae spirali, quando fuerit
reversa, querendo intelligere etiam quiditatem illius
forme, deinde quiditatem illius quiditatis, quousque
perveniat ad simplicem quiditatem in illa re; v.g. quod primo
intelligit quiditatem carnis, deinde querit intelligere
quiditatem istius quiditatis, deinde quiditatem istius quiditatis;
et hoc erit dum inveniet quiditatem in quiditate, et
non cessabit quousque perveniat ad formam simplicem; et
hoc intendebat cum dixit: QUAMDIU DURAT, idest quod istud intelligere
intellectum erit similiter in carne dum erit possibile
in carne quod quiditas eius habeat quiditatem.

11. ET ETIAM IN REBUS EXISTENTIBUS IN MATHESI, RECTUM EST 429b18
SICUT SIMITAS; EST ENIM CUM QUANTO CONTINUO. SECUNDUM
AUTEM ESSE, ESSE RECTI ALIUD EST AB EO. SI IGITUR 429b20

Page 425

EXPERIMENTATUR, TUNC IGITUR PER ALIUD, ET QUIA DISPOSITIO EIUS
SIT ALIA. ET UNIVERSALITER DISPOSITIO RERUM QUE SUNT IN
INTELLECTU CURRIT SECUNDUM QUOD RES ABSTRACTE A MATERIA. 429b22

Et istud intelligere intellectus non tantum invenitur in
rebus materialibus, sed etiam in mathematicis. Rectum enim
quia est in continuo, sicut simitas in naso, necesse est,
quemadmodum intellectus intelligit simitatem compositam
cum naso, ita intelligat quiditatem recti compositam
cum continuo. Et dixit: ET ETIAM IN REBUS, etc. Idest,
et esse recti et eius similis ex rebus mathematicis est
simile ad esse simitatis in naso; rectum enim est in continuo,
sicut simitas in naso. Deinde dixit: secundum autem esse,
esse est in recto aliud quiditate continui, licet alterum
eorum non inveniatur nisi in alio. Deinde dixit: SI IGITUR, etc.
Idest, cum igitur posuerimus quod in mathematicis etiam sunt
duo quorum unum est in altero, tunc anima non experimentatur
ea nisi per aliam virtutem, aut per eandem sed
tamen per dispositionem que diversatur, cum non intelligit
ea nisi cum re, licet non intelligat ea cum materia sensibili.
Sciendum est enim quod dispositio habita ab intellectu
que diversatur in eo quando comprehendit formas
rerum primas sensibiles est ei per sensus; et dispositio
que diversatur in eo per comprehensionem quiditatis
et forme est ei dispositio diversa in se, non per sensus. Et
ideo assimilatur ipsum Aristoteles lineae spirali in hac dispositione,
Plato autem lineae girative, et per hanc dispositionem
intelligit formas rerum mathematicarum, cum
non accepit intelligendo eas magnitudinem sensibilem.

Page 426

Deinde dixit: ET UNIVERSALITER DISPOSITIO RERUM, etc.
Idest, ut michi videtur, et universaliter dispositio rerum
quas comprehendit intellectus invenitur in eo in modo
secundum quem sunt in se in propinquitate et distantia ab
abstractione a materia. Quod igitur eorum fuerit remotum
a materia poterit abstrahi ab intellectu absque materia,
licet non habeat esse nisi in materia, sicut est in mathematicis;
et quod eorum fuerit propinquum materie
non poterit. Cum igitur dixit SECUNDUM QUOD RES ABSTRACTE A MATERIA,
intendit secundum modum essendi in rebus abstractis a
materia in ordine in quo sunt de abstractione, si iste sermo
sit completus in scripto.

12. ET DUBITABIT HOMO QUOD INTELLECTUS EST SIMPLEX, 429b22
NON PATIENS, ET QUOD IMPOSSIBILE EST UT HABEAT ALIQUAM
COMMUNICATIONEM CUM ALIA RE, SICUT DIXIT ANAXAGORAS.
QUOMODO IGITUR INTELLIGITUR QUOD FORMARE PER
INTELLECTUM EST ALIQUA PASSIO? QUONIAM, PROPTER 429b25
HOC QUOD ALIQUID EST COMMUNE UTRIQUE, EXISTIMATUR
QUOD ALTERUM EORUM AGIT ET ALTERUM PATITUR. 429b26

Cum dedit differentiam inter intelligere et ymaginari, reversus est ad dubitandum de intellectu passibili. Et dixit: ET DUBITAT HOMO, etc. Idest, et dubitat homo in hoc quod dictum est quod intellectus materialis est simplex et non passibilis quia non existimatur ipsum habere aliquam communicationem cum re materiali, sicut dixit Anaxagoras, et sicut declaratum fuit prius. Questio autem est quomodo intelligatur quod formare per intellectum sit passio, idest de genere virtutum passivarum,

Page 427

et nullam habeat communicationem cum re a qua patitur. Quoniam per aliquod commune agenti et patienti existimatur hoc agere et hoc pati. Nisi enim esset materia, non esset passio; et cum posuerimus intellectum non esse materiam neque in materia, quomodo igitur intelligemus, cum hoc, quod intelligere est passio, non actio? Sumus igitur inter duo: aut ut non ponamus quod intelligere est in capitulo passionis, aut ponamus quod intellectus materialis communicat corpori, quemadmodum forma ymaginationis movens ipsum communis est corpori.

13. ET ETIAM UTRUM EST IN SE INTELLIGIBILE? QUONIAM AUT INTELLECTUS ERIT ALIARUM RERUM (SI NON EST INTELLECTUM ALIO MODO, SED ILLUD FORMATUM PER INTELLECTUM FUERIT UNUM IN SUA FORMA), AUT ERIT IN EO MIXTIO AB ALIQUO QUOD FECIT IPSUM INTELLECTUM, SICUT EST DE ALIIS.

429b26

429b29

Ista est secunda dubitatio de intellectu materiali, et est utrum est in se intelligibilis, non per naturam existentem in eo, adeo quod intellectus et intellectum in eo erunt idem omnibus modis, sicut est dispositio in rebus abstractis; aut intellectum ex eo est aliud quoquo modo ab ipso. Et dixit: ET ETIAM UTRUM EST IN SE, etc. Idest, et etiam utrum ipsum est illud quod est intellectum ex eo. Necesse est enim alterum duorum: aut ut alie res, que sunt extra animam, habeant intellectum (si intellectus est intellectum ex eo omnibus modis, et non est alius modus de intelligere res, sed intelligere est idem in omnibus

Page 428

rebus), aut ut non sit intellectum per se, sed per intensionem in eo que fecit ipsum intelligibilem, sicut est dispositio in rebus que sunt extra animam. Et tacuit, ut videtur, illud quod consequitur hanc positionem; et est quod intellectus in se est non intelligens. Et abbreviatio dubitationis est talis, ut videtur: aut enim erit intellectum sicut alie res abstracte intellecte, et sic res que sunt extra animam erunt intelligentes, aut erit intellectum sicut alie res que sunt extra animam, et sic erit in se non intelligens neque comprehendens.

14. DICAMUS IGITUR QUOD PASSIO, SECUNDUM QUOD PRIUS VIDEBATUR, EST UNIVERSALIS, ET QUOD INTELLECTUS EST IN POTENTIA QUOQUO MODO INTELLECTA, IN PERFECTIONE

429b29

429b30

AUTEM NON, QUOUSQUE INTELLIGAT. ET QUOD
ACCIDIT IN INTELLECTU DEBET CURRERE TALI CURSU,
SCILICET SICUT TABULA EST APTATA PICTURE, NON PICTA
IN ACTU OMNINO.

430a1
430a2

Cum dedit has duas questiones de intellectu materiali,
incepit dissolvere eas, et primo primam, dicens:
quomodo intelligimus quod intellectus materialis est
aliquod simplex et non mixtum cum aliquo, opinando
quod intelligere est aliqua passio, et iam declaratum
est in universalibus sermonibus quod ea que agunt
et patiuntur communicant in subiecto? Et dixit: DICAMUS
IGITUR QUOD PASSIO, etc. Idest, et ista questio dissolvetur
sciendo quod passio qua prius utebamur in
questione est magis universalis quam aliquod dictum
in rebus materialibus quod sit passivum. Deinde exposuit

Page 429

quid significat hoc nomen PASSIO in intellectu. Et dixit:
QUOD INTELLECTUS EST IN POTENTIA, etc. Idest, et ista intentio
universalis de passione in intellectu nichil aliud
est nisi quod est in potentia in intellectu, non in actu,
quousque intelligat. Et dicere etiam ipsum esse in potentia
est alio modo ab eis secundum quos dicitur quod
res materiales sunt in potentia. Et hoc est quod diximus
prius, quod intelligendum est hic quod hec nomina,
scilicet POTENTIA ET RECEPTIO et PERFECTIO, modo equivoco
dicuntur cum eis in rebus materialibus. Diversitas
enim istius intentionis, scilicet receptionis que est
in intellectu, a receptione que est in rebus materialibus
res est ad quam ducit ratio. Unde non est opinandum quod
prima materia est causa receptionis simpliciter, sed causa receptionis
transmutabilis, et est receptio huius singularis; causa
autem receptionis simpliciter est ista natura. Et ex hoc
modo fuit possibile quod corpora celestia reciperent
formas abstractas et intelligerent eas, et fuit possibile
ut intelligentie abstracte perficerentur per se adinvicem.
Et si non, non esset possibile ut illic intelligeretur
recipiens neque receptibile. Unde videmus quod illud
quod est liberatum ab hac natura est primum intelligens.

Et ponendo istam naturam dissolvetur questio dicens:
quomodo intelligitur multitudo, et quomodo intelliguntur
multe ex formis abstractis, et intellectus
idem est in eis cum intellectu? Et cum notificavit modum
passionis in intellectu, et quod equivoce dicitur in intellectu
et in rebus materialibus, incepit dare ex rebus
sensibilibus exemplum per quod intelligitur ista intentio
in intellectu materiali. Et licet non sit verum, tamen est via

Page 430

ad intelligendum; et iste modus doctrine necessarius
est in talibus rebus, licet sit rethoricus. Et dixit: ET QUOD
ACCIDIT IN INTELLECTU, etc. Idest, et intelligendum est hoc quod
diximus de hac intentione universali, scilicet passione que est in
intellectu, quod est tantum receptio sine transmutatione,
sicut receptio picture in tabula. Quemadmodum enim

tabula non patitur a pictura, neque accidit ei ab hoc transmutatio, sed tantum invenitur in ea de intentione passionis quod perficitur per picturam postquam erat in potentia picta, ita est dispositio in intellectu materiali. Et hoc exemplum quod induxit valde est simile dispositioni intellectus qui est in potentia cum intellectu qui est in actu. Quemadmodum enim tabula nullam picturam habet in actu neque in potentia propinqua actui, ita in intellectu materiali non est aliqua formarum intellectarum quas recipit, neque in actu neque in potentia propinqua actui. Et voco hic POTENTIAM PROPINQUAM ACTUI dispositionem mediam inter remotam potentiam et postremam perfectionem; et hoc est ut non sit in eo intentio que sit in potentia intellecta. Et hoc est proprium soli intellectui. Perfectio enim prima sentientis est aliquid in actu respectu potentie remote, et est aliquid in potentia respectu postreme perfectionis. Et ideo assimilavit Aristoteles primam perfectionem sensus Geometre quando non utitur Geometria. Scimus enim certe quod habemus virtutem sensibilem existentem in actu, licet tunc nichil sentiamus. Declaratus igitur est modus consimilitudinis istius exempli huic quod dictum fuit ab Aristotele in intellectu materiali. Dicere autem quod intellectus materialis est similis preparationi que est in tabula, non tabule secundum quod est preparata, ut exponit

Page 431

Alexander hunc sermonem, falsum est. Preparatio enim est privatio aliqua, et nullam habet naturam propriam nisi propter naturam subiecti, et propter hoc fuit possibile ut preparationes diversentur in unoquoque ente. O Alexander, reputas Aristotelem intendere demonstrare nobis naturam preparationis tantum, non naturam preparati (et non est natura istius preparationis propria ei, si fuerit possibile sine cognitione nature preparati), sed naturam preparationis simpliciter, in quocunque sit? Ego autem verecundor ex hoc sermone et ex hac mirabili expositione. Si enim Aristoteles intendebat demonstrare naturam preparationis que est in intellectu per omnes sermones predictos in intellectu materiali, necesse est aut ut intendat demonstrare per eos naturam preparationis simpliciter, aut naturam preparationis proprie. Naturam autem preparationis proprie intellectui impossibile est demonstrari sine natura subiecti, cum preparatio propria unicuique subiecto currit cursu perfectionis et forme ex eo; sed oportet necessario per cognitionem nature preparationis scire naturam preparati. Et si intendebat per illos sermones demonstrare naturam preparationis simpliciter, tunc illud non est proprium intellectui, et omne hoc est perturbatio. Omnis enim preparatio, in eo quod est preparatio, vere dicitur nichil esse in actu ex eis que recipit, et quod est non passibile, et vere dicitur esse non corpus neque virtus in corpore. Quomodo igitur possumus exponere illud quod Aristoteles intendebat hic demonstrare nobis de natura intellectus materialis illud quod est commune omnibus recipientibus, scilicet in quibus est preparatio ad recipiendum

unumquodque genus formarum, et non ad demonstrandum naturam preparati per cognitionem nature preparationis proprie ei? Nisi intellectus materialis esset solummodo preparatio, sine aliquo subiecto; quod est impossibile; preparatio enim ostendit preparatum. Unde Aristoteles, cum invenit preparationem que est in intellectu esse diversam ab aliis, iudicavit precise quod natura subiecta ei differt ab aliis naturis preparatis. Et quod est proprium isti subiecto preparationis est quod non est in eo aliqua intentionum intellectarum in potentia aut in actu; unde necesse fuit ipsum non esse corpus neque formam in corpore. Et cum non fuerit corpus neque virtus in corpore, non erit etiam forme ymaginationis; ille enim sunt virtutes in corporibus, et sunt intentiones intellecte in potentia. Et cum subiectum istius preparationis neque est forma ymaginationis, neque mixtio ex elementis, ut Alexander intendit, neque possumus dicere quod aliqua preparatio denudetur a subiecto, recte videmus quod Theophrastus et Themistius et Nicolaus et alii antiquorum Peripateticorum magis retinent demonstrationem Aristotelis et magis conservant verba eius. Cum enim intuerentur sermones Aristotelis et eius verba, nullus potuit ferre ea super ipsam preparationem tantum, neque super rem subiectam preparationi si posuerimus ipsam esse virtutem in corpore, dicendo eam esse simplicem et abstractam et non passibilem et non mixtam corpori. Et si istud non esset opinio Aristotelis, oporteret opinari eam esse opinionem veram. Sed propter hoc quod dico nullus debet dubitare quin ista opinio sit Aristotelis.

Omnes enim hoc opinantes non credunt nisi propter hoc quod dixit Aristoteles; quoniam ita est difficile hoc adeo quod, si sermo Aristotelis non inveniretur in eo, tunc valde esset difficile cadere super ipsum, aut forte impossibile, nisi inveniretur aliquis talis ut Aristoteles. Credo enim quod iste homo fuit regula in Natura, et exemplar quod Natura invenit ad demonstrandum ultimam perfectionem humanam in materiis. Et forte opinio attributa Alexandro fuit ficta ab eo solo, et in tempore eius erat inopinabilis et abiecta ab omnibus. Et ideo videmus Themistium dimittentem eam omnino, et fugere eam sicut caventur inopinabilia. Et hoc contrarium est ei quod contingit Modernis; nullus enim est sciens et perfectus apud eos nisi qui est Alexandreus. Et causa in hoc est famositas istius viri, et quia creditur esse vere unus de bonis expositoribus. Licet Alfarabius, cum hoc quod maximus erat in istis, sequitur Alexandrum in hac intentione, et addidit huic opinioni quoddam inopinabile. In libro enim de Nichomachia videtur negare continuationem esse cum intelligentiis abstractis, et dicit hoc esse opinionem Alexandri, et quod non est opinandum quod finis humanus sit aliud quam perfectio speculativa. Avempeche autem exposuit sermonem eius, et dixit quod opinio eius est opinio omnium Peripateticorum, scilicet quod continuatio est possibilis, et quod est finis. Et forte hoc est una causarum propter quas

videmus quod consuetudo et mos plurium dantium se Philosophie in hoc tempore sunt corrupti. Et hoc habet alias causas non latentes considerantes in Philosophia Operativa.

Page 434

15. ET EST ETIAM INTELLIGIBILIS, SICUT INTELLECTA.
FORMARE ENIM PER INTELLECTUM ET FORMATUM PER
INTELLECTUM, IN EIS QUE SUNT EXTRA MATERIAM, IDEM
SUNT. SCIENTIA ENIM SPECULATIVA ET SCITUM SECUNDUM
HUNC MODUM IDEM SUNT.

430a2

430a5

Cum dubitavit de intellectu materiali utrum intellectum ex eo est ipse intellectus aut aliud aliquo modo, et oportet, si intellectus in eo est ipsum intellectum, ut sit intellectum per se, non per intentionem in eo, et si fuerit aliud aliquo modo, ut sit intellectum per intentionem in eo, incepit declarare quod est intellectum per intentionem in eo, sicut alie res intellecte, sed differt ab eis in hoc quod illa intentio est in se intellectus in actu, et in aliis rebus est intellectus in potentia. Et dixit: ET EST ETIAM INTELLECTUM, SICUT INTELLECTA. Idest, et est intellectum per intentionem in eo, sicut alie res intellecte. Deinde dedit demonstrationem super hoc. Et dixit: FORMARE ENIM PER INTELLECTUM, etc. Idest, et necesse est ut sit intellectum per intentionem in eo, quia formare per intellectum et formatum idem sunt in rebus non materialibus. Et si iste intellectus esset intellectus per se, contingeret ut scientia speculativa et scitum essent idem, quod est impossibile.

16. ET PERSCRUTANDA EST CAUSA PROPTER QUAM NON SEMPER
INTELLIGIT. IN EO AUTEM QUOD HABET MATERIAM, QUODLIBET
INTELLECTORUM EST IN POTENTIA TANTUM; ISTIS
IGITUR NON ERIT INTELLECTUS (INTELLECTUS ENIM AD
ISTA NON EST NISI POTENTIA ISTORUM ABSTRACTA A MATERIA),
ILLI AUTEM, QUIA EST INTELLECTUM.

430a5

430a9

Page 435

Et oportet perscrutari de causa propter quam non semper intelligit ita quod intellecta eius sint intellectus in se. Et causa in hoc est quod illud ex intellectis quod non habet materiam, suum intellectum est intellectus in se, et ipse semper intelligit; quod autem habet materiam, unumquodque intellectorum est in ipso in potentia, et ideo res intellecte materiales non intelligunt. Et hoc intendebat cum dixit: ISTORUM IGITUR NON EST INTELLECTUS. Idest, et ideo intellecta materialia non habent intellectum. Et quod diminuitur a sermone intelligitur per suum oppositum, et per hanc particulam AUTEM, que notat divisionem. Et quasi dicit: et causa in hoc est quia intellectum eius quod non habet materiam est semper et in actu; intellectum autem eius quod habet materiam est in potentia.

Deinde dixit: ISTIS IGITUR NON EST INTELLECTUS, etc. Idest, ista igitur [line 20 cont.] intellecta propter hoc, scilicet quia sunt intellecta in potentia, non habent intellectum. Intellectus enim attributus istis non est nisi forme istorum abstracte a materia. Et ideo iste forme respectu eorum non erunt intellecte in actu, idest non

comprehense ab eis, neque per eas erunt intelligentia; et in respectu illius quod abstrahit ea a materiis suis erunt intellecta in actu, et per ea erit intelligens, et illa per illam eandem intentionem erunt non intelligentia. Et hoc est complementum sermonis in dissolutione predictae questionis. Ille enim sermo coegit nos ad alterum duorum: si autem intellectus fuerit idem cum intellecto in intellectu materiali, ut sint alie res que sunt extra animam intelligentes; si vero aliud, ut sit intellectum per intentionem in eo, quapropter indiget in essendo intellectum intellectu, et hoc procedit in infinitum.

Page 436

Dissolutio igitur istius questionis est quoniam intentio per quam intellectus materialis fit intellectus in actu est quia est intellectum in actu; intentio vero per quam res que sunt extra animam sunt entia est quia sunt intellecte in potentia, et si essent in actu, tunc essent intelligentes.

iii.5

17. ET QUIA, QUEMADMODUM IN NATURA, EST ALIQUID
IN UNOQUOQUE GENERE QUOD EST MATERIA
(ET EST ILLUD QUOD EST ILLA OMNIA IN POTENTIA), ET
ALIUD QUOD EST CAUSA ET AGENS (ET HOC EST ILLUD
PROPTER QUOD AGIT QUIDLIBET, SICUT DISPOSITIO
ARTIFICII APUD MATERIAM), NECESSE EST UT IN ANIMA
EXISTANT HEE DIFFERENTIE.

430a10

430a14

Cum declaravit naturam intellectus qui est in potentia, et qui est in actu, et dedit differentiam inter ipsum et virtutem ymaginationis, incepit declarare quod necesse est tertium genus intellectus esse, et est intelligentia agens, que facit intellectum qui est in potentia esse intellectum in actu. Et dixit quod ita est in ponendo intelligentiam agentem in hoc genere entium sicut est dispositio in omnibus rebus naturalibus. Quemadmodum enim necesse est in unoquoque genere rerum naturalium generabilium et corruptibilium esse tria ex natura illius generis et ei attributa, agens scilicet et patiens et factum, ita debet esse in intellectu. Et dixit: ET QUIA, QUEMADMODUM IN NATURA, etc. Idest, et quia ita est hoc sicut in rebus naturalibus; idest, et quia consideratio de anima est consideratio naturalis, quia anima est unum entium naturalium, rebus autem naturalibus commune est ut habeant

Page 437

in unoquoque genere materiam (et est illud quod est in potentia omnia que sunt in illo genere), et aliud quod est causa et agens (et est illud propter quod generatur omne quod est illius generis, sicut est artificium apud materiam), necesse est ut hee tres differentie sint in anima.

18. OPORTET IGITUR UT IN EA SIT INTELLECTUS QUI EST
INTELLECTUS SECUNDUM QUOD EFFICITUR OMNE, ET INTELLECTUS
QUI EST INTELLECTUS SECUNDUM QUOD FACIT IPSUM INTELLIGERE
OMNE, ET INTELLECTUS SECUNDUM QUOD INTELLIGIT OMNE,
QUASI HABITUS, QUI EST QUASI LUX. LUX ENIM
QUOQUO MODO ETIAM FACIT COLORES QUI SUNT
IN POTENTIA COLORES IN ACTU.

430a14

430a15

430a17

Et cum necesse est inveniri in parte anime que dicitur intellectus istas tres differentias, necesse est ut in ea sit pars que dicitur intellectus secundum quod efficitur omne modo similitudinis et receptionis, et quod in ea sit etiam secunda pars que dicitur intellectus secundum quod facit istum intellectum qui est in potentia intelligere omne in actu (causa enim propter quam facit intellectum qui est in potentia intelligere omnia in actu nichil aliud est nisi quia sit in actu; hoc enim, quia est in actu, est causa ut intelligat in actu omnia), et quod in ea etiam sit tertia pars que dicitur intellectus secundum quod facit omne intellectum in potentia esse intellectum in actu. Et dixit: OPORTET IGITUR, etc. Et intendit per istum intellectum materiale; hec igitur est sua descriptio predicta. Deinde dixit: ET INTELLECTUS SECUNDUM QUOD FACIT IPSUM INTELLIGERE OMNE. Et intendit

Page 438

per istum illud quod fit, quod est in habitu. Et hoc pronomen IPSUM potest referri ad intellectum materiale, sicut diximus; et potest referri ad hominem intelligentem. Et oportet addere in sermone: secundum quod facit ipsum intelligere omne ex se et quando voluerit. Hec enim est diffinitio habitus, scilicet ut habens habitum intelligat per ipsum illud quod est sibi proprium ex se et quando voluerit, absque eo quod indigeat in hoc aliquo extrinseco. Deinde dixit: ET INTELLECTUS SECUNDUM QUOD INTELLIGIT, etc. Et intendit per istum intelligentiam agentem. Et per hoc quod dixit: INTELLIGIT OMNE QUASI ALIQUIS HABITUS, intendit quod facit omnem rem intellectam in potentia intellectam in actu postquam erat in potentia, quasi habitus et forma. Deinde dixit: QUASI LUX, etc. Modo dat modum ex quo oportuit ponere in anima intelligentiam agentem. Non enim possumus dicere quod proportio intellectus agentis in anima ad intellectum generatum est sicut proportio artificii ad artificiatum omnibus modis. Ars enim imponit formam in tota materia absque eo quod in materia sit aliquid existens de intentione forme antequam artificium fecerit eam. Et non est ita in intellectu; quoniam, si ita esset in intellectu, tunc homo non indigeret, in comprehendendo intelligibilia, sensu neque ymaginatione; immo intellecta pervenirent in intellectum materiale ab intellectu agentis, absque eo quod intellectus materialis indigeret aspicere formas sensibiles. Neque etiam possumus dicere quod intentiones ymaginate sunt sole moventes intellectum materiale et extrahentes eum de potentia in actum; quoniam, si ita esset, tunc nulla differentia esset inter universale et individuum, et tunc intellectus esset de genere virtutis ymaginative. Unde necesse est, cum hoc quod posuimus quod proportio intentionum

Page 439

ymaginarum ad intellectum materiale est sicut proportio sensibilibus ad sensus (ut Aristoteles post dicet), imponere alium motorem esse, qui facit eas movere in actu intellectum materiale (et hoc nichil est aliud quam facere eas intellectas in actu, abstrahendo eas a materia).

Et quia hec intentio cogens ad ponendum intellectum

agentem alium a materiali et a formis rerum quas intellectus materialis comprehendit est similis intentioni propter quam visus indiget luce, cum hoc quod agens et recipiens alia sunt a luce, contentus fuit in notificando hunc modum per hoc exemplum. Et quasi dicit: et modus qui coegit nos ad imponendum intellectum agentem idem est cum modo propter quem indiget visus luce. Quemadmodum enim visus non movetur a coloribus nisi quando fuerint in actu, quod non completur nisi luce presente, cum ipsa sit extrahens eos de potentia in actum, ita etiam intentiones ymagine non movent intellectum materiale nisi quando fuerint intellecte in actu, quod non perficitur eis nisi aliquo presente quod sit intellectus in actu. Et fuit necesse attribuere has duas actiones anime in nobis, scilicet recipere intellectum et facere eum, quamvis agens et recipiens sint substantie eterne, propter hoc quia hee due actiones reducte sunt ad nostram voluntatem, scilicet abstrahere intellecta et intelligere ea. Abstrahere enim nichil est aliud quam facere intentiones ymaginatas intellectas in actu postquam erant in potentia; intelligere autem nichil aliud est quam recipere has intentiones. Cum enim invenimus idem transferri in suo esse de ordine in ordinem, scilicet intentiones ymaginatas, diximus quod necesse est ut hoc sit a causa agentis et recipientis. Recipiens igitur est materialis, et agens est efficiens.

Et cum invenimus nos agere per has duas virtutes intellectus

Page 440

cum voluerimus, et nichil agit nisi per suam formam, ideo fuit necesse attribuere nobis has duas virtutes intellectus. Et intellectus qui est abstrahere intellectum et creare eum necesse est ut precedat in nobis intellectum qui est recipere eum. Et Alexander dicit quod rectius est describere intellectum qui est in nobis per suam virtutem agentem, non per patientem, cum passio et receptio communes sint intellectui et sensibus et virtutibus distinctivis, actio autem est propria ei; et est melius quod res describatur per suam actionem. Dico: et hoc non esset necesse omni modo, nisi si hoc nomen PASSIO diceretur in eis modo univoco; non enim dicitur nisi modo equivoco.

Et omnia dicta ab Aristotele in hoc sunt ita quod universalia nullum habent esse extra animam, quod intendit Plato. Quoniam, si ita esset, non indigeret ponere intellectum agentem.

19. ET ISTE INTELLECTUS ETIAM EST ABSTRACTUS, NON MIXTUS NEQUE PASSIBILIS, ET EST IN SUA SUBSTANTIA ACTIO. AGENS ENIM SEMPER EST NOBILIUS PATIENTE, ET PRINCIPIUM NOBILIUS MATERIA. ET SCIENTIA IN ACTU EADEM EST CUM RE.

430a17

430a20

Cum declaravit secundum genus esse intellectus, et est agens, incepit facere comparisonem inter eum et materiale. Et dixit: ET ISTE INTELLECTUS ETIAM, etc. Idest, et iste etiam intellectus est abstractus, sicut materialis, et est etiam non passibilis neque mixtus, sicut ille. Et cum narravit ea in quibus communicat intellectui materiali, dedit

dispositionem propriam intellectui agenti. Et dixit:
ET EST IN SUA SUBSTANTIA ACTIO, idest quod non est in eo potentia

Page 441

ad aliquid, sicut in intellectu recipienti est potentia ad recipiendum formas. Intelligentia enim agens nichil intelligit ex eis que sunt hic. Et fuit necesse ut intelligentia agens sit abstracta, et non mixta neque passibilis, secundum quod est agens omnes formas intellectas. Si igitur esset mixta, non esset agens omnes formas, sicut fuit necesse ut intellectus materialis, secundum quod est recipiens omnes formas, ut sit etiam abstractus et non mixtus (quoniam, si non esset abstractus, haberet formam hanc singularem, et tunc necesse esset alterum duorum, scilicet aut ut reciperet se, et tunc motor in eo esset motum, aut ut non reciperet omnes species formarum). Et similiter, si intelligentia agens esset mixta cum materia, tunc necesse esset aut ut intelligeret et crearet se aut ut non crearet omnes formas. Que igitur est differentia inter has duas demonstrationes in considerando per eas? Sunt enim valde consimiles. Et mirum est quomodo omnes concedunt hanc demonstrationem esse veram, scilicet de intellectu agenti, et non conveniunt in demonstratione de intellectu materiali; et licet etiam sint valde consimiles, ita quod oportet concedentem alteram concedere aliam. Et possumus scire quod intellectus materialis debet esse non mixtus ex iudicio, et eius comprehensione. Quia enim iudicamus per ipsum res infinitas in numero in propositione universali, et est manifestum quod virtutes anime iudicantes, scilicet individuales mixte, non iudicant nisi intentiones finitas, contingit secundum conversionem oppositi quod illud quod non iudicat intentiones finitas necesse est ut non sit virtus anime mixta. Et cum huic coniunxerimus quod intellectus materialis iudicat res infinitas et non acquisitas a sensu, et quod non iudicat intentiones finitas, continget ut sit virtus non

Page 442

mixta. Avempeche autem videtur concedere hanc propositionem esse veram in epistola Expeditionis, scilicet quod virtus per quam iudicamus iudicio universali est infinita; sed existimavit hanc virtutem esse intellectum agentem, secundum manifestum sui sermonis illic. Et non est ita; iudicium enim et distinctio non attribuuntur in nobis nisi intellectui materiali. Et Avicenna certe utebatur hac propositione; et est vera in se. Et cum notificavit quod intellectus agens differt a materiali in eo quod agens semper est pura actio, materialis autem est utrunque propter res que sunt hic, dedit causam finalem in hoc. Et dixit: AGENS ENIM SEMPER EST NOBILIUS PATIENTE. Idest, et iste semper est in sua substantia actio, et ille invenitur in utraque dispositione, et iam declaratum est quod proportio intellectus agentis ad intellectum patientem est sicut proportio principii moventis quoquo modo ad materiam motam; agens autem semper est nobilius patiente, et principium nobilius materia. Et ideo opinandum est secundum Aristotelem quod ultimus intellectus abstractorum in ordine est iste intellectus materialis.

Actio enim eius est diminuta ab actione illorum, cum actio eius magis videtur esse passio quam actio, non quia est aliud per quod differat iste intellectus ab intellectu agentis nisi per hanc intentionem tantum. Quoniam, quemadmodum non scimus multitudinem intellectuum abstractorum nisi per diversitatem actionum eorum, ita etiam non scimus diversitatem istius intellectus materialis ab intellectu agentis nisi per diversitatem suarum actionum. Et quemadmodum intellectui agentis accidit ut quandoque agat in res existentes hic et quandoque non, ita isti accidit ut quandoque iudicet res existentes hic et quandoque

Page 443

non; sed differunt tantum in hoc quod iudicium est aliquid in capitulo perfectionis iudicis, actio autem non est secundum illum modum in capitulo perfectionis agentis. Considera igitur hoc, quoniam est differentia inter hos duos intellectus, et nisi hoc esset, nulla esset alietas inter eos. O Alexander, si hoc nomen INTELLECTUS MATERIALIS non significasset apud Aristotelem nisi preparationem tantum, quomodo faceret hanc comparisonem inter ipsum et intellectum agentem, scilicet in dando ea in quibus conveniunt et ea in quibus differunt? Deinde dixit: ET SCIENTIA IN ACTU IDEM EST CUM RE. Et innuit, ut reputo, aliquod proprium intellectui agentis, in quo differt a materiali, scilicet quod in intelligentia agentis scientia in actu eadem est cum scito, et non est sic in intellectu materiali, cum suum intellectum est res que non sunt in se intellectus. Et cum notificavit quod sua substantia est sua actio, dedit causam super hoc. Et dixit:

20. ET QUOD EST IN POTENTIA PRIUS EST TEMPORE IN INDIVIDUO; UNIVERSALITER AUTEM NON EST NEQUE IN TEMPORE. NEQUE QUANDOQUE INTELLIGIT ET QUANDOQUE NON INTELLIGIT. ET CUM FUERIT ABSTRACTUS, EST ILLUD QUOD EST TANTUM, ET ISTE TANTUM EST IMMORTALIS SEMPER. ET NON REMEMORAMUR, QUIA ISTE EST NON PASSIBILIS, ET INTELLECTUS PASSIBILIS EST CORRUPTIBILIS, ET SINE HOC NICHIL INTELLIGITUR.

430a20

430a25

Istud capitulum potest intelligi tribus modis, quorum unus est secundum opinionem Alexandri, et secundus secundum [line 10 cont.] opinionem

Page 444

Themistii et aliorum expositorum, et tertius secundum opinionem quam nos narravimus (et est magis manifestum secundum verba). Potest enim intelligi secundum Alexandrum quod intendebat per INTELLECTUM IN POTENTIA preparationem existentem in complexione humana, scilicet quod potentia et preparatio que est in homine ad recipiendum intellectum in respectu uniuscuiusque individui est prior tempore intellectu agentis; simpliciter autem intellectus agens est prior. Et cum dixit: NEQUE EST QUANDOQUE INTELLIGENS ET QUANDOQUE NON, intendit intellectum agentem. Et cum dixit: ET CUM FUERIT SEPARATUM, EST QUOD EST TANTUM, NON MORTALE, intendit quod iste intellectus, cum fuerit copulatus in nobis et intellexerimus per illum alia entia secundum quod est forma nobis, ipse solus

tunc inter partes intellectus est non mortalis. Deinde dixit: ET NON REMEMORAMUR, etc. Et hec est questio circa intellectum agentem secundum quod copulatur nobis et intelligimus per illum. Potest enim quis dicere quod, cum intellexerimus per aliquod eternum, necesse est ut intelligamus per illud post mortem sicut ante. Et dixit respondendo quod iste intellectus non copulatur nobis nisi mediante esse intellectus materialis generabilis et corruptibilis in nobis; et cum iste intellectus fuerit corruptus in nobis, neque rememorabimur. Forte igitur Alexander ita exposuit hoc capitulum, licet non vidimus expositionem suam in hoc loco. Themistius autem intelligit per INTELLECTUM QUI EST IN POTENTIA intellectum materiale abstractum, cuius esse demonstratum est. Et intendit per intellectum

Page 445

cuius fecit comparisonem cum hoc intellectum agentem secundum quod continuatur cum intellectu qui est in potentia, et hoc quidem est intellectus speculativus apud ipsum. Et cum dixit: ET NON QUANDOQUE INTELLIGIT ET QUANDOQUE NON, intelligit intellectum agentem secundum quod non tangit intellectum materiale. [line 42 cont.] Et cum dixit: ET CUM FUERIT ABSTRACTUS, EST QUOD EST TANTUM, NON MORTALIS, intendit intellectum agentem secundum quod est forma intellectui materiali, et hoc est intellectus speculativus apud ipsum. Et erit illa questio circa intellectum agentem secundum quod tangit intellectum materiale (et est speculativus), scilicet cum dixit: ET NON REMEMORAMUR. Dicit enim quod remotum est ut ista dubitatio ab Aristotele sit circa intellectum nisi secundum quod intellectus agens est forma nobis. Dicit enim quod ponenti intellectum agentem esse eternum et intellectum speculativum esse non eternum non contingit hec questio, scilicet quare non rememoramur post mortem quod intelligimus in vita. Et est sicut dixit; ponere enim istam questionem circa intellectum agentem secundum quod est adeptus, ut Alexander dicit, remotum est. Scientia enim existens in nobis in dispositione adeptionis equivoce dicitur cum scientia existente per Naturam et disciplinam. Ista igitur questio, ut apparet, non est nisi in scientia existente per Naturam. Impossibile enim est ut ista questio sit nisi circa cognitionem eternam existentem in nobis, aut per Naturam, ut dicit Themistius, aut per intellectum adeptum in postremo. Quia igitur hec questio apud Themistium est circa intellectum speculativum, et initium sermonis Aristotelis est de intellectu agenti, ideo opinatus fuit quod intellectus speculativus est agens apud Aristotelem secundum quod tangit [line 67 cont.] intellectum

Page 446

materiale. Et testatur super omnia ista ex hoc quod dixit in primo tractatu de intellectu speculativo. Fecit enim illic eandem questionem quam hic, et dissolvit eam per hanc eandem dissolutionem. Dixit enim in primo istius libri: INTELLECTUS AUTEM VIDETUR ESSE ALIQUA SUBSTANTIA EXISTENS IN RE, ET NON CORRUMPI. QUONIAM, SI CORRUMPERETUR, TUNC MAGIS ESSET HOC APUD FATIGATIONEM SENECTUTIS. Et postea dedit modum ex quo possibile est ut intellectus sit non corruptibilis et intelligere per

ipsum erit corruptibile, et dixit: ET FORMARE PER INTELLECTUM
ET CONSIDERARE SUNT DIVERSA ITA QUOD INTUS CORRUMPETUR
ALIQUOD ALIUD; IPSUM AUTEM IN SE NULLAM HABET OCCASIONEM.
DISTINCTIO AUTEM ET AMOR NON SUNT ESSE ILLIUS, SED ISTIUS CUIUS
EST HOC, SECUNDUM QUOD EST EIUS. ET IDEO ETIAM, CUM ISTE CORRUMPETUR,
NON REMEMORABIMUR, NEQUE DILIGEMUS. Themistius
igitur dicit quod sermo eius in illo tractatu in quo dixit: INTELLECTUS
AUTEM VIDETUR ESSE SUBSTANTIA ALIQUA EXISTENS IN RE, ET NON
CORRUMPI, idem est cum illo in quo dixit hic: ET CUM FUERIT
ABSTRACTUS, EST QUOD EST TANTUM, NON MORTALIS, ETERNUS.
Et quod dixit hic: ET NON REMEMORAMUR, QUIA ISTE EST
NON PASSIBILIS, INTELLECTUS AUTEM PASSIBILIS EST CORRUPIBILIS,
ET SINE HOC NICHIL INTELLIGITUR, idem est cum eo quod illic dixit,
scilicet: ET FORMARE PER INTELLECTUM ET CONSIDERARE DIVERSANTUR,
etc. Et dicit propter hoc quod intendebat hic per INTELLECTUM
PASSibilem partem concupiscibilem anime; ista enim
pars videtur habere aliquam rationem; auscultat enim ad
illud quod respicit anima rationalis. Nos autem, cum
vidimus opiniones Alexandri et Themistii esse impossibiles,
et invenimus verba Aristotelis manifesta secundum nostram

Page 447

expositionem, credimus quod ista est opinio Aristotelis quam nos
diximus, et est vera in se. Quoniam autem verba eius
apparentia sunt in hoc capitulo declarabitur sic. Cum enim
dixit: ET ISTE INTELLECTUS ETIAM EST ABSTRACTUS, NON MIXTUS
NEQUE PASSIBILIS, loquitur de intellectu agenti; et non possumus
aliud dicere. Et hec particula ETIAM ostendit alium intellectum
esse non passibilem neque mixtum. Et similiter, comparatio
inter eos manifestum est quod est inter intellectum
agentem et intellectum materiale, secundum quod intellectus
materialis communicat agenti in multis istarum dispositionum.
Et in hoc convenit nobiscum Themistius, et differt Alexander.

Et cum dixit: ET QUOD EST IN POTENTIA EST PRIUS TEMPORE
INDIVIDUO, potest intelligi per tres opiniones eodem
modo. Secundum enim nostram opinionem, et Themistii,
intellectus qui est in potentia prius continuatur
cum nobis quam intellectus agens; et secundum Alexandrum intellectus
qui est in potentia erit prior in nobis secundum
esse aut generationem, non secundum continuationem.
Et cum dixit: UNIVERSALITER AUTEM NON EST NEQUE
IN TEMPORE, loquitur de intellectu qui est in potentia;
quoniam, cum fuerit acceptus simpliciter, non respectu
individui, tunc non erit prior intellectu agenti aliquo
modo prioritatis, sed posterior ab eo omnibus modis.
Et iste sermo convenit utrique opinioni, scilicet dicenti quod
intellectus qui est in potentia est generabilis, aut non
generabilis. Et cum dixit: NEQUE EST QUANDOQUE INTELLIGENS
ET QUANDOQUE NON INTELLIGENS, impossibile est ut iste
sermo intelligatur secundum suum manifestum neque secundum
[line 123 cont.] Themistium
neque secundum Alexandrum. Quoniam hoc verbum EST, cum

Page 448

dixit: NEQUE QUANDOQUE EST INTELLIGENS ET QUANDOQUE NON
INTELLIGENS, refertur secundum eos ad intellectum agentem. Sed

Themistius, sicut diximus, opinatur quod intellectus agens est speculativus, secundum quod tangit intellectum materiale. Alexander autem opinatur quod intellectus qui est in habitu (et est speculativus) est alius ab intellectu agentis. Et hoc oportet credere; artificium enim aliud est ab artificiato, et agens aliud ab acto. Secundum autem quod nobis apparuit, sermo est iste secundum suum manifestum, et erit illud verbum EST relatum ad propinquissime dictum, et est intellectus materialis cum fuerit acceptus simpliciter, non in respectu individui. Intellectus enim qui dicitur materialis, secundum quod diximus, non accidit ei ut quandoque intelligat et quandoque non nisi in respectu formarum ymaginationis existentium in unoquoque individuo, non in respectu speciei; v.g. quod non accidit ei ut quandoque intelligat intellectum equi et quandoque non nisi in respectu Socratis et Platonis; simpliciter autem et respectu speciei semper intelligit hoc universale, nisi species humana deficiat omnino, quod est impossibile. Et secundum hoc sermo erit secundum suum manifestum. Et cum dixit: UNIVERSALITER AUTEM NON EST NEQUE IN TEMORE, etc., intendit quod intellectus qui est in potentia, cum non fuerit acceptus in respectu alicuius individui, sed fuerit acceptus simpliciter et in respectu cuiuslibet individui, tunc non invenietur aliquando intelligens et aliquando non, sed semper invenietur intelligens; quemadmodum intellectus agens, cum non fuerit acceptus in respectu alicuius individui, tunc non invenietur quandoque intelligens et quandoque non intelligens, sed semper invenietur intelligere, cum acceptus fuerit simpliciter; idem enim est modus in

Page 449

actione duorum intellectuum. Et secundum hoc, cum dixit: ET CUM FUERIT ABSTRACTUS, EST QUOD EST TANTUM, NON MORTALIS, intendit: et cum fuerit abstractus secundum hunc modum, ex hoc modo est tantum non mortalis, non secundum quod accipitur in respectu individui. Et erit sermo eius in quo dixit: ET NON REMEMORAMUR, etc., secundum suum manifestum. Contra enim hanc opinionem surgit questio perfecte. Dicet enim querens: Cum intellecta communia sint non generabilia neque corruptibilia secundum hunc modum, quare non rememoramur post mortem cognitionum habitatum in hac vita? Et dicetur dissolvendo: quia rememoratio fit per virtutes comprehensivas passibiles, scilicet materiales. Et sunt tres virtutes quarum esse declaratum est in Sensu et Sensato, scilicet ymaginativa et cogitativa et rememorativa; iste enim tres virtutes sunt in homine ad presentandam formam rei ymagine quando fuerit sensus absens, et ideo dictum fuit illic quod, cum iste tres virtutes adiuverint se adinvicem, forte representabant individuum rei secundum quod est in suo esse, licet autem non sentiamus ipsum. Et intendebat hic per INTELLECTUM PASSIBILEM formas ymaginationis secundum quod in eas agit virtus cogitativa propria homini. Ista enim virtus est aliqua ratio, et actio eius nichil est aliud quam ponere intensionem forme ymaginationis cum suo individuo apud rememorationem, aut distinguere eam ab eo apud formationem et ymaginationem. Et manifestum est quod intellectus qui dicitur materialis recipit intensiones ymaginatas post hanc distinctionem. Iste igitur intellectus passibilis necessarius

est in formatione. Recte igitur dixit: ET NON REMEMORAMUR,
QUIA ISTE NON PASSIBILIS, ET INTELLECTUS PASSIBILIS
EST CORRUPTIBILIS, ET SINE HOC NICHIL INTELLIGIT. Idest, et

Page 450

sine virtute ymaginativa et cogitativa nichil intelligit
intellectus qui dicitur materialis; hee enim virtutes sunt quasi
res que preparant materiam artificii ad recipiendum actionem
artificii. Hec igitur est una expositio. Et potest
exponi alio modo, et est quod, cum dixit: ET NON EST QUANDOQUE
ISTE INTELLIGENS ET QUANDOQUE NON INTELLIGENS, intendit:
cum non fuerit acceptus secundum quod intelligit et informatur a
formis materialibus generabilibus et corruptibilibus,
sed fuerit acceptus simpliciter et secundum quod intelligit formas
abstractas liberatas a materia, tunc non invenietur quandoque
intelligens et quandoque non intelligens, sed invenietur
in eadem forma; v.g. in modo per quem intelligit intellectum
agentem, cuius proportio est ad ipsum, sicut diximus,
sicut lucis ad diaffonum. Opinandum est enim quod
iste intellectus qui est in potentia, cum declaratum est
quod est eternus et quod innatus est perfici per formas materiales,
dignior est ut sit innatus perfici per formas non
materiales, que sunt in se intellecte. Sed non in primo
copulatur nobiscum ex hoc modo, sed in postremo, quando
perficitur generatio intellectus qui est in habitu, ut declarabimus
post. Et secundum hanc expositionem, cum dixit: ET
CUM FUERIT ABSTRACTUS, EST QUOD EST TANTUM, NON MORTALIS, innuit
intellectum materiale secundum quod perficitur per intellectum
agentem, quando fuerit copulatus nobiscum ex hoc modo, deinde
abstrahetur. Et forte innuit intellectum materiale
in sua prima continuatione nobiscum, scilicet continuatione
que est per Naturam. Et appropriavit ipsum per hanc
particulam TANTUM, innuendo ad corruptionem intellectus qui est
in habitu, ex modo per quem est corruptibilis. Et universaliter, quando
quis intuebitur intellectum materiale cum intellectu

Page 451

agenti, apparebunt esse duo uno modo et unum alio modo.
Sunt enim duo per diversitatem actionis eorum; actio enim
intellectus agentis est generare, istius autem informari.
Sunt autem unum quia intellectus materialis perficitur per
agentem et intelligit ipsum. Et ex hoc modo dicimus quod
intellectus continuatus nobiscum, apparent in eo due virtutes,
quarum una est activa et alia de genere virtutum
passivarum. Et quam bene assimilatur illum Alexander igni! Ignis
enim innatus est alterare omne corpus per virtutem existentem
in eo, sed tamen cum hoc patitur quoquo modo ab eo
quod alterat, et assimilatur cum eo aliquo modo similitudinis,
idest acquirit ab eo formam igneam minorem forma
ignea alteranti. Hec enim dispositio valde est similis dispositioni
intellectus agentis cum passibili et cum intellectis que
generat; est enim agens ea uno modo et recipiens ea alio
modo. Et secundum hoc erit sermo in quo dixit: ET NON REMEMORAMUR,
etc., dissolutio questionis que fecit antiquos expositores
credere intellectum qui est in habitu esse eternum,
et fecit Alexandrum opinari intellectum materiale esse
generabilem et corruptibilem, in qua dicebatur: Quomodo intellecta

a nobis sunt non eterna, cum hoc quod intellectus est eternus et recipiens est eternum? Et quasi dicit respondendo quod causa in hoc est quia intellectus materialis nichil intelligit sine intellectu passibili, licet agens sit et recipiens sit, sicut comprehendere colorem non est, licet lux sit et visus sit, nisi coloratum sit. Et tunc, secundum quamcunque istarum expositionum [line 240 cont.] dicatur, litera erit conveniens verbis Aristotelis et suis demonstrationibus sine aliqua contradictione aut exitu a manifesto sui sermonis. Et ideo non est recte uti in doctrina de verbis equivocis

Page 452

nisi eis que, licet sint diversa, tamen conveniunt omnibus intentionibus de quibus possunt dici. Et demonstrat quod intendebat hic per INTELLECTUM PASSIBILEM virtutem ymaginativam humanam hoc quod cecidit in alia translatione loco eius quod dixit: QUIA EST NON PASSIBILIS, ET INTELLECTUS PASSIBILIS EST CORRUPTIBILIS. Dicit enim in illa translatione: ET QUOD INDUXIT NOS AD DICENDUM QUOD ISTE INTELLECTUS NON ALTERATUR NEQUE PATITUR EST QUOD EXISTIMATIO EST INTELLECTUS PASSIBILIS, ET QUOD CORRUMPITUR, ET NON COMPREHENDIT INTELLECTUM ET NICHIL INTELLIGIT SINE YMAGINATIONE. Hoc nomen igitur INTELLECTUS secundum hoc dicitur in hoc libro quatuor modis. Dicitur enim de intellectu materiali, et de intellectu qui est in habitu, et de intellectu agenti, et de virtute ymaginativa. Et debes scire quod nulla differentia est secundum expositionem Themistii et antiquorum expositorum, et opinionem Platonis in hoc quod intellecta existentia in nobis sunt eterna, et quod addiscere est rememorari. Sed Plato dicit quod ista intellecta sunt in nobis quandoque et quandoque non propter hoc quod subiectum preparatur quandoque ad recipiendum ea et quandoque non; et ipsa in se ita sunt antequam recipiamus sicut post; et ita sunt extra animam sicut in anima. Themistius autem dicit quod hoc, scilicet quod quandoque sunt copulata et quandoque non, accidit eis propter naturam recipientis. Opinatur enim quod intellectus agens non est innatus continuari nobiscum in primo nisi secundum quod tangit intellectum materiale. Et ideo accidit ei ex hoc modo diminutio ista, cum continuatio cum intentionibus ymaginationis est uno modo quasi receptio et alio modo quasi actio; et ideo intellecta sunt in eo in dispositione diversa a suo esse in intellectu agenti. Et fiducia

Page 453

in intelligendo hanc opinionem est quod causa movens Aristotelem ad imponendum intellectum materiale esse non est quia est hic intellectus factum, sed causa in hoc est aut quia, cum fuerint inventa intellecta que sunt in nobis secundum dispositiones non convenientes intellectibus simplicibus, tunc fuit dictum quod iste intellectus qui est in nobis est compositus ex eo quod est in actu, scilicet intellectu agenti, et ex eo quod est in potentia; aut quia continuatio eius secundum hanc opinionem est similis generationi, et quasi assimilatur agenti et patienti, scilicet in sua continuatione cum intentionibus ymaginationis. Secundum igitur hanc opinionem agens et patiens et factum erunt idem, et est dictum ab istis tribus dispositionibus per diversitatem que accidit ei. Nos autem opinamur quod non movit ipsum ad imponendum intellectum agentem nisi

hoc quod intellecta speculativa sunt generata secundum modum quem diximus. Considera ergo hoc, quoniam est differentia inter tres opiniones, scilicet Platonis et Themistii et opinionem nostram. Et secundum expositionem Themistii non indiget in istis intellectis nisi ad ponendum intellectum materiale tantum, aut intellectum materiale et agentem secundum modum similitudinis; ubi enim non est vera generatio, non est agens. Et nos convenimus cum Alexandro in modo ponendi intellectum agentem, et differimus ab eo in natura intellectus materialis. Et differimus a Themistio in natura intellectus qui est in habitu, et in modo ponendi intellectum agentem. ET nos etiam quoquo modo convenimus cum Alexandro in natura intellectus qui est in habitu, et alio modo differimus. Hee igitur sunt differentie quibus dividuntur opiniones attribute Aristoteli. Et debes scire quod usus et exercitium sunt cause eius quod apparet de potentia intellectus agentis qui est in

Page 454

nobis ad abstrahendum, et intellectus materialis ad recipiendum; sunt, dico, cause propter habitum existentem per usum et exercitium in intellectu passibili et corruptibili, quem Aristoteles vocavit PASSIBILEM, et dixit aperte ipsum corrumpi. Et si non, contingeret ut virtus que est in nobis agens intellecta esset materialis et similiter virtus passibilis. Et ideo nullus potest ratiocinari per hoc super hoc quod intellectus materialis admisceatur corpori. Illud enim quod dicit opinans ipsum esse admixtum in responsione istius sermonis in intellectu agenti dicimus nos in responsione eius in intellectu materiali. Et per istum intellectum quem vocavit Aristoteles PASSIBILEM diversantur homines in quatuor virtutibus dictis in Topicis, quas Alfarabius numeravit in Elenchis. Et per istum intellectum differt homo ab aliis animalibus; et si non, tunc necesse esset ut continuatio intellectus agentis et recipientis cum animalibus esset, eodem modo. Intellectus quidem operativus differt a speculativo per diversitatem preparationis existentis in hoc intellectu. His igitur declaratis revertamur ad nostrum, et dicamus:

iii.6

21. FORMARE AUTEM RES INDIVISIBILES ERIT IN ISTIS REBUS,
SCILICET IN QUIBUS NON EST FALSITAS. RES AUTEM IN QUIBUS
EST FALSUM ET VERUM, ILLUD EST ALIQUA COMPOSITIO
TUNC AD RES INTELLECTAS SECUNDUM QUOD SUNT ENTIA; SICUT
DIXIT EMPEDOCLES QUOD MULTA CAPITA ET COLLA
DISPONUNTUR...IN POSTREMO PER COMPOSITIONEM
AMICITIE; ITA ETIAM SUNT SEPARATA PER COMPOSITIONEM,
V.G. DICERE assimetrum
ET DICERE diametrum.

430a26

430a30

430a31

Page 455

Cum complevit notificare substantiam trium intellectum, scilicet materialis et eius qui est in habitu et agentis, incepit considerare de actionibus et proprietatibus intellectus. Et hoc est quod remansit de cognitione istius virtutis. Et quia famosior differentiarum per quas dividitur actio intellectus sunt due actiones, quarum una dicitur FORMATIO et alia FIDES, incepit hic notificare differentiam inter has duas actiones. Et dixit: FORMARE AUTEM RES INDIVISIBILES,

etc. Idest, comprehendere autem res simplices non compositas erit per intellecta que non falsantur neque veridicantur, que dicitur INFORMATIO; comprehendere autem ab eo res compositas erit per intellecta in quibus est falsitas et veritas.. Et contentus fuit prima divisione sine secunda, cum oppositum intelligatur per suum oppositum. Deinde dixit: RES AUTEM IN QUIBUS INVENITUR FALSUM ET VERUM, etc. Idest, intellecta autem in quibus invenitur veritas et falsitas, est in eis aliqua compositio ab intellectu materiali et intellectu qui primo intelligit singularia. Si igitur hec compositio fuerit conveniens enti, erit vera; sin autem, erit falsa. Et ista actio intellectus in intellecta similis est ei quod Empedocles dicit de actione amicitie in entia. Quemadmodum enim dicit Empedocles quod multa capita erant separata a collis, deinde amicitia congregavit ea et composuit simile cum simili, ita intellecta existunt primo divisa in intellectu materiali, v.g. dicere DIAMETRUM QUADRATI et dicere ASSIMETRUM LATERUM; intellectus enim intelligit ista primo singularia; deinde componit ea, scilicet simetrum aut assimetrum; si igitur composuerit secundum ens, erit verum, si non, falsum.

Page 456

22. ET SI FUERINT PRETERITA AUT FUTURA, TUNC CUM	430a31
HOC INTELLIGIT TEMPUS, ET COMPOSIT IPSUM. FALSITAS	430b1
ENIM SEMPER EST IN COMPOSITIONE; QUONIAM, CUM	
DIXERIS ALBUM ESSE NON ALBUM, IAM COMPOSUISTI	
ALBUM CUM NON ALBO, SICUT DICENS ALBUM.	
ET POSSIBILE EST DICERE OMNIA ESSE DIVISIONEM. SED	
NON HIC SOLUM EST VERUM ET FALSUM, SCILICET SOCRATEM	
ESSE ALBUM, SED CUM HOC QUOD FUIT, AUT ERIT. ET QUOD	430b5
HOC ET SUUM SIMILE FACIT UNUM EST INTELLECTUS.	430b6

Et si illa intellecta singularia fuerint rerum que innate sunt esse aut in preterito tempore aut in futuro, tunc intellectus intelligit cum illis rebus tempus in quo sunt, et postea componet ipsum cum eis, et iudicabit quod ille res fuerunt aut erunt, sicut iudicat quod diametrum est assimetrum coste. Et quia narravit primo quod veritas et falsitas inveniuntur in compositione, incepit declarare quod falsitas est compositio, et non invenitur in aliqua actione actionum intellectus. Et dixit: FALSITAS ENIM SEMPER EST IN COMPOSITIONE. Et ratiocinatio super hoc est quoniam est dicere hoc in re alba quod non est alba est compositio similis ad dicere in re alba quod est alba, licet illud sit falsum et hoc verum. Et quia apparet quod affirmatio magis digna est compositioni, et negatio divisioni, dixit: ET POSSIBILE EST DICERE IN EIS OMNIBUS QUOD SUNT DIVISIO. Idest, et sicut possumus dicere negationem et affirmationem esse compositionem, sic possumus dicere utranque esse divisionem, licet affirmatio magis videatur habere hoc nomen

Page 457

COMPOSITIO, et negatio hoc nomen DIVISIO; quoniam in affirmatione componitur predicatum cum subiecto, in negatione autem primo dividit intellectus predicatum a subiecto et post componit ea. Et cum declaravit quod veritas et falsitas accidunt compositioni rerum adinvicem, declaravit etiam quod hoc idem accidit quando componit eas cum tempore. Et dixit: SED NON

ISTUD SOLUM EST VERUM ET FALSUM, etc. Idest, et veritas et falsitas non accidunt solum compositioni in propositionibus in quibus predicatum est nomen, sed in eis in quibus predicatum est verbum, v.g. SOCRATES FUIT aut ERIT. Deinde dixit: ET QUOD FACIT HOC, etc. Idest, et quod facit hec intellecta singularia esse unum per compositionem postquam erant multa est intellectus materialis. Iste enim distinguit intellecta singularia, et componit consimilia, et dividit diversa. Oportet enim ut virtus comprehendens simplicia et composita sit eadem, quoniam proportio istius virtutis ad intentiones formarum ymaginatarum debet esse sicut proportio sentientis communis ad sensibilia diversa, non secundum quod apparet de verbis Avempeche in initio sui sermonis de Virtute Rationali, scilicet quod virtus compositiva debet esse alia ab ymaginativa.

23. ET QUIA INDIVISIBILE EST DUOBUS MODIS, AUT
IN POTENTIA AUT IN ACTU, NICHIL PROHIBET HOC QUOD, QUANDO
INTELLEXERIT LONGITUDINEM, UT INTELLIGAT INDIVISIBILE
(ET ILLUD INDIVISIBILE IN ACTU), ET IN TEMPORE INDIVISIBILI;
TEMPUS ENIM SECUNDUM HUNC MODUM EST DIVISIBILE
ET INDIVISIBILE IN LONGITUDINE. NULLUS
ENIM POTEST DICERE QUOD INTELLIGIT UTRUNQUE

430b6

430b10

Page 458

MODUM ESSE ALIQUID, CUM NON SIT, QUOUSQUE DIVIDATUR,
SED IN POTENTIA. CUM AUTEM INTELLEXERIT UTRUNQUE
DUORUM PER SE, TUNC DIVIDET TEMPUS ETIAM,
ET TUNC ERUNT QUASI DUE LONGITUDINES, CONGREGATE
AUTEM IN TEMPORE QUOD EST SUPER EAS.

430b14

Cum declaravit quod actio intellectus indivisibilis est in rebus indivisibilibus, incepit hic declarare ex quo modo contingit ei intelligere divisibilia habentia quantitatem intellectione indivisibili et in tempore indivisibili, et ex quo modo contingit ei ut intelligat ea divisibiliter et in tempore divisibili, sicut est dispositio in intelligendo res multas. Et dixit: ET QUIA INDIVISIBILE EST, etc. Idest, et quia indivisibile dicitur duobus modis, potentia et actu, possibile est dicere quod intellectus intelligit res ex rebus divisibilibus potentia, indivisibilibus actu (sicut longitudo et tempus latens quod est in eis est indivisibile actu), et quod hoc fit intellectione indivisibili, et in tempore indivisibili, quemadmodum intelligit res indivisibiles utroque modo. Necesse est enim ut intelligat intentionem indivisibilem indivisibiliter, sive illa intentio fuerit divisibilis aliquo modo aut nullo modo. Et cum dixit: INTELLIGAT INDIVISIBILE, etc., intendit: intelligat intentionem indivisibilem (et illud intellectum est indivisibile), et in tempore indivisibili Deinde dixit: TEMPUS ENIM SECUNDUM ILLUM MODUM EST DIVISIBILE ET INDIVISIBILE. Idest, tempus enim invenitur etiam uno modo divisibile et alio modo indivisibile, sicut in longitudine. Et cum declaravit quod intellectus intelligit magnitudinem et tempus, et universaliter omne quod est indivisibile actu et

Page 459

divisibile potentia, per intellectionem indivisibilem, et in tempore indivisibili, declaravit etiam quod impossibile est aliquem

dicere quod intelligere talia fit per intellectionem divisibilem, et in tempore divisibili. Et dixit: NULLUS POTES DICERE, etc. Idest, nullus igitur potest dicere quod, cum intellectus intelligit lineam, non subito intelligit eam, sed primo aliquam partem et secundo aliam; ille enim due partes non sunt due actu in linea, donec linea dividatur, sed tantum sunt due in potentia. Et cum dixit UTRUNQUE MODUM, intendit utranque partem lineae. Et quasi dicit: nullus igitur potest dicere quod, quando intellectus intelligit lineam, primo intelligit utranque partem per se, deinde totum; ille enim due partes non sunt in actu, quousque linea dividatur, sed sunt due in potentia. Deinde dixit: SED CUM INTELLEXERIT UTRUNQUE, etc. Idest, sed accidit ei ut intelligat utranque partem longitudinis per se quando dividit longitudinem; et tunc ita intelligit illam longitudinem sicut intelligit duas longitudes. Et hoc intellexit cum dixit: ET TUNC SUNT QUASI DUE LONGITUDINES. Deinde dixit: CONGREGATE AUTEM, etc. Idest, quando autem intelligit eas congregatas, idest partes, et quasi unam longitudinem, intelligit eas in eodem tempore indivisibili et in eodem instante in quo sunt insimul, non in duobus instantibus diversis. Et hoc intendebat cum dixit (ut michi videtur); IN TEMPORE QUOD EST SUPER EA.

24. QUOD AUTEM NON EST INDIVISIBILE PER QUANTITATEM,
SED PER FORMAM, INTELLIGIT IPSUM IN TEMPORE
INDIVISIBILI, ET PER INDIVISIBILE ANIME; SED ACCIDENTALITER;
SED ILLA DUO SUNT DIVISIBILIA, SCILICET ILLUD PER
QUOD INTELLIGIT ET TEMPUS IN QUO INTELLIGIT, QUIA SUNT

430b14

430b15

Page 460

INDIVISIBILIA. EST ENIM IN HIIS DUOUS ETIAM ALIQUOD INDIVISIBILE,
SED DIGNIUS EST UT SIT NON SEPARABILE. ET
EST ILLUD QUOD FACIT TEMPUS ESSE UNUM ET LONGITUDINEM
ESSE UNAM. ET HOC EODEM MODO EST IN OMNI
CONTINUO, ET IN TEMPORE ET IN LONGITUDINE.

430b20

Cum declaravit modum secundum quem intelligit intellectus quod est indivisibile per quantitatem (et est illud quod est indivisibile actu et divisibile potentia), incepit etiam declarare modum secundum quem intelligit illud quod est indivisibile per formam (et hoc est indivisibile actu et potentia, nisi accidentaliter). Et dixit: ILLUD AUTEM QUOD NON EST INDIVISIBILE, etc. Idest, quod autem est indivisibile forma et qualitate, non quantitate, (cum indivisibile dicitur hiis duobus modis), comprehenditur ab intellectu in tempore indivisibili, et per intellectionem indivisibilem. Deinde dixit: SED ACCIDENTALITER, etc. Et iste sermo est diminutus et transpositus, et sic debet legi: sed illa duo sunt divisibilia non essentialiter, sed accidentaliter, scilicet tempus in quo intelligit et res que intelligitur aut per quod intelligit. Deinde dedit causam in hoc quod sunt divisibilia accidentaliter. Et dixit: QUIA SUNT INDIVISIBILIA, etc., idest quia tempus in quo intelligit et res quam intelligit sunt indivisibilia in se, sed tamen sunt in divisibilibus, scilicet instans in quo intelligit et forma quam intelligit; instans enim est indivisibile et est in tempore quod est divisibile; et forma etiam est indivisibilis et est in magnitudine que est divisibilis. Deinde dixit: IN HIIS ENIM ETIAM EST ALIQUOD INDIVISIBILE, idest in magnitudine et tempore. Deinde dixit: SED DIGNIUS EST UT SIT NON SEPARABILE. Idest, sed

illud quod est indivisibile in tempore et in magnitudine est non separabile ab eis, et ideo fuit divisibile per accidens. Deinde dixit: ET EST ILLUD QUOD FACIT TEMPUS ESSE UNUM, etc. Idest, et hoc indivisibile existens in istis rebus facit longitudinem esse unam et tempus esse unum; et si non, non intelligeretur hic una longitudo neque unum tempus, si non esset hec natura in eis. Hec igitur natura est causa in hoc quod iste res sunt une cum hoc quod sunt divisibiles. Et quia sunt in istis rebus, ideo contingit eis ut sint divisibiles per accidens. Et hoc quod hec natura est existens in istis rebus materialibus est causa quod intelligere fuit unum tempore. Hec est summa eius quod intendebat in hoc capitulo. Et deinde dixit: ET EST EODEM MODO IN OMNI CONTINUO, etc. Idest, et ista natura existit eodem modo, scilicet in tempore et longitudine, et in aliis speciebus, non separabilis ab eo in quo existit; quoniam, si separaretur, tunc divisio per accidens non accideret.

25. PUNCTUS AUTEM, ET OMNIS DIFFERENTIA, ET QUOD 430b20
EST INDIVISIBILE HOC MODO, INTELLIGITUR QUASI ACCIDENS.
ET SIC DE ALIIS; V.G. QUOMODO
COGNOSCIT NIGREDINEM ET NIGRUM; QUONIAM QUASI
PER CONTRARIUM COGNOSCIT IPSUM. ET COGNOSCENS
POTENTIA DEBET ESSE UNUM IN SE. SI IGITUR
ALIQUOD RERUM EST IN QUO NON EST CONTRARIETAS, 430b25
ILLUD INTELLIGIT SE TANTUM, ET EST IN ACTU ABSTRACTUM. 430b26

Cum declaravit quomodo intellectus intelligit indivisibilia in actu et divisibilia potentia, scilicet magnitudines, et quomodo etiam intelligit indivisibilia essentialiter divisibilia accidentaliter, scilicet qualitates et formas, incepit hic declarare etiam quomodo intelligit indivisibilia neque essentialiter neque

accidentaliter neque potentia neque actu, v.g. punctum et instans et unitatem. Et dixit: PUNCTUS AUTEM, etc. Idest, intelligere autem punctum et sibi simile ex eis que dicuntur esse indivisibilia, et universaliter omnem differentiam privativam, est per accidens, scilicet [line 17 cont.] secundum quod ei accidit carere re privata. Punctus enim non intelligitur nisi secundum quod contingit ei de privatione divisibilitatis existentis in magnitudine. Et similiter de instante et aliis. Deinde dixit: ET SECUNDUM HUNC MODUM COGNOSCIT NIGREDINEM ET NIGRUM; IPSE ENIM QUASI PER CONTRARIUM COGNOSCIT. Sic cecidit albedo in exemplari, scilicet inter hanc particulam SECUNDUM MODUM et hanc particulam COGNOSCIT. Et est sermo completus per se, sed si aliquid deficit, forte est sic: et secundum hunc modum intellectus aut visus cognoscit nigredinem aut nigrum; et universaliter omnes privationes non cognoscuntur nisi per contraria, scilicet per cognitionem habitus et per cognitionem defectus habitus. Et hic intendebat per NIGREDINEM privationem albedinis. Ita enim est de sensibus in istis rebus sicut de intellectu. Quemadmodum enim dictum fuit illic quod visus comprehendit obscuritatem per comprehensionem defectus lucis, ita intellectus comprehendit privationem per comprehensionem defectus forme. Deinde dixit: ET COGNOSCENS POTENTIA DEBET ESSE UNUM IN SE. Idest, et oportet ut intellectus cognoscens habitum et suam privationem

sit eadem virtus in se, quemadmodum cognoscens
obscuritatem et lucem est eadem virtus visus; et quod ista virtus
cognoscens comprehendat privationem comprehendendo
ex se esse in potentia, cum fuerit in potentia, cum comprehendit
ex se utrunque, scilicet esse potentia et esse actu. Et ista est
dispositio intellectus materialis. Possumus igitur dicere

Page 463

tale esse preparationem tantum, et nichil aliud, ut dixit
Alexander? Deinde dixit: SI IGITUR ALIQUOD RERUM, etc. Idest, si igitur
fuerit aliquis intellectus in quo non est potentia contraria
actui esistenti in eo, idest si fuerit aliquis intellectus qui non
invenitur quandoque intelligens in potentia et quandoque
intelligens in actu, tunc ille intellectus non intelliget
privationem omnino; immo nichil intelliget extra se.
Et hoc est unum eorum quibus dividitur iste intellectus
ab intellectu agentis, scilicet quod in hoc intellectu invenitur
utrunque, in agentis autem actus tantum, non potentia. Et
ideo recte vocavit Aristoteles istum intellectum MATERIALEM, non
quia est mixtus et habens materiam, ut Alexander opinabatur.

26. ET DICERE ALIQUID DE ALIQUO, SICUT AFFIRMATIO, 430b26
ET OMNE COMPOSITUM, EST VERUM VEL FALSUM.
ET NON OMNIS INTELLECTUS, SED QUI DICIT IN QUIDITATE
REI, EST VERUS, NON QUI DICIT ALIQUID DE ALIQUO.
SED QUEMADMODUM ACTIONES PROPRIE
SUNT VERE, UTRUM AUTEM ALBUM
EST HOMO NON SEMPER EST VERUM, ITA ETIAM EST 430b30
DISPOSITIO EIUS QUOD EST ABSTRACTUM A MATERIA. 430b31

Et predicare per intellectum aliquid de aliquo,
sicut affirmatio et negatio, est compositio per actionem
intellectus. Et omne compositum est verum aut falsum. In
intellectu igitur materiali semper inveniuntur veritas et
falsitas admixte; et hoc est proprium huic intellectui.

Deinde inceptit declarare quod hoc non est proprium omnibus
actionibus istius intellectus, sed tantum actioni que dicitur

Page 464

fides, non formatio intellectiva. Et dixit: ET NON OMNIS INTELLECTUS,
etc. Idest, et non in omni actione istius intellectus inveniuntur
veritas et falsitas admixte, sed actio que est
informatio est semper vera, non actio que est predicare
aliquid de aliquo. Deinde inceptit narrare quod hoc
quod accidit intellectui est simile ei quod accidit sensui,
et quod eadem est causa in hoc. Et dixit: SED QUEMADMODUM
ACTIONES, etc. Idest, sed causa in hoc est eadem cum
causa in sensu; quemadmodum enim actiones proprie visui,
scilicet comprehendere colorem, sunt vere in maiori parte,
sentire autem album esse Socratem aut Platonem non
semper est verum, sed multotiens accidit in eo falsitas,
ita erit dispositio intellectus, scilicet quod semper est verus
in sua actione propria; fides enim non accidit ei nisi quia
intellectum eius est materiale, idest compositum. Et
cum dixit: ITA EST DISPOSITIO EIUS QUOD EST ABSTRACTUM A MATERIA,
intendebat: ita est dispositio intellectus materialis,

qui est abstractus a materia in suis comprehensionibus, scilicet quia veridicat in propriis sibi, scilicet in formatione, et falsat in eis que non sunt propria. Et potest intelligi sic: ita est dispositio intellectuum quorum intellectum est abstractum a materia, in hoc quod semper veridicant, cum non inveniatur in eis actio que est per accidens, quia suum intellectum est abstractum a materia.

iii.7

27. ET SCIENTIA QUE EST IN ACTU EST IPSA RES.
ET QUE EST IN POTENTIA EST PRIOR TEMPORE INDIVIDUO,
SED UNIVERSALITER NEQUE IN TEMPORE;

431a1

Page 465

OMNE ENIM QUOD GENERATUR GENERATUR AB
EO QUOD EST IN ACTU.

431a4

Et scientia que est in actu est ipsum scitum. Et scientia que est in potentia est prior tempore individuo quam scientia que est in actu; universaliter autem et simpliciter scientia que est in potentia non est prior scientia que est in actu, cum scientia exiens de potentia in actum est generata, et omne generatum generatur ab eo quod est in actu speciei illius generati; unde necesse est ut scientia que est in actu sit prior omnibus modis scientia que est in potentia. Et forte intendebat hic per hunc sermonem innuere causam propter quam comprehensio intellectuum separatorum est formatio tantum, et veritas in eis nunquam admiscetur cum falsitate; et est quod scientia illorum est ipsum scitum omnibus modis, econtrario dispositioni in scitis intellectus materialis.

28. ET VIDEMUS SENSATUM FACERE SENTIENS IN
ACTU POSTQUAM ERAT IN POTENTIA, NEQUE PATIENDO
ALTERATIONEM. ET IDEO ISTE EST ALIUS MODUS MOTUS.
MOTUS ENIM EST ACTIO NON PERFECTI;
ACTIO AUTEM SIMPLICITER EST ALIUS MOTUS, ET EST
ACTIO PERFECTI. SENTIRE IGITUR VIDETUR SIMILE DICI
TANTUM VERBIS, ET INTELLIGI PER INTELLECTUM.
SI IGITUR FUERIT DELECTABILE AUT TRISTABILE,
SICUT AFFIRMATIO AUT NEGATIO EIUS, QUERETUR
AUT FUGIETUR.

431a4

431a5

431a10

Plus quod hic vult dare de dispositione istius virtutis, scilicet rationalis, est propter assimilationem eius sensui;

Page 466

hec enim in quibus assimilantur manifestiora sunt in sensu quam in intellectu. Et primo incepit comparare inter eas in re que dicitur in eis motus et passio. Et dixit: ET VIDEMUS SENSIBILE FACERE, etc. Idest, et quia videmus sensibile facere sentiens in actu postquam fuit in potentia, non ita quod sentiens, apud exitum de potentia in actum, transmutatur aut alteratur secundum quod res materiales exeuntes de potentia in actum transmutantur, ideo opinandum est alium modum esse motus et passionis a modo qui est in rebus mobilibus.

Quapropter non est inopinabile hoc quod dictum est in intellectu, scilicet quod est exitus de potentia ad actum sine transmutatione et sine alteratione. Deinde dixit: MOTUS ENIM EST ACTIO NON PERFECTA, etc. Idest, et causa propter quam isti motui contingit transmutatio et alteratio, illi autem non, est quia iste motus, cui accidit transmutatio, est actio non perfecta et via ad complementum, ille autem est actio perfecta, immo complementum. Et quasi intendebat quod, cum ita sit, esse intellectum actionem imperfectam accidit ei propter materiam, non secundum quod est actio. Et cum hoc accidit actioni, necesse est aliquam actionem esse liberatam ab hoc accidente; quod enim accidit alicui per accidens necesse est ut non sit ei secundum quod est, et si non fuerit ei secundum quod est, necesse est ut separetur ab eo. Et hoc quod induxit hic quasi est dissolutio questionis maxime omnium questionum advenientium in hac opinione. Potest enim aliquis dicere: Quomodo possumus ymaginari receptionem in substantia non mixta cum materia, cum declaratum est quod causa receptionis est materia? Et quasi innuit

Page 467

dissolutionem dicendo quod materia non est causa receptionis simpliciter, sed causa receptionis transmutabilis, scilicet receptionis huius entis individualis; unde necesse est ut illud quod non recipit receptione individuali non sit materiale aliquo modo. Et sic non remanet locus questioni. Et cum declaravit modum consimilitudinis inter sensum et intellectum in hoc modo passionis et motus, scilicet quod in utroque est actio perfecta, inceptit notificare consimilitudinem inter sentire et intelligere. Et dixit: SENTIRE IGITUR SIMILE EST UT TANTUM DICATUR VERBIS, ET UT INTELLIGATUR PER INTELLECTUM. Idest, et hoc quod sentire sit per se actio perfecta et sine tempore, et absque eo quod precedat ipsum actio diminuta, simile est ad intelligere intensionem intellectam quando illa intentio pronuntiatur ab aliquo, scilicet quia fit ab hoc actio perfecta, absque eo quod precedat ipsam actio diminuta. Et quasi intendit cum hoc declarare causam propter quam intellectus intelligit sine tempore. Deinde dixit: SI IGITUR FUERIT DELECTABILE, etc. Idest, si igitur illud comprehensum fuerit delectabile apud sensum, aut tristabile, erit quasi intellectum affirmare hoc esse hoc, aut negare hoc non esse hoc; et tunc aut queretur aut fugietur per comprehensionem intellectualem, sicut queretur aut fugietur per comprehensionem sensibilem.

29. ET DELECTATIO ET CONTRISTATIO SUNT ACTIO MEDIANTE
SENSIBILI CIRCA BONUM AUT MALUM SECUNDUM
QUOD SUNT SIC. ET HOC EST DESIDERARE ET FUGERE QUE
SUNT IN ACTU. ET DESIDERANS ET FUGIENS NON

431a10

Page 468

DIFFERUNT UNUM AB ALTERO, NEQUE A SENTIENTE, SED
ESSE DIFFERT.

431a14

Et contristatio et delectatio anime est actio ei mediante virtute sensibili. Et motus eius ex hoc modo est circa bonum aut malum secundum quod malum est contristabile

et bonum delectabile, non secundum quod bonum est bonum et malum malum, sicut est dispositio in querere aut fugere intellectus. Deinde dixit: ET HOC EST FUGERE ET DESIDERARE QUE SUNT IN ACTU. Idest, et hoc est desiderare rem presentem secundum quod est presens et individualis, et fugere eam, scilicet desiderium sensibile; quoniam hoc est proprium desiderio sensibili, scilicet quod non movetur nisi cum presentia sensati in actu, econtrario desiderio intellectuali. Deinde dixit: ET DESIDERANS ET FUGIENS NON SUNT DIVERSA, etc. Idest, et pars anime que querit et fugit est eadem pars, non due diverse neque in intellectu neque in sensu, sed est eadem pars in subiecto et diverse in actione. Et hoc intendebat cum dixit: SED ESSE DIFFERT. Et intendit per hoc animam concupiscibilem.

30. ET IN ANIMA SENSIBILI INVENIUNTUR YMAGINES 431a14
SECUNDUM MODOS SENSUUM. ET CUM DICIMUS 431a15
IN ALIQUO IPSUM ESSE MALUM AUT BONUM NON
SECUNDUM AFFIRMATIONEM ET NEGATIONEM, TUNC
AUT QUERIMUS AUT FUGIMUS. ET IDEO NICHIL
INTELLIGIT ANIMA SINE YMAGINATIONE. 431a17

Et in anima sensibili, idest in sensu communi, inveniuntur ymages, quarum modi sunt secundum modos sensuum

Page 469

et sensibilium, ita quod proportio istarum ymaginum ad intellectum materiale est sicut proportio sensibilium ad sensum. Et hoc invenitur in alia translatione manifestius. Dicit enim: APUD AUTEM ANIMAM RATIONABILEM YMAGO EST QUASI RES SENSIBILES. Deinde dixit: ET CUM DICIMUS IN RE, etc. Idest, et cum anima rationalis distinguit ymaginem et iudicat eam esse bonam aut malam non secundum quod est nota esse talis aut non talis tantum (et est differentia propria intellectui speculativo), tunc anima concupiscibilis aut queret illud, si anima rationalis iudicaverit ymaginem eius esse bonam, aut fugiet, si malam. Et hoc est simile ei quod accidit sensui cum contristabili et delectabili. Deinde dixit: ET IDEO NICHIL INTELLIGIT ANIMA SINE YMAGINATIONE. Idest, et quia proportio ymaginum ad intellectum materiale est sicut proportio sensibilium ad sensum, ideo necesse fuit ut intellectus materialis non intelligat aliquod sensibile absque ymaginatione. Et in hoc dicit expresse quod intellecta universalis colligata sunt cum ymaginibus, et corrupta per corruptionem earum. Et expresse etiam dicit quod proportio intelligibilium ad ymages est sicut proportio coloris ad corpus coloratum, non sicut proportio coloris ad sensum visus sicut existimavit Avempeche. Sed intellecta sunt intentiones formarum ymaginationis abstracte a materia, et ideo indigent necessario in hoc esse habere materiam aliam a materia quam habebant in formis ymaginationis. Et hoc manifestum est per se intuentibus. Et si intentiones ymagnate essent recipientes intellecta, tunc res recipieret se, et motor esse motum. Et declaratio Aristotelis quod necesse est ut in intellectu materiali non sit aliqua intentionum existentium in actu, sive fuerit

intentio intellecta in actu ut in potentia, sufficit in destructione opinionis. Sed illud quod fecit illum hominem errare, et nos etiam longo tempore, est quia Moderni dimittunt libros Aristotelis et considerant libros expositorum, et maxime in anima, credendo quod iste liber impossibile est ut intelligatur. Et hoc est propter Avicennam, qui non imitatus est Aristotelem nisi in Dialectica, sed in aliis erravit, et maxime in Metaphysica; et hoc quia incepit quasi a se.

31. ET QUEMADMODUM AER EST ILLUD QUOD FACIT	431a17
VISUM TALIS DISPOSITIONIS, ET HOC AB ALIO; ET	
SIMILITER AUDITUS. POSTREMUM ENIM IN EO UNUM IDEM EST, ET	
MEDIUM UNUM IDEM; IN ESSE AUTEM MULTA. ET IAM DICTUM	431a20
FUIT PRIUS PER QUID IUDICAMUS ILLUD PER	
QUOD DULCE DIFFERT A CALIDO AUT FRIGIDO; DICAMUS IGITUR	
ETIAM SECUNDUM HUNC MODUM. QUONIAM, QUEMADMODUM IN ESSE	
EST IDEM, ITA EST IN DIFFINITIONE.	431a22

Cum demonstravit similitudinem inter intellectum et sensum in indigentia subiecti a quo recipiunt intentiones quas comprehendunt, incepit modo declarare quod proportio istius intellectus materialis ad ymages numeratas secundum species sensibilibum est sicut proportio sensus communis ad diversa sensibilia. Et dixit: ET QUEMADMODUM AER, etc. Idest, et sicut declaratum est quod aer movet visum, et movetur ab alio, et similiter auditus movetur ab aere, et aer ab alio, quousque motus perveniat

in omnibus sensibus ad unum finem, qui est in illis motibus quasi punctus qui est medium circuli de lineis exeuntibus a circumferentia, ita est de intellectu materiali cum intentionibus ymaginum intellectis. Deinde dixit: ULTIMUM ENIM EST UNUM, ET MEDIUM UNUM. Idest, ultimum enim motuum sensibilibum est unum, et illud quod est ex eis quasi medium de circulo est etiam unum (et hoc est sensus communis). Deinde dixit: ET IAM DICTUM EST PRIUS, etc. Idest, et universaliter dictum est prius quid est illud per quod iudicamus diversitatem sensibilibum diversorum, v.g. diversitatem dulcis a calido, et coloris a sono. Ergo secundum illum modum quo conseqebatur illic tale esse in sensu oportet hic esse in comprehendendo res diversarum ymaginum ab intellectu. Et hoc intendebat cum dixit: QUONIAM, SICUT IN ESSE EST UNUM, ITA EST IN DIFFINITIONE. Idest, quoniam demonstratum est a sermone predicto quod, sicut iudicans esse diversum apud sensum debet esse unum, ita iudicans ymages rerum diversarum debet esse unum. Et potest intelligi sic: et sicut in esse rerum diversarum est una intentio que facit ut comprehendens eas sit unum (et est proportio quam accipit virtus comprehensiva quando facit comparisonem inter duas res diversas), ita in ymaginibus diversis est una intentio que facit ut iudicans eas sit unum. Et potest intelligi sic: idest, et causa in hoc, scilicet in similitudine inter intellectum et sensum in hoc, est

quoniam, sicut in hoc esse singulari est unum quod est
ens apud sensum, ita in ymaginato est unum apud intellectum

Page 472

quod est ymaginatum; et cum multa fuerint apud
ymaginatum, erunt multa apud ymaginationem. Et hoc
convenientius est sermoni sequenti.

32. ET HOC INVENITUR IN NUMERIS PROPORTIONALIBUS, 431a22
ET DISPOSITIO EIUS APUD EOS EST SICUT DISPOSITIO
EORUM ADINVICEM. NULLA ENIM EST DIFFERENTIA
INTER FIGURAM ET QUALITATEM CONSIDERATIONIS
RERUM INEQUALIUM IN GENERE AUT RERUM
CONTRARIARUM, V.G. ALBI ET NIGRI. SIT IGITUR 431a25
DISPOSITIO A ALBI AD B NIGRUM, ET C AD D, SICUT
DISPOSITIO ILLORUM ADINVICEM, UT INVENITUR IN
REBUS CONTRARIIS. SI IGITUR C ET D, EXISTENTES
IN EADEM RE, NON INVENIUNTUR NISI PER A ET
B, SUNT IN HOC IDEM. ET SI A FUERIT QUASI DULCE 431b1
ET B QUASI ALBUM, TUNC INTELLECTUS ERIT QUASI
INTELLIGENS. INTELLIGIT ENIM FORMAS PER PRIMAS
YMAGINATIONES. 431b2

Et hec consecutio manifesta invenitur in eis secundum
proportionalitatem eorum in numero; et dispositio iudicantis
ex anima apud utrumque esse, scilicet sensibile et ymaginabile,
est sicut dispositio utriusque esse adinvicem
Deinde dixit: NULLA ENIM EST DIFFERENTIA, etc. Idest, et indifferenter
sive iudicium fuerit de rebus contrariis aut diversis; figura
enim et qualitas considerationis debet esse una
eadem apud virtutem sensibilem et rationabilem in rebus
diversis in genere et contrariis. Et cum declaravit
quod nulla est differentia in consideratione istorum
duorum generum apud virtutem sensibilem et rationabilem,
dedit demonstrationem super hoc ex proportionalitate

Page 473

et equalitate quam habent in numero, scilicet ymages
rerum cum suis individuis. Et dixit: SIT IGITUR DISPOSITIO
A ALBI, etc. Idest, sit igitur A album et B nigrum, et C ymago albi
et D ymago nigri; erit igitur proportio A ad B sicut album
ad nigrum, et proportio C ad D sicut ymago albi
ad ymaginem nigri. Et hoc intendebat cum dixit (ut michi
videtur): DISPOSITIO C APUD D EST SICUT DISPOSITIO ILLORUM,
ADINVICEM, UT INVENITUR IN DUOBUS CONTRARIIS, idest
ut invenitur in duobus contrariis ex ymaginibus veris.
Et cum declaravit quod talem proportionalitatem
debent habere, dedit consequens conclusionem. Et dixit:
SI IGITUR C ET D, etc. Idest, et cum proportio A ad B
est sicut C ad D, et A et B comprehenduntur ab eadem
virtute, ergo C et D debent comprehendi ab eadem
virtute. Et istam conclusionem diminuit a suo sermone.
Deinde dedit consequens illam. Et dixit: SI IGITUR C ET D, etc.
Idest, si igitur C et D comprehenduntur ab eadem virtute
quia A et B sunt eiusdem virtutis, tunc due virtutes
in hac intentione et ex hoc modo sunt idem, et
non diversantur omnino, licet diversentur in suis naturis.

Et per hanc similitudinem inter virtutem rationabilem et sensibilem existimaverunt plures Antiquorum, secundum quod Aristoteles narravit in secundo tractatu, quod due virtutes sunt eedem. Et cum declaravit quod dispositio earum in comprehendendo res contrarias est eadem, declaravit etiam quod ita est in comprehendendo res diversas in genere. Et dixit: ET SI A FUERIT QUASI DULCE, etc. Idest, et si posuerimus loco contrariorum duas res diversas in genere, v.g. dulce et album,

Page 474

tunc etiam intellectus comprehendet eas modo simili comprehensioni earum a sensu; tunc enim intelliget formas earum mediantibus primis suis ymaginibus, idest veris, quemadmodum sensus comprehendit intentiones earum per presentiam individuorum ipsorum sensibilium.

33. ET ITA EST DE QUESITO ET FUGITO SECUNDUM HUNC CURSUM
DETERMINATUM IN HIS REBUS. ET QUANDOQUE MOVETUR
SINE USU SENSUS, CUM FUERIT EXISTENS IN
YMAGINATIONE, UT QUANDO YMAGINATUR QUOD IGNIS INFLAMMATUR
IN TURRIBUS CIVITATUM ; COMMUNE EST ENIM
QUOD RES MOVENS EST IGNIS, ET EST PRINCIPIUM PRELIATORI.
COGITAT ENIM QUASI VIDERET REM PER MODOS
YMAGINATIONIS, ET COGITATIO EIUS IN REBUS
FUTURIS EST SECUNDUM RES PRESENTES.

431b3
431b5
431b8

Et ita est de quesito et fugito apud intellectum sicut de comprehensione. Quoniam, quemadmodum comprehendit res mediantibus formis ymaginum, et sensus comprehendit per presentiam rerum sensibilium, ita intellectus movetur a rebus querendo aut fugiendo quando forme ymaginum earum sunt presentes, quemadmodum sensus querit aut fugit apud presentiam ipsius sensibilis. Deinde dixit: ET QUANDOQUE MOVETUR SINE USU SENSUS, etc. Idest, et ideo movetur homo ad aliquid, licet non sentiat ipsum, quando ymaginabitur ipsum, sicut preliator movetur quando ymaginatur ignem inflammari in turribus, licet ignis nondum

Page 475

inflammatus sit. Deinde dixit: COMMUNE ENIM EST QUOD MOVENS EST IGNIS, ET EST PRINCIPIUM PRELIATORIS. Idest, et cum preliator intrinsecus ymaginabitur ignem in turribus, statim cogitabit in destruendo illum ignem, et preliator oppositus in inflammando ipsum; et communem habent cogitationem, in hoc scilicet quod ignis est finis positus et quesitus apud ipsos, sed secundum modos duos diversos. Et potest intelligi hoc quod dixit: COMMUNE ENIM, etc., idest, propositio enim communis, ex qua possumus scire omnia consequentia, est primum consequens existentiam ignis in turribus. Et ideo dixit: EST PRINCIPIUM, per experientias preliatoris, idest principium considerationis. Deinde dixit: COGITAT ENIM QUASI VIDENS. Idest, principium enim sue cogitationis in rebus erit presentando modos ymaginum ymaginationum

possibilium esse in illa re de qua cogitat, adeo ac si videret illud de quo cogitat. Deinde dixit: ET COGITATIO EIUS IN FUTURIS, etc. Idest et causa in hoc est quia homo ponit principium sue considerationis in rebus possibilibus de rebus presentibus quas videt. Et ideo possibile est ut homo cogitet in aliqua re adeo quod inveniet ex eo aliquod individuum quod ante non senserit, sed senserit ei simile, non ipsum idem. Et innuit per hoc modum secundum quem potest inveniri per cogitationem ymago vera cuius individuum nunquam fuit sensatum ab aliquo cogitante. Iam enim posuerat quod ymages vere sunt numerate secundum individua sensibilia; et quasi declarat quod iste modus ymaginationum invenitur a cogitatione ex ymaginationibus que sunt individua sensibilia.

Page 476

Virtus enim cogitativa, sicut declaratum est in libro de Sensu et Sensato, quando iuvabit se cum informativa et rememorativa, innata est presentare ex ymaginibus rerum aliquam quam nunquam sensit, in eadem dispositione secundum quam esset si sensisset eam, fide et informatione; et tunc intellectus iudicabit illas ymages iudicio universali. Et intentio cogitationis nichil aliud est quam hoc, scilicet ut virtus cogitativa ponat rem absentem a sensu quasi rem sensatam. Et ideo comprehensibilia humana dividuntur in hec duo, scilicet in comprehensibile cuius principium est sensus, et comprehensibile cuius principium est cogitatio. Et iam diximus quod virtus cogitativa non est intellectus materialis neque intellectus qui est in actu, sed est virtus particularis materialis. Et hoc manifestum est ex dictis in Sensu et Sensato. Et oportet scire hoc, quoniam consuetudo est attribuere intellectui virtutem cogitativam. Et non debet aliquis dicere quod virtus cogitativa componit intelligibilia singularia; et iam declaratum est quod intellectus materialis componit ea; cogitatio enim non est nisi in distinguendo individua illorum intelligibilium et presentare ea in actu quasi essent apud sensum; et ideo, quando fuerint presentia apud sensum, tunc cadet cogitatio, et remanebit actio intellectus in eis. Et ex hoc declarabitur quod actio intellectus est alia ab actione virtutis cogitative, quam Aristoteles vocavit intellectum passibilem, et dixit eam esse generabilem et corruptibilem. Et hoc est manifestum de ea, cum habet instrumentum terminatum, scilicet medium ventriculum cerebri. Et homo non est generabilis et corruptibilis nisi per hanc virtutem, et sine hac virtute et virtute ymaginationis nichil

Page 477

intelligit intellectus materialis. Et ideo, sicut dicit Aristoteles, non rememoratur post mortem, non quia intellectus est generabilis et corruptibilis, sicut aliquis potest existimare.

34. ET CUM IUDICAVERIS QUOD DELECTABILE EST ILLIC AUT
HIC, TUNC CONTRISTABILE ERIT AUT FUGITUM AUT
QUESITUM; ET SIC UNIVERSALITER IN ACTIONIBUS.

431b8

431b10

FALSITAS ENIM ET VERITAS SUNT SINE OPERATIONE.
ET SUNT AMBO IN EODEM GENERE, ET IN BONO ET
IN MALO; SED DIFFERT QUIA DICITUR SIMPLICITER
ET IN TERMINO.

431b12

Et cum iudicaveris per sensum quod delectabile
est illic aut hic, tunc contristabile apud intellectum erit
aut fugitum, si intellectus existimaverit illud esse malum,
aut quesitum, si existimaverit illud esse bonum.
Et sic universaliter accidit intellectui cum sensu in omnibus
actionibus, scilicet aut contradicere ei videndo quod contristabile
est bonum et querendo illud quod fugit sensus, aut
convenire cum eo videndo delectabile esse bonum. Deinde dixit:
FALSITAS ENIM ET VERITAS SUNT SINE OPERATIONE. ET SUNT IN
EODEM GENERE. Ita cecidit albedo in scriptura. Et potest
esse: FALSITAS ENIM ET VERITAS SUNT, etc., idest, falsitas enim
et veritas existentes in intellectu speculativo sunt alie
a falsitate et veritate existentibus in intellectu operativo.
Deinde dixit: ET SUNT IN EODEM GENERE, ET IN BONO
ET IN MALO. Et potest intelligi quod hec duo sunt in eodem
genere quia utrunque est cognitio, et quia veritas
est in genere boni et falsitas in genere mali. Et potest intelligi

Page 478

hoc quod dixit: IN BONO ET MALO, ut sit expositio eius
quod dixit: ET SUNT IN EODEM GENERE. Et quasi dicit: et
sunt in eodem genere, idest in bono et malo. Et cum
declaravit quod ambo collocantur sub bono et malo,
declaravit illud per quod dividuntur. Et dixit: SED DIFFERT,
etc. Idest, sed tamen dividuntur, quia veritas est in intellectu
speculativo bonum absolute et falsitas est in
eo malum simpliciter, in operativo autem veritas est
bonum in respectu et secundum conditionem (et hoc intendebat
cum dixit: ET PER TERMINUM), falsitas vero est malum
in respectu illius finis qui est inveniendus. Et potest
intelligi per hoc quod dixit: ET PER TERMINUM, idest per
finem; scilicet et dividuntur quia hoc est bonum simpliciter,
et hoc bonum in respectu finis positi. Et intentio
propinqua est in istis duobus.

35. ET SCIT ETIAM RES QUE DICUNTUR NEGATIVE,
SECUNDUM QUOD SIMUS IN EO QUOD EST SIMUS NON DIVIDUTUR,
IN EO AUTEM QUOD EST CONCAVUM, SI INTELLECTUS
INTELLEXERIT, TUNC INTELLIGET INTENTIONEM
CONCAVITATIS DENUDATAM A CARNE. SED INTENTIONES
MATHEMATICAE NON SUNT SINGULARIA
HOC MODO.

431b12

431b15

431b16

Intendit per RES QUE DICUNTUR NEGATIVE res mathematicas.
Et intendit per negationem abstractionem a
materia. Et intendit quod, quando intellectus intelligit
res secundum abstractionem a materia, non facit hoc

Page 479

quia sunt in se non in materia, sicut quidam existimaverunt,
sed hoc quod facit, scilicet quia intelligit ea
non in materia licet sint in materia, est ac si intelligeret

simum, in eo quod est simum, divisum a materia; sed
simus in eo quod est simus impossibile est ut dividatur
a materia; genus autem eius, quod est concavitas,
possibile est ut dividatur a materia. Et innuit per hoc
quod ista possibilitas in abstractione istorum ab intellectu
est consequens naturas et quiditates eorum, non
quia accidit eis quia sunt non in materia. Deinde dixit:
ET INTENTIONES MATHEMATICAE, etc. Idest, et modus essendi
intentionum mathematicarum extra animam
non est sicut modus secundum quem sunt in anima.
Et iste sermo potest legi sic: et intellectus etiam potest
scire res mathematicas per aliquem modum diffinitionis;
intelligere enim diversatur secundum diversitatem
nature intellecti, v.g. quod simus in eo
quod est simus non dividitur quando intelligitur, in
eo autem quod est concavitas, tunc, si intellectus intellexerit
eum singularem per se, non intelliget intentionem
concavitatis nisi denudatam a carne. Et exemplum
quod induxit supplet illud quod diminuitur a
sermone.

36. ET SICUT RES ABSTRACTA INTELLIGITUR CUM INTELLIGIT ISTAS RES (ILLUD 431b16
[line 1 cont.] ENIM QUOD EST IN ACTU UNIVERSALITER EST INTELLECTUS
QUI EST IN ACTU), ET COGITATIO NOSTRA IN POSTREMO
ERIT UTRUM POSSIT INTELLIGERE ALIQUAM RERUM ABSTRACTARUM,
CUM HOC QUOD IPSE EST ABSTRACTUS A
MAGNITUDE, AUT NON.

431b19

Page 480

Et quemadmodum res quam intellectus abstrahit
fit intellectus quando abstrahit et intelligit ipsam,
cum necesse est universaliter in intellectu ut illud quod est
intellectum in actu sit intellectus in actu, oportet nos perscrutari
et cogitare in postremo utrum iste intellectus
qui est in nobis possit intelligere aliquid quod est in se
intellectus, et abstractus a materia, sicut intelligit illud
quod facit ipsum intellectum in actu postquam erat intellectus
in potentia. Et dixit: CUM HOC QUOD EST ABSTRACTUS
A MAGNITUDE. Ita cecidit in hac scriptura. Et
si est vera, sic debet intelligi: idest, debemus in postremo
cogitare utrum sit possibile quod intellectus qui est in
nobis intelligat res abstractas a materia secundum quod
sunt abstracte a magnitudine, non secundum comparisonem
ad alterum. Et cecidit in alia scriptura loco
istius sermonis sic: ET IN POSTREMO PERSCRUTABIMUR UTRUM
INTELLECTUS, ESSENDO IN CORPORE, NON SEPARATUS AB EO, POSSIT
COMPREHENDERE ALIQUOD EORUM QUE SEPARANTUR A
CORPORIBUS, AUT NON. Et ista questio est alia a predicta.
Ista enim questio est concedentis quod intellectus qui
est in potentia intelligit formas abstractas a materia
simpliciter, non secundum quod est copulatus nobiscum;
et secundum hanc intentionem erit perscrutatio utrum
potest intelligere formas secundum quod est copulatus
nobiscum, non utrum possit intelligere formas simpliciter.
Et illa intentio est dicta a Themistio in suo libro
de Anima; et prima questio, quam intendebat in postremo,
est dimissa.

Oportet igitur prius perscrutari utrum sit possibile
quod intellectus materialis intelligat res abstractas aut non;

Page 481

et si intelligit eas, utrum est possibile ut intelligat eas
secundum quod est copulatus nobiscum, aut non. Et ideo possibile
est quod in exemplari a quo transtulimus hunc sermonem
cecidit hec particula NON, ita quod sic debeat
legi: ET COGITATIO NOSTRA ERIT IN POSTREMO UTRUM POSSIT
INTELLIGERE ALIQUAM RERUM ABSTRACTARUM, CUM HOC QUOD
EST NON ABSTRACTUS A MAGNITUDINE, idest secundum quod
est tangens magnitudinem et copulatus nobiscum, ita
quod nos intelligamus illum intellectum quem ipse
intelligit. Et ista perscrutatio quam intendit valde est
difficilis et ambigua, et oportet nos perscrutari de hoc
secundum nostrum posse.

Dicamus igitur: qui autem ponit intellectum materiale
esse generabilem et corruptibilem nullum modum, ut michi
videtur, potest invenire naturalem quo possumus continuari cum
intellectibus abstractis. Intellectus enim debet esse intellectum
omnibus modis, et maxime in rebus liberatis a materia;
Si igitur possibile esset quod substantia generabilis et corruptibilis
intelligeret formas abstractas et reverteretur idem
cum eis, tunc possibile esset ut natura possibilis fieret necessaria,
ut Alfarabius dixit in Nichomachia; et hoc necessarium
est secundum fundamenta sapientum.

Nisi aliquis dixerit quod illa intentio quam intendit
Alexander, scilicet de existentia intellectus adepti, non est
informatio facta de novo in intellectu materiali, que ante
non erat, sed ipse copulatur nobiscum copulatione adeo
quod sit forma nobis per quam intelligimus alia entia, sicut
apparet ex sermone Alexandri. Licet non appareat ex eo
modus ex quo ista continuatio sit possibilis; quoniam, si posuerimus

Page 482

quod ista continuatio est facta postquam non erat, sicut
est necessarium, continget ut, in illa hora in qua ponitur
esse, sit transmutatio in recipiente aut in recepto aut in
utroque. Et cum impossibile est ut sit in recepto, remanet
ut sit in recipiente; et cum in recipiente fuerit transmutatio
existens postquam non erat, necessario erit illic
receptio facta ex novo, et substantia recipiens facta
ex novo postquam non erat. Cum igitur posuerimus
receptionem factam ex novo, continget predicta questio.
Et si non posuerimus receptionem propriam nobis,
non erit differentia inter continuationem eius nobiscum
et continuationem eius cum omnibus entibus,
et inter continuationem eius nobiscum in hac hora et
in alia hora, nisi ponamus continuationem eius nobiscum
esse secundum modum alium a modo receptionis.
Quis igitur est iste modus?

Et propter latentiam istius modi secundum Alexandrum videmus
ipsum ambigere in hoc. Quandoque igitur dicit quod illud quod

intelligit intellectum abstractum non est intellectus materialis neque intellectus qui est in habitu; et hec sunt verba eius in libro de Anima. Intellectus igitur qui intelligit hoc est ille qui non corrumpitur, non intellectus subiectus materialis; intellectus enim materialis corrumpitur per corruptionem anime, quia est una virtus illius, et cum iste intellectus fuerit corruptus, corrumpetur sua virtus et sua perfectio. Deinde, postquam declaravit quod necesse est ut intellectus qui est in nobis qui intelligit formas abstractas sit non generabilis neque corruptibilis, narravit quod iste intellectus est intellectus adeptus secundum opinionem Aristotelis, et dixit: INTELLECTUS IGITUR QUI NON CORRUMPITUR EST ISTE INTELLECTUS QUI EST IN NOBIS ABSTRACTUS,

Page 483

QUEM VOCAT ARISTOTELES ADEPTUM QUIA EST IN NOBIS AB EXTRINSECO, NON VIRTUS QUE EST IN ANIMA NEQUE HABITUS PER QUEM INTELLIGIMUS ALIAS RES ET INTELLIGIMUS ETIAM ISTUM INTELLECTUM.

Si igitur intendebat per INTELLECTUM ADEPTUM, per quem intelligimus intelligentias abstractas, intelligentiam agentem, tunc sermo in modo continuationis istius intellectus nobiscum adhuc remanet. Et si intendebat intellectum abstractum alium ab agenti, ut apparet ex opinione Alfarabii in sua epistola de Intellectu, et secundum etiam quod possumus intelligere ex manifesto istius sermonis, tunc questio etiam in modo continuationis istius intellectus nobiscum eadem est cum questione in modo continuationis intellectus agentis apud opinantem quod agens est idem cum adepto. Et hoc est manifestius de sermone Alexandri. Hoc igitur dixit in modo continuationis intellectus qui est in actu nobiscum in suo libro de Anima.

Quod autem dixit in quodam tractatu quem fecit de Intellectu Secundum Opinionem Aristotelis videtur contradicere ei quod dixit in libro de Anima. Et hec sunt verba eius: ET INTELLECTUS QUI EST IN POTENTIA, CUM FUERIT COMPLETUS ET AUGMENTATUS, TUNC INTELLIGET AGENTEM; QUONIAM, QUEMADMODUM POTENTIA AMBULANDI QUAM HOMO HABET IN NATIVITATE VENIT AD ACTUM POST TEMPUS QUANDO PERFICITUR ILLUD PER QUOD FIT AMBULATIO, ITA INTELLECTUS, CUM FUERIT PERFECTUS, INTELLIGET EA QUE SUNT PER SUAM NATURAM INTELLECTA, ET FACIET SENSATA ESSE INTELLECTA, QUIA EST AGENS. Et manifestum istius sermonis

Page 484

contradicit sermoni eius in libro de Anima, et est quod intellectus qui est in potentia non intelligit illum qui est in actu.

Sed cum aliquis intuebitur omnes sermones istius viri et congregabit eos, videbit ipsum opinari quod, quando intellectus qui est in potentia fuerit perfectus, tunc intelligentia agens copulabitur nobiscum, per quam intelligemus res abstractas, et per quam faciemus

res sensibiles esse intellectas in actu, secundum quod ipse efficitur forma in nobis. Et quasi intendit per hunc sermonem quod, intellectus qui est in potentia quando fuerit perfectus et completus, tunc copulabitur cum eo iste intellectus et fiet forma in eo, et tunc intelligemus per ipsum alias res; non ita quod intellectus materialis intelligat ipsum et propter illud intelligere fiat continuatio cum hoc intellectu, sed continuatio istius intellectus nobiscum est causa eius quod intelligit ipsum et intelligimus per ipsum alias res abstractas.

Et potes scire quod ista est opinio istius hominis per hoc quod dixit in illo tractatu: ILLUD IGITUR INTELLECTUM PER SUAM NATURAM, QUOD EST INTELLECTUS IN ACTU, CUM FUERIT CAUSA INTELLECTUS MATERIALIS IN ABSTRAHENDO ET IN FORMANDO UNAMQUANQUE FORMARUM MATERIALIUM ASCENDENDO APUD ILLAM FORMAM, TUNC DICETUR QUOD EST ADEPTUS AGENS; ET NON EST PARS ANIME NEQUE VIRTUS ANIME, SED FIT IN NOBIS AB EXTRINSECO QUANDO NOS INTELLERIMUS PER IPSUM. Manifestum est igitur quod intelligit per hunc sermonem quod, quando intellectus qui est in actu fuerit causa secundum formam intellectus materialis in actione eius propria (et hoc erit per ascensionem intellectus materialis

Page 485

apud illam formam), tunc dicetur intellectus adeptus, quoniam in illa dispositione erimus intelligentes per ipsum quoniam est forma nobis; quoniam tunc erit ultima forma nobis.

Sustentatio igitur istius opinionis est quod intellectus agens est primo causa agens intellectum materiale et intellectum qui est in habitu, et ideo non copulatur nobiscum primo et intelligimus per ipsum res abstractas. Cum igitur intellectus materialis fuerit perfectus, tunc agens fiet forma materialis, et copulabitur nobiscum, et intelligemus per ipsum alias res abstractas; non ita quod intellectus qui est in habitu intelligat hunc intellectum, cum intellectus qui est in habitu est generabilis et corruptibilis, iste autem non est generabilis neque corruptibilis.

Sed huic contingit questio predicta, et est quod hoc quod modo est forma intellectui qui est in habitu, postquam non erat, provenit ab aliqua dispositione facta de novo in intellectu qui est in habitu que est causa quare ille intellectus est forma intellectui qui est in habitu postquam non erat. Et si ista dispositio non est receptio in intellectu qui est in habitu ad intellectum agentem, quid ergo est ista dispositio? Quoniam, si fuerit receptio, continget ut generatum recipiat eternum et assimiletur ei, et sic generatum fiet eternum; quod est impossibile.

Et ideo videmus Alfarabium in postremo, cum credidit opinionem Alexandri esse veram in generatione intellectus materialis, quod fuit necesse apud ipsum secundum hanc opinionem opinari quod intelligentia agens non est nisi causa

agens nos tantum; et hoc manifeste dixit in Nichomachia.

Page 486

Et est contra suam opinionem in epistola de Intellectu; illic enim dixit esse possibile ut intellectus materialis intelligat res abstractas; et est opinio Avempeche. Iste igitur sunt questiones ponentibus intellectum materiale esse generatum, et quod finis est continuari cum abstractis.

Et videmus etiam quod sequuntur ponentibus ipsum virtutem abstractam questiones non minores istis. Quoniam, si in natura istius intellectus materialis est quod intelligat res abstractas, necesse est ut semper, in futuro et in preterito, sit intelligens eas. Existimatur igitur quod consequitur hanc positionem quod statim cum intellectus materialis nobiscum continuatur statim continuatur nobiscum intellectus agens; quod est inopinabile, et contrarium ei quod homines ponunt.

Sed ista questio potest dissolvi per illud quod ante posuimus, scilicet quod intellectus materialis non copulatur nobiscum per se et primo, sed non copulatur nobiscum nisi per suam copulationem cum formis ymaginalibus. Et cum ita sit, possibile est dicere quod modus secundum quem copulatur nobiscum intellectus materialis est alius a modo secundum quem copulatur ipse cum intellectu agentis. Et si est alius, tunc nulla continuatio est omnino; et si idem, sed primo est in aliqua dispositione et post in alia, quid igitur est illa dispositio? Si autem posuerimus quod intellectus materialis abstractus non habet naturam intelligendi res abstractas, tunc ambiguitas erit maior. Iste igitur sunt omnes questiones contingentes

Page 487

ponentibus quod perfectio humana est intelligere res abstractas.

Et oportet nos etiam narrare sermones ex quibus existimatur consequi quod habemus naturam intelligendi in ultimo res abstractas; isti enim sermones sunt valde oppositi illis; et forte per hoc poterimus videre veritatem. Causa autem istius ambiguitatis et laboris est quia nullum sermonem ab Aristotele invenimus in hac intentione, sed tamen Aristoteles promisit hoc declarare.

Dicamus igitur quod Avempeche multum perscrutabatur in hac questione et laboravit in declarando hanc continuationem esse possibilem, in sua epistola quam vocavit Continuationis Intellectus cum Homine; et in libro de Anima et in aliis multis libris videbitur quod ista questio non recessit ab eius cogitatione, neque per tempus nutus unius oculi. Et nos iam exposuimus illam epistolam secundum nostrum posse. Hoc enim quesitum valde est difficile, et cum talis fuit dispositio Avempeche in hac questione, quanto magis alterius hominis! Et verbum Avempeche in hoc est firmitus aliorum, sed tamen occurrunt ei questiones quas narravimus. Et oportet nos

narrare hic vias istius hominis, sed primo quod expositores dixerunt in hoc.

Dicamus igitur quod Themistius sustentatus est in hoc per locum a maiori. Dicit enim quod, cum intellectus materialis habet potentiam ad abstrahendum formas a materiis et intelligendi eas, quanto magis habet innatum intelligendi ea que sunt primo denudata a materia. Et iste sermo aut fiet ita quod intellectus materialis est corruptibile,

Page 488

aut non corruptibile, scilicet separabile aut non separabile. Secundum autem opinionem dicentium quod intellectus materialis est virtus in corpore, et generatus, iste sermo erit sufficiens quoquo modo, non probabilis. Non enim sequitur ut illud quod est visibile in se sit magis visibile apud nos, v.g. color et lumen solis; color enim minus habet de intentione visibilitatis quam sol, cum color non est visibilis nisi per solem, sed non possumus ita aspicere solem sicut colorem; et hoc accidit visui propter mixtionem materie.

Si vero posuerimus quod intellectus non est admixtus materie, tunc certe ille sermo erit verus, scilicet quod illud quod est magis intelligibile magis comprehenditur; quoniam quod comprehendit minus perfectum (ex eis comprehendentibus que sunt non admixta materie) necesse est ut comprehendat perfectius, et non econtrario. Sed si hoc est necessarium de natura eius et substantia, continget questio predicta, que est: quomodo non continuatur nobiscum in principio, scilicet statim quando intellectus materialis continuatur nobiscum? Si igitur posuerimus quod in postremo continuatur nobiscum, non in primo, debemus reddere causam.

Alexander autem sustentatur in hoc quesito super hoc quod dico, et est quia omne ens generatum, quando pervenerit ad finem in generatione et ad ultimam perfectionem, tunc perveniet ad complementum et finem in sua actione, si fuerit ex entibus agentibus, aut in sua passione, si fuerit ex entibus passibilibus, aut in utroque, si fuerit utriusque; v.g., non venit ad finem in actione eius que est ambulare nisi quando venerit

Page 489

ad finem in generatione. Et quia intellectus qui est in habitu est unum entium generabilium, necesse est ut, quando venerit ad finem in generatione, veniat ad finem in sua actione; et quia actio eius est creare intellecta et intelligere ea, necesse est, cum fuerit in ultima perfectione, ut habeat has duas actiones perfecte. Et perfectio in creando intellecta est facere omnia intellecta in potentia esse intellecta in actu; et complementum in intelligendo est intelligere omnia abstracta et non abstracta. Necesse est igitur, quando intellectus qui est in habitu venerit ad complementum in sua generatione, ut habeat has duas actiones.

Et in hoc sunt questiones non parve. Non enim est manifestum per se quod complementum actionis eius que est intelligere est intelligere res abstractas, nisi hoc nomen quod est YMAGINARI diceretur de eis et rebus materialibus univoce, sicut dicitur hoc nomen AMBULARE de imperfectiori et perfectiori.

Et etiam, quomodo attribuitur actio propria intellectui agenti, que est facere intellecta, intellectui generabili et corruptibili, scilicet qui est in habitu? Nisi ponat quod intellectus qui est in habitu sit intellectus agens compositus cum intellectu materiali, ut dicit Themistius, aut ponat quod forma postrema nobis qua abstrahimus intellecta et intelligimus est composita ex intellectu qui est in habitu et intellectu agenti, ut Alexander et Avempeche ponunt, et sicut nos reputamus etiam esse apparens ex sermone Aristotelis.

Et si etiam hoc posuissemus esse ita, non contingeret ex complemento actionis eius que est creare intellecta

Page 490

nisi complementum actionis in intelligendo ea, non in intelligendo res abstractas, cum intelligere eas impossibile est ut attribuaturs generationi, aut fieri ab aliquo ente generato (v.g. ab intellectu qui est in habitu) nisi per accidens; et si non, tunc generabile efficietur eternum, sicut diximus.

Et contingit etiam sermoni dicenti quod forma qua extrahimus intellecta est intellectus qui est in habitu compositus cum intellectu agenti magna questio. Eternum enim non indiget in sua actione generabili et corruptibili. Quomodo igitur componitur eternum cum corruptibili ita quod ex eis fiat una actio? Sed post loquemur de hoc. Videtur enim quod ista positio est quasi principium et fundamentum eius quod volumus dicere de possibilitate continuationis cum rebus abstractis secundum Aristotelem, scilicet positio quod forma postrema nobis qua extrahimus intellecta et facimus ea per voluntatem nostram est composita ex intellectu agenti et intellectu qui est in habitu. Hoc igitur videmus de sermone expositorum Peripateticorum in hunc finem esse possibilem, scilicet intelligere in postremo res abstractas.

Avempeche autem multum loquebatur in hoc, et maxime in epistola quam appellavit Continuationis Intellectus cum Homine. Et illud super quod sustentatus est in hac questione est hoc: primo enim posuit quod intellecta speculativa sunt facta; deinde posuit quod omne factum habet quiditatem; deinde posuit quod omne habens quiditatem, intellectus innatus est extrahere illam quiditatem; ex quibus concluditur quod intellectus innatus est extrahere formas intellectuum et quiditates eorum. Et in hoc convenit cum ipso Alfarabius in libro

de Intellectu et Intellecto, et inde extraxit hoc Avempeche, et cum hoc conclusit quod intellectus innatus est extrahere formas intellectuum et quidditates eorum.

Et ivit in hoc per duas vias, quarum una est in epistola, secunda autem in libro de Anima, et sunt vicinantes se. In libro autem de Anima coniunxit huic quod intellectus rerum non contingit multitudo nisi per multiplicationem formarum spiritualium cum quibus sustinebuntur in unoquoque individuo, et per hoc fuerit intellectum equi apud me aliud quam intellectum eius apud te. Ex quo consequitur secundum conversionem oppositi quod omne intellectum non habens formam spirituales a qua sustentatur, illud intellectum est unum apud me et apud te. Deinde coniungit huic quod quidditas intellecti et forma eius non habet formam spirituales individuales cui sustentatur, cum quidditas intellecti non est quidditas individui singularis, neque spiritualis neque corporalis; intellectum enim declaratum est quod non est individuum. Ex quo consequitur ut intellectus sit innatus intelligere quidditatem intellecti cuius intellectus est unus omnibus hominibus; et quod est tale est substantia abstracta.

In libro vero de Anima posuit primo quod quidditas intellecti secundum quod est intellectum si non fuerit concessum nobis quod non habet quidditatem, et quod non est simplex, sed composita (sicut est dispositio in omnibus quidditatibus factis), et fuerit dictum quod quidditas istius intellecti secundum quod est intellectum habet etiam quidditatem, scilicet intellectum istius quidditatis,

tunc iste intellectus etiam erit innatus reverti et extrahere illam quidditatem.

Et si non fuerit concessum nobis quod ista quidditas est simplex et quod ens ex ea est idem cum intellectu, continget in ea quod contingit in prima, et est quod etiam habeat quidditatem factam. Et necesse est tunc aut ut hoc procedat in infinitum, aut ut intellectus secetur ibi. Sed quia impossibile est hoc procedere in infinitum (quia faceret quidditates et intellectus infinitos diversos in specie esse, scilicet secundum quod quidam eorum [line 369 cont.] sunt magis liberati a materia quam quidam), necesse est ut intellectus secetur. Et cum secabitur, tunc aut perveniet ad quidditatem que non habet quidditatem, aut ad aliquid habens quidditatem sed intellectus non habet naturam extrahendi illam, aut ad aliquid non habens quidditatem neque est quidditas. Sed impossibile est invenire quidditatem quam intellectus non est innatus extrahere a quidditate, quoniam ille intellectus tunc non diceretur intellectus nisi equivoce (cum sit positum quod intellectus innatus est abstrahere quidditatem in eo quod est quidditas). Et impossibile est etiam ut intellectus perveniat ad aliquid non habens quidditatem neque est quidditas; hoc enim quod neque est quidditas neque habet quidditatem est privatio simpliciter.

Remanet igitur tertia divisio, et est quod intellectus perveniat ad quiditatem non habentem quiditatem; et quod est tale est forma abstracta. Et confirmavit hoc per illud quod consuetus est Aristoteles dicere in talibus demonstrationibus, scilicet quoniam, quando necesse est abscindere infinitum, melius est abscindere eum in principio.

Page 493

Erit igitur conclusio istius demonstrationis eadem cum conclusione predictae demonstrationis. Quoniam, si non addiderit hoc, poterit aliquis dicere multos intellectus esse medios inter intellectum qui est in habitu et inter intellectum agentem: aut unum, ut intendit Alfarabius in suo tractatu de Intellectu et Intellecto, quem vocavit illic ADEPTUM, aut plures uno. Et existimatur quod Alfarabius concedit hoc in suo libro de Generatione et Corruptione, ubi dicit: QUOMODO CONSUMUNTUR ISTI INTELLECTUS MEDII?, idest quorum esse posuimus inter intellectum speculativum et inter intellectum agentem. Iste igitur sunt viae magis firmes per quas ivit iste homo in hac intentione.

Nos autem dicamus: si autem hoc nomen QUIDITAS dicatur de quiditatibus rerum materialium et de quiditatibus intellectuum abstractorum modo univoco, tunc propositio dicens quod intellectus innatus est abstrahere quiditates in eo quod sunt quiditates erit vera; et similiter si dicere intellecta esse composita et individua composita fuerit univocum; si autem equivocum, tunc demonstratio non erit vera. Quomodo autem est valde difficile; manifestum est enim per se quod hoc nomen QUIDITAS non dicitur de eis pura univocatione neque pura equivocatione. Utrum autem dicatur multipliciter quod est medium indiget consideratione.

Sed si concesserimus hoc dici univoce, continget predicta questio; et est quomodo corruptibile intelligit quod non est corruptibile, secundum opinionem dicentium quod intellectus materialis est corruptibilis

Page 494

(et est opinio Avempeche), aut quomodo intelligit intellectione nova quod innatum est semper intelligere ea in futuro et in preterito, secundum opinionem dicentium quod intellectus materialis non est generabilis neque corruptibilis. Et etiam, si posuerimus quod intelligere res abstractas est in substantia et in natura intellectus materialis, quare igitur ista intellectio non currit cursu intellectionum materialium nobis, ita quod hoc intelligere sit pars partium scientiarum speculativarum, et erit unum quesitorum in scientia speculativa?

Et Avempeche videtur ambigere in hoc loco. Dixit enim in epistola quam vocavit Expeditionis quod possibilitas est duobus modis: naturalis, et divina; idest quod intellectio istius intellectus est de possibilitate divina, non de possibilitate nature. In epistola autem Continuationis dixit: ET CUM PHILOSOPHUS ASCENDERIT ALIA ASCENSIONE,

CONSIDERANDO IN INTELLECTO INQUANTUM INTELLECTUM, TUNC INTELLIGET SUBSTANTIAM ABSTRACTAM. Et manifestum est ex hoc quod intelligere intellectum secundum illum est pars scientiarum speculativarum, scilicet Scientia Naturalis; et hoc apparuit etiam in illa perscrutatione ab eo.

Et cum ita sit, nos omnes homines, quod accidit nobis de ignorantie istius scientie aut erit quia adhuc non scimus propositiones que inducunt nos ad hanc scientiam (ut dicitur de multis artificiis que videntur esse possibilia sed sunt causarum ignoratarum, v.g. Alkimie), aut hoc intelligere hoc acquiritur per exercitium et usum in rebus naturalibus, sed nondum habemus de exercitio et usu tantum per quod possumus

Page 495

acquirere hanc intellectionem, aut erit hoc propter diminutionem nostre nature naturaliter.

Si igitur hoc accidit propter diminutionem in natura, tunc nos et omnes qui innati sunt acquirere hanc scientiam dicimur homines equivoce. Et si hoc accidit propter ignorantiam propositionum inducentium in hanc scientiam, tunc scientia speculativa nondum perfecta est; et forte Avempeche dicit hoc esse inopinabile, sed non impossibile. Et si hoc accidit propter consuetudinem, tunc sermo erit propinquus sermoni dicenti quod causa in hoc est ignorantia propositionum inducentium in hanc scientiam. Et omne hoc dicitur cum hoc quod videtur esse remotum, licet non impossibile. Quomodo ergo potest evadere ab illis questionibus predictis?

Iste igitur sunt omnes questiones contingentes huic quesito, et sunt ita difficiles sicut tu vides. Et oportet nos dicere quod apparuit nobis in hoc. Dicamus igitur: quoniam autem intellectus existens in nobis habet duas actiones secundum quod attribuitur nobis, quarum una est de genere passionis (et est intelligere), et alia de genere actionis (et est extrahere formas et denudare eas a materiis, quod nichil est aliud nisi facere eas intellectas in actu postquam erant in potentia), manifestum est quoniam in voluntate nostra est, cum habuerimus intellectum qui est in habitu, intelligere quodcunque intellectum voluerimus et extrahere quancunque formam voluerimus.

Et ista actio, scilicet creare intellecta et facere ea, est prior in nobis quam actio que est intelligere, sicut dicit Alexander. Et ideo dicit quod dignius est describere intellectum per hanc actionem, non per passionem, cum in

Page 496

passione communicet ei aliud ex virtutibus animalibus (sed hoc est de opinione dicentium quod passio in eis non dicitur equivoce).

Et propter istam actionem, scilicet extrahere quodcunque

intellectum voluerimus et facere ipsum in actu postquam fuit in potentia, opinatus est Themistius quod intellectus qui est in habitu est compositus ex intellectu materiali et agenti. Et hoc idem fecit Alexandrum credere quod intellectus qui est in nobis est compositus aut quasi compositus ex intellectu agenti et ex eo qui est in habitu, cum opinatur quod substantia eius qui est in habitu debet esse alia a substantia intellectus agentis.

Et cum hec duo fundamenta sunt posita, scilicet quod intellectus qui est in nobis habet has duas actiones, scilicet comprehendere intellecta et facere ea, intellecta autem duobus modis fiunt in nobis: aut naturaliter (et sunt prime propositiones, quas nescimus quando extiterunt et unde et quomodo) aut voluntarie (et sunt intellecta acquisita ex primis propositionibus); et fuit declaratum quod necesse est ut intellecta habita a nobis naturaliter sint ab aliquo quod est in se intellectus liberatus a materia (et est intellectus agens); et cum hoc declaratum est, necesse est quod intellecta habita a nobis a primis propositionibus sint aliquod factum congregatum ex propositionibus notis et intellectu agenti. Non enim possumus dicere quod propositiones non habent introitum in esse intellectorum acquiritorum, neque etiam possumus dicere quod ipse sole sint agentes ea (iam enim declaratum est agens esse unum et eternum), ut intendebant quidam Antiquorum, et opinati sunt quod eas intendebat Aristoteles per INTELLECTUM AGENTEM.

Et cum ita sit, necesse est ut intellectum speculativum

Page 497

sit aliquod generatum ab intellectu agenti et a primis propositionibus. Et contingit quod iste modus intellectorum sit voluntarie, econtrario intellectis primis naturalibus. Et omnis actio facta ex congregato duorum diversorum, necesse est ut alterum duorum illorum sit quasi materia et instrumentum, et aliud sit quasi forma aut agens. Intellectus igitur qui est in nobis componitur ex intellectu qui est in habitu et intellectu agenti, aut ita quod propositiones sunt quasi materia et intellectus agens est quasi forma, aut ita quod propositiones sunt quasi instrumentum et intellectus agens est quasi efficiens; dispositio enim in hoc est consimilis.

Sed si posuerimus quod propositiones sunt quasi instrumentum, continget ut actio eterna proveniat a duobus quorum unum est eternum et aliud non eternum (aut ponatur quod instrumentum sit eternum; et sic intellecta speculativa erunt eterna). Et hoc etiam magis continget si posuerimus eas propositiones quasi materiam; impossibile est enim ut aliquod generabile et corruptibile sit materia eterni. Quomodo igitur poterimus evadere ab hac questione?

Dicamus igitur quod, si hoc quod diximus, quod necesse est quod propositiones sint de intellectu agenti aut quasi materia aut quasi instrumentum (si habent ingressum in esse intellectorum speculativorum), non fuit sermo necessarie consequentie secundum quod

[line 530 cont.] materia
est materia et instrumentum est instrumentum, sed secundum quod
[line 531 cont.] necesse est hic
esse proportionem et dispositionem inter intellectum agentem et
[line 532 cont.] propositiones,

Page 498

que assimilantur materie et instrumento aliquo modo, non quia est
[line 533 cont.] materia
vera aut instrumentum verum, tunc videtur nobis quod possumus scire
modum secundum quem est intellectus qui est in habitu quasi materia
et subiectum agentis. Et cum iste modus fuerit positus
nobis, forte facile poterimus scire modum secundum
quem continuatur cum intellectis separabilibus.

Dicamus igitur: sermo autem dicentis quod, si conclusiones
acquiruntur a nobis ab intellectu agenti et propositionibus,
necesse est ut propositiones sint de intellectu
agenti quasi vera materia et verum instrumentum, ille
inquam sermo non est necessarius; sed tantum necesse est illic
esse respectum secundum quem intellectus qui est in habitu
assimiletur materie et intellectus agens assimiletur
forme. Quid igitur est iste respectus, et ex quo accidit
intellectui agenti habere hunc respectum cum intellectu qui
est in habitu, et unus est eternus et alius generabilis
et corruptibilis? Omnes enim horum concedunt hunc
respectum esse; et quasi coget eos hoc quod intellecta
speculativa sunt existentia in nobis ex his duobus intellectibus,
scilicet qui est in habitu, et intellectu agenti.

Sed Alexander et omnes opinantes intellectum materiale
esse generabilem et corruptibilem non possunt
reddere causam huius respectus. Ponentes autem quod
intellectus operans est intellectus qui est in habitu, continget
eis ut intellecta speculativa sint eterna, et alia multa
impossibilia consequentia hanc positionem.

Page 499

Nos autem cum posuerimus intellectum materiale esse eternum
et intellecta speculativa esse generabilia et corruptibilia eo modo
quo diximus, et quod intellectus materialis intelligit
utrumque, scilicet formas materiales et formas abstractas, manifestum
est quod subiectum intellectorum speculativorum et intellectus
agentis secundum hunc modum est idem et unum, scilicet materialis.
Et simile huic est diaffonum, quod recipit colorem
et lucem insimul; et lux est efficiens colorem.

Et cum fuerit verificata nobis hec continuatio que
est inter intellectum agentem et intellectum materiale,
poterimus reperire modum secundum quem dicimus quod
intellectus agens similis est forme et quod intellectus qui est in
habitu similis est materie. Omnia enim duo quorum subiectum
est unum, et quorum alterum est perfectius alio, necesse
est ut respectus perfectioris ad imperfectius sit sicut
respectus forme ad materiam. Et secundum hanc intentionem
dicimus quod proportio prime perfectionis virtutis ymaginative
ad primam perfectionem communis sensus

est sicut proportio forme ad materiam.

Iam igitur invenimus modum secundum quem possibile est ut iste intellectus continuetur nobiscum in postremo, et causam quare non copulatur nobiscum in principio. Quoniam hoc posito, continget necessario ut intellectus qui est in nobis in actu sit compositus ex intellectis speculativis et intellectu agenti ita quod intellectus agens sit quasi forma intellectuum speculativorum et intellecta speculativa sint quasi materia. Et per hunc modum poterimus generare intellecta cum voluerimus. Quoniam, quia illud per quod agit aliquid suam propriam actionem est forma, nos autem agimus per intellectum

Page 500

agentem nostram actionem propriam, necesse est ut intellectus agens sit forma in nobis.

Et nullus modus est secundum quem generetur forma in nobis nisi iste. Quoniam, cum intellecta speculativa copulantur nobiscum per formas ymaginabiles, et intellectus agens copulatur cum intellectis speculativis (illius enim quod comprehendit ea est idem, scilicet intellectus materialis), necesse est ut intellectus agens copuletur nobiscum per continuationem intellectuum speculativorum.

Et manifestum est quod, cum omnia intellecta speculativa fuerint existentia in nobis in potentia, quod ipse erit copulatus nobiscum in potentia. Et cum omnia intellecta speculativa fuerint existentia in nobis in actu, erit ipse tunc copulatus nobis in actu. Et cum quedam fuerint potentia et quedam actu, tunc erit ipse copulatus secundum partem et secundum partem non; et tunc dicimur moveri ad continuationem.

Et manifestum est quod, cum iste motus complebitur, quod statim iste intellectus copulabitur nobiscum omnibus modis. Et tunc manifestum est quod proportio eius ad nos in illa dispositione est sicut proportio intellectus qui est in habitu ad nos. Et cum ita sit, necesse est ut homo intelligat per intellectum sibi proprium omnia entia, et ut agat actionem sibi propriam in omnibus entibus, sicut intelligit per intellectum qui est in habitu, quando fuerit continuatus cum formis ymaginabilibus, omnia entia intellectione propria.

Page 501

Homo igitur secundum hunc modum, ut dicit Themistius, assimilatur Deo in hoc quod est omnia entia quoquo modo, et sciens ea quoquo modo; entia enim nichil aliud sunt nisi scientia eius, neque causa entium est aliud nisi scientia eius. Et quam mirabilis est iste ordo, et quam extraneus est iste modus essendi!

Et secundum hunc modum verificabitur opinio Alexandri in hoc quod dicit quod intelligere res abstractas fiet

per continuationem istius intellectus nobiscum; non quod intelligere invenitur in nobis postquam non erat, quod est causa in continuatione intellectus agentis nobiscum, ut intendebat Avempeche, sed causa intellectionis est continuatio, et non econtrario.

Et per hoc dissolvitur questio quomodo antiquum intelligit intellectione nova. Et est etiam manifestum ex hoc quare non continuamur cum hoc intellectu in principio, sed in postremo. Quoniam, dum fuerit forma nobis in potentia, erit continuatus nobiscum in potentia, et dum fuerit continuatus nobiscum in potentia, impossibile est ut intelligamus per illum aliquid. Sed cum efficietur forma nobis in actu (et hoc erit apud continuationem eius in actu), tunc intelligemus per illum omnia que intelligimus, et agemus per illum actionem sibi propriam.

Et ex hoc apparet quod sua intellectio non est aliquid scientiarum speculativarum, sed est aliquid currens cursu rei

Page 502

generate naturaliter a disciplina scientiarum speculativarum. Et ideo non est remotum ut homines adiuvent se in hac intentione, sicut iuvant se in scientiis speculativis. Sed necesse est ut inveniatur illud currens a scientiis speculativis, non ab aliis. Intellecta enim falsa impossibile est ut habeant continuationem, quoniam non sunt aliquid currens cursu naturali, sed sunt aliquid quod non intendebatur, sicut digitus sextus, et monstrum in creatura.

Et est etiam manifestum quod, cum posuerimus intellectum materiale esse generabilem et corruptibilem, tunc nullam viam inveniemus secundum quam intellectus agens copuletur cum intellectu qui est in habitu copulatione propria, scilicet copulatione simili continuationi formarum cum materiis.

Et cum ista continuatio non fuerit posita, nulla erit diversitas inter comparare ipsum ad hominem et ad omnia entia, nisi per diversitatem sue actionis in eis. Et secundum hunc modum respectus eius ad hominem non erit nisi respectus agentis ad hominem, non respectus forme, et contingit questio Alfarabii quam dixit in Nichomachia. Fiducia enim in possibilitate continuationis intellectus nobiscum est in declarando quod respectus eius ad hominem est respectus forme et agentis, non respectus agentis tantum. Hoc igitur apparuit nobis in hoc quesito modo. Et si post apparuerit nobis plus, scribemus.

Page 503

37. CONGREGEMUS IGITUR SECUNDUM SUMMAM EA QUE
DICTA SUNT IN ANIMA. DICAMUS IGITUR QUOD ANIMA EST
QUOQUO MODO ALIA ENTIA. ENTIA ENIM AUT SUNT
INTELLECTA AUT SENSATA. SCIRE VERO RES INTELLECTAS
EST SECUNDUM MODUM SENTIENDI REM SENSATAM.

iii.8
431b20

431b23

Et cum declaratum est que sunt genera virtutum

comprehensivarum anime, et quod sunt duo modi, scilicet
sensus et intellectus, oportet nos modo facere summam
de anima, et dicere secundum descriptionem quod est quoquo
modo omnia entia. Omnia enim entia aut sunt sensibilia
aut intelligibilia. Dispositio autem sensibilibium
ad sensum est sicut dispositio intelligibilium ad intellectum,
et +sensus ad sensatum+. Ergo contingit necessario
ut anima sit omnia entia uno modorum secundum quos
possibile est dicere animam esse omnia entia.

38. ET SCIENDUM EST QUOMODO. DICAMUS IGITUR QUOD SCIRE ET 431b23
SENTIRE DIVIDUNTUR SECUNDUM DIVISIONEM ENTIIUM. SI IGITUR
FUERINT IN POTENTIA, ERUNT POTENTIA, SI ACTU, ACTU, 431b25
INTELLECTUM ET SENSATUM. NECESSE EST ENIM UT ENTIA
SINT AUT ISTA, AUT FORME. ET NON SUNT ISTA; LAPIS ENIM
NON EXISTIT IN ANIMA, SED FORMA. ET IDEO ANIMA EST QUASI 432a1
MANUS; MANUS ENIM EST INSTRUMENTUM INSTRUMENTIS, ET
INTELLECTUS FORMA FORMIS, ET SENSUS FORMA SENSATIS. 432a3

Cum declaravit quod anima est quoquo modo omnia entia,
incepit declarare illum modum. Et dixit: DICAMUS IGITUR
QUOD SCIRE, etc. Idest, quia differentie entium quibus dividuntur sunt

Page 504

eedem cum differentiis anime (et sunt potentia et actus;
quemadmodum enim sensus et intellectus aut sunt potentia
aut actu, ita omne sensibile et intelligibile aut est
in potentia aut in actu, et cum ita sit, si sentiens fuerit
in potentia, sensatum erit in potentia, et si fuerit in actu,
sensatum erit in actu, et similiter est de intellectu cum
intellecto), necesse est ut vere dicatur quod illa pars anime
est illa pars entium. Res enim quarum differentie sunt eedem
ipse sunt eedem in illo modo secundum quem habent easdem
differentias. Intellectus igitur est intellectum, et
sensus est sensatum. Deinde dixit: NECESSE EST ENIM, etc. Idest, et quia
non sunt nisi duo modi, aut ut intellectus sit intellectum
existens extra animam, aut forma eius, et similiter sensus cum
sensato, et est impossibile ut ipsum ens sit intellectum
aut sensatum, scilicet per suam formam et suam materiam,
ut Antiqui opinabantur, (tunc enim, quando lapidem intelligeret,
anima esset lapsus, et si lignum, esset lignum), remanet
igitur ut illud quod existit in anima de entibus
sit forma tantum, non materia. Et hoc intendebat cum
dixit: LAPIS ENIM, etc. Idest, lapis enim non existit in anima, sed tantum
[line 31 cont.] forma eius.
Deinde narravit quod ista est causa quare anima recipit
multas formas diversas, ut manus, que est instrumentum
quod est recipiens omnia instrumenta. Et dixit: ET IDEO ANIMA
EST QUASI MANUS, etc.

39. ET QUIA, SECUNDUM QUOD EXISTIMATUR, MAGNITUDO EST 432a3
+ESSE SENSIBILIA SENSIBILIIUM+, ET EST SPECIES SENSIBILIIUM

Page 505

SINGULARITER, INTELLIGIBILIA AUTEM SUNT QUE DICUNTUR 432a5
MODO VELOCIS, RES AUTEM EXISTENTES IN SENSIBILIBUS
SUNT SECUNDUM MODUM HABITUS ET PASSIONIS.

ET IDEO QUI NICHIL SENTIT NICHIL ADDISCIT ET NICHIL
INTELLIGIT. SI IGITUR VIDERIT, NECESSARIO VIDET
YIMAGINES ALIQUAS; YIMAGINES ENIM SIMILES SUNT
SENSIBILIBUS, SED SINE MATERIA. YMAGINATIO ENIM ALIUD
EST AB AFFIRMATIONE ET NEGATIONE. FIDES ENIM ET
NON FIDES INVENIUNTUR PER COMPOSITIONEM
QUARUNDAM CREDITIONUM CUM QUIBUSDAM.
PRIME AUTEM CREDITIONES PER QUID DISTINGUUNTUR
ITA QUOD NON SUNT YIMAGINES? ISTE ENIM, ET
SI NON SUNT YIMAGINES, TAMEN NON FIUNT SINE
YMAGINIBUS.

432a10

432a14

Et quia, secundum quod existimatur, corpus, quod est universalius
genus rerum sensibilium, existit in ipsis sensibilibus, et
est universalis forma sensibilibus secundum quod intellectus distinguit
et abstrahit eam a sensibilibus. Deinde dixit: ET INTELLIGIBILIA
SUNT, etc. Idest, et cum corpus, quod est universalius intelligibilium,
abstrahitur ab intellectu, sed est existens in
rebus sensibilibus, necesse est ut forme sint existentes
in intellectu secundum velocitatem et rem velocis transmutationis,
non fixam, et quod ille eedem forme sint existentes
extra animam in rebus sensibilibus secundum quod habitus
existit in habente habitum, et res fixa in re patienti.

Page 506

Deinde dixit: ET IDEO QUI NICHIL SENTIT ADDISCIT. Idest, et quia
intentio intellecta eadem est cum re quam sensus comprehendit
in sensato, necesse est ut qui nichil sentit nichil
addiscat secundum cognitionem et distinctionem per
intellectum. Deinde dixit: SI IGITUR VIDERIT, etc. Idest,
et ista eadem est causa quare intellectus qui est in nobis,
cum viderit aliquid et intellexerit,
ipse non intelliget ipsum nisi coniunctum cum
sua ymagine. Ymagine enim sunt aliqua sensibilia
intellectui, et sunt ei loco sensibilium apud absentiam
sensibilium; sed sunt sensibilia non materialia.
Deinde dixit: YMAGO ENIM ALIUD EST, etc. Idest, et diximus quod
ymagine sunt de genere rerum sensibilium et non sunt
intellectus, quia intellectus habet propriam affirmationem
et negationem, affirmatio autem et negatio aliud est
ab ymaginatione. Fides autem et incredulitas existentes
in intellectu, non a sensu, sed a ratione, fiunt secundum
compositionem creditionum habituum a sensu adinvicem. Et
dixit hoc quia est dubium de propositionibus naturalibus
(quas nescimus unde veniant aut quando) utrum sint provenientes
a sensu aut non; et dicitur: forte non proveniunt a
sensu sicut multe conclusiones. Deinde dixit: PRIME AUTEM
CREDITIONES PER QUID DISTINGUUNTUR? Idest, ut michi videtur,
per quid igitur potest aliquis dicere quod prime propositiones
distinguantur a sensibilibus, et non indigent eis omnino,
et ideo sunt alie ab ymaginatione? Prime enim propositiones,
et si concesserimus quod non sunt ymaginatio, tamen videntur

Page 507

esse cum ymaginatione, et hoc ostendit eas indigere sensu.
Et hic est completus sermo de rationali.

iii.9

40. ET QUIA ANIME ANIMALIUM DIFFINIUNTUR PER
DUAS VIRTUTES, QUARUM UNA EST DISTINGUENS, QUOD
EST AD ACTIONEM SENSUS ET INTELLECTUS, ET ALIA AD
MOTUM LOCALEM, ET IAM DISTINXIMUS SERMONEM
DE SENSU ET INTELLECTU, MODO OPORTET LOQUI
IN MOTORE QUID SIT DE ANIMA, ET UTRUM SIT UNA PARS
EIUS DISTINCTA PER MAGNITUDINEM AUT PER
DIFFINITIONEM, AUT EST TOTA ANIMA; ET SI EST PARS
EIUS, UTRUM EST ALIQUOD PROPRIUM ALIUD A REBUS ASSUETIS
DICI, AUT ISTA DICTA NON SUNT ALIQUID ISTORUM.

432a15

432a20

432a22

Cum complevit sermonem de virtutibus distinguuntibus,
reversus est ad sermonem de virtute motiva in
loco, et incepit dare causam quare incepit loqui de
hac virtute. Et dixit: ET QUIA ANIME ANIMALIUM, etc. Idest, et quia
Antiqui assueti sunt diffinire animas animalium duabus virtutibus,
quarum una est comprehensiva distinctiva, alia
autem motiva in loco, et iam determinavimus sermonem
de virtute distinctiva per hoc quod diximus de virtute
sensus et intellectus, oportet nos dicere modo de motore
in loco quid sit de anima. Deinde dixit: ET UTRUM EST PARS, etc.
Idest, et querendum est etiam de hac virtute utrum sit pars
anime aut tota anima, et si est pars anime, utrum est
separata ab aliis in quiditate et loco, ut multi Antiqui
opinabantur, aut tantum differt in quiditate et diffinitione.
Deinde dixit: ET SI EST EIUS, etc. Idest, et si ista virtus est

Page 508

pars anime, utrum est pars earum partium que dicte
sunt ab Antiquis, aut non est aliqua illarum, sed alia.

41. ET CUM HOC SERMONE ETIAM ORITUR QUESTIO,
ET EST QUOMODO SUNT PARTES ANIME, ET QUOT
SUNT. VIDENTUR ENIM QUOQUO MODO ESSE INFINITE,
ET QUOD NON SUNT ILLE PARTES QUAS HOMINES
NUMERANT APUD DIFFINITIONEM, SCILICET RATIONABILIS ET
IRASCIBILIS ET DESIDERABILIS; ET QUIDAM DIVIDUNT
EAM IN RATIONABILEM ET NON RATIONABILEM. DIVIDI
VIDETUR ENIM SECUNDUM DIFFERENTIAS DIVIDENTES EAM
ETIAM IN PARTES DIVERSAS INTER QUAS EXISTIT DIVERSITAS
MAIOR QUAM INTER ISTAS DE QUIBUS LOQUIMUR
ETIAM, SCILICET VIRTUTEM NUTRITIVAM EXISTENTEM IN
VEGETABILIBUS, ET VIRTUTEM SENSIBILEM, QUAM NULLUS
VULT NUMERARE; NON ENIM EST IRRATIONABILIS
NEQUE ETIAM RATIONABILIS. ET VIRTUS ETIAM PER
QUAM FIT YMAGINATIO DIFFERT PER SE AB ALIIS.

432a22

432a25

432a30

432b1

Oritur in hac perscrutatione questio communis omnibus
virtutibus anime, et est quomodo partes anime
sunt plures et unum, et quot sunt. Deinde dedit modum ex quo
difficile cognoscitur quot sunt partes eius. Et dixit: VIDENTUR
ENIM, etc. Idest, videntur enim, quando aliquis voluerit
numerare eas, quod magis sunt infinite quam finite; partes enim
eius non sunt partes ille quas homines assueti sunt numerare

Page 509

quando diffiniunt animam. Et dixit QUOQUO MODO

quia, si aliquis voluerit numerare animam concupiscibilem secundum numerum rerum quas concupiscit, tunc videtur illam esse infinitam. Et innuit Platonem dicentem partes anime esse tres: rationabilem et irascibilem et desiderativam; et posuit irascibilem et desiderativam duas, et sunt unius virtutis, scilicet anime concupiscibilis. Deinde dixit: ET QUIDAM DIVIDUNT, etc. Idest, et faciunt in hoc errorem et peccatum; videtur enim quod anima dividitur secundum differentias habendas in partes inter quas est maior diversitas quam inter istas partes in quas dividunt animam. Deinde numeravit illas partes. Et dixit: SCILICET VIRTUTEM NUTRITIVAM, etc.; idest, v.g. hoc quod anima dividitur in virtutem nutritivam et sensibilem. Nullus enim potest ponere animam sensibilem in virtutem rationabilem neque in virtutem irrationabilem, cum non sit de eis que carent ratione, quia est aliquid comprehendens, neque de habentibus rationem; ratio enim non existit in omnibus animalibus. Et intendebat per hoc notificare errorem duorum dividendum, scilicet dividendi eam in rationabilem et irascibilem et desiderativam, et dividendi eam in rationabilem et non rationabilem. Qui enim dividit eam in hec duo difficile potest ponere in utranque illarum virtutes multas, v.g. sensum et ymaginationem. Qui autem dividit eam in illas tres peccavit duobus modis; dimisit enim multas differentias, v.g. nutrir et ymaginari,

et etiam divisit eandem virtutem, scilicet concupiscibilem, in plures una. Et cum anima fuerit divisa tali divisione, tunc partes anime erunt infinite, sicut innuit primo.

432b1

432b7

Et contingit nobis questio in quacunque istarum trium virtutum aut duarum numeravimus virtutem ymaginationis, scilicet utrum ista virtus sit una illarum virtutum in quas divisimus partes anime, aut est diversa ab eis; et maxime si aliquis posuerit quod partes anime sunt diverse in diffinitione et loco. Deinde dixit: ET INOPINABILE EST, etc. Idest, et inopinabile est dividere hanc virtutem que existimatur esse diversa ab omnibus in diffinitione et actione (et intendit virtutem desiderativam) et ponere eam in habente rationem et in carente ratione, et non ponere eam propriam alteri duorum modorum, sicut est dispositio de aliis virtutibus anime, sed in utroque. Virtus enim principalis non existit nisi in anima rationali

(et hoc intendebat cum dixit IN PARTE COGITATIVA);

Page 511

et non principalis, sicut desiderium et ira, existit in non rationabili. Sed nos videmus istam virtutem numerari secundum numerum virtutum, ita quod, si partes anime fuerint tres, tunc desiderium invenietur in omnibus earum. Et hoc intendebat cum dixit: SI IGITUR ANIMA, etc.

43. ILLUD AUTEM AD QUOD PERVENIMUS IN SERMONE 432b7
EST QUID EST ILLUD QUOD MOVET ANIMALIA DE LOCO IN LOCUM.
ET EXISTIMATUR QUOD MOTUS QUI EST SECUNDUM AUGMENTUM ET
DIMINUTIONEM EXISTIT IN OMNIBUS, ET ILLUD QUOD EXISTIT 432b10
IN OMNIBUS EST ILLUD QUOD EXISTIMATUR MOVERE
GENERATIVUM ET NUTRITIVUM. ET POST CONSIDERABIMUS
DE ANELITU, ET DE SOMPNO ET VIGILIA; IN ISTIS
ENIM SUNT MULTE QUESTIONES. 432b13

Sed nos non intendebamus istas questiones in hoc loco. Intentio enim nostra est perscrutari de illo quod movet animal in loco quid sit. Deinde dixit: ET EXISTIMATUR QUOD MOTUS, etc. [line 11 cont.] Idest, et existimatur quod motus animalis secundum augmentum et diminutionem existit in omnibus animalibus; et quod est tale attribuitur virtuti que movet ad generandum et ad nutriendum. Et intendebat per hoc notificare quod iste motus est alius a motu locali existente in moto localiter, licet uterque sit in loco, et quod motor in eis est diversus. Deinde dixit: ET POST CONSIDERABIMUS, etc. Idest, et postquam locuti fuerimus de hac virtute, considerabimus de anelitu, et sompno et vigilia, cum utrunque sit ab anima motus, et habeat multas questiones.

44. CONSIDERABIMUS IGITUR DE MOTU LOCALI, ET QUID 432b13
EST ILLUD QUOD MOVET ANIMAL MOTU LOCALI. ET

Page 512

MANIFESTUM EST QUOD HOC NON EST A VIRTUTE NUTRITIVA; 432b15
ISTA ENIM VIRGUS SEMPER ATTRIBUITUR ILLIS,
ILLA AUTEM AUT EST CUM YMAGINATIONE AUT CUM DESIDERIO.
NICHIL ENIM MOETUR NISI AUT PER DESIDERIUM
AD ALIQUID AUT PER FUGAM AB IPSO, NISI MOTUS
EIUS SIT VIOLENTUS. ET SI ISTA ESSET ETIAM DISPOSITIO
PLANTARUM, ESSENT MOTE, ET HABERENT MEMBRUM
ORGANICUM IUVANS HUNC MOTUM. 432b19

Et quia actio virtutis nutritive est semper, et attribuitur vegetabilibus, actio autem istius virtutis non est semper, neque est in vegetabilibus; et iste motus qui est in loco semper est cum ymaginatione et desiderio ad aliquid (nichil enim voluntarie movetur nisi aut desiderando aliquid aut fugiendo ipsum); si igitur iste motus esset ab anima nutritiva, contingeret ut ista anima esset desiderans et ymaginans. Et si virtus nutritiva esset movens in loco, contingeret ut plante moverentur in loco; et si plante moverentur in loco, tunc haberent hanc dispositionem, scilicet ymaginationem et desiderium, et haberent etiam membrum organicum per quod fit motus.

45. ET ETIAM SECUNDUM HUNC MODUM EST ALIUD A SENSU. 432b19
MULTE ENIM ANIMALIA HABENT SENSUM ET SUNT 432b20
QUIESCUNT IN EODEM LOCO ET NON MOVENTUR
OMNINO. SI Igitur natura nichil facit ociose, et
perfecte operatur in rebus necessariis, nisi sit
in rebus monstruosis, que non sunt perfecte,
(taliter enim animalia sunt perfecta, non monstruosa,
et signum eius est quod generant, et habent

Page 513

ASCENSUM ET DESCENSUM), ET IDEO NON HABENT 432b25
MEMBRA ORGANICA PER QUE FIT MOTUS LOCALIS. 432b26

Et oportet etiam secundum hunc modum ut ista virtus
movens in loco sit alia a sensu. Multa enim animalia sentiunt
sed non moventur omnino. Et necesse est ut ista animalia
non moveantur omnino. Quoniam, cum natura nichil facit
ociose, id est nullum membrum facit sine iuvamento, neque dimittit
in rebus necessariis, id est neque abstulit animali membrum
in quo habet iuvamentum necessarium (nisi hoc
sit propter occasiones contingentes in minori parte, ut
digitus sextus), et ista animalia non mota non habent
instrumentum ambulandi, et sunt cum hoc perfecta, non monstruosa,
(et signum eius est quod generant sibi similia, et habent etiam in
sua vita ascensum et descensum sicut alia entia naturalia
quorum esse est naturale), ergo necesse est ut ista animalia
sint non mota, et ideo non habent membra motus. Et debes
scire quod non utitur loco concomitante in destruendo
has virtutes esse motivas nisi ita quia suum quesitum
est causa propinqua motus; et si non, tunc sensus est una
causarum istius motus, sed causa remota.

46. SED ILLUD QUOD MOVET NEQUE EST PARS COGITATIVA 432b26
NEQUE ILLA QUE DICITUR INTELLECTUS. PARS ENIM
COGITATIVA NON VIDET ILLUD QUOD FACIT, NEQUE DICIT
ALIQUID IN FUGITO NEQUE IN QUESITO; MOTUS AUTEM
SEMPER INVENITUR AUT IN FUGIENTE AUT IN QUERENTE.
NEQUE EST ETIAM EX EIS QUE, QUANDO VIDERINT

Page 514

REM TALEM, MITTENT AD QUERENDUM AUT FUGIENDUM; 432b30
UT MULTOTIENS OPINAMUR ALIQUID ESSE
DELECTABILE AUT TIMOROSUM ET NON MITTIMUR
AD TIDOREM; COR AUTEM MOVETUR QUANDO ALIUD
MEMBRUM DELECTATUR. 433a1

Potest intelligi per PARTEM COGITATIVAM intellectus
speculativus, et per PARTEM QUE DICITUR INTELLECTUS intellectus
operativus. Et ideo dixit: PARS ENIM COGITATIVA NON VIDET,
etc. Id est, pars enim speculativa non considerat de rebus operativis,
neque de aliqua re utili quesita neque de aliqua re
nocenti fugita; motus autem in loco non invenitur nisi
aut in querente aut in fugiente. Deinde dixit: NEQUE EST
ETIAM EX EIS, etc. Id est, neque est etiam pars intellectus qui innatus
est considerare in quesito et fugito, et excitat membrum
mobile ad motum ad rem delectabilem, aut membrum

mobile in timore ad motum, ut accidit nobis quando ymaginamur aliquod delectabile aut timoroso quod membrum proprium illi delectabili movetur in nobis, et cor constringitur tunc ex illo timoroso, et intellectus nichil videt ex hoc, sed videmus ipsum non moveri ex illo timoroso aut ad illud delectabile. Et hoc intendebat cum dixit: COR AUTEM, etc. ita cecidit in scriptura. Et forte diminuitur ex ea tantum quod intentio esset ista, scilicet: cor autem movetur ex timore aut ex delectatione quando aliud membrum movetur ex delectatione. Et demonstrat hoc quod invenimus in alia translatione, scilicet: MULTOTIENS COGITAT INTELLECTUS IN ALIQUO TIMOROSO AUT IN ALIQUO DELECTABILI, SED NON PROPTER HOC ERIT TIMOR AUT DELECTATIO; COR AUTEM MOVETUR MOTU TIMORIS,

Page 515

SED NON EX INTELLECTU; ET CUM COGITAVERIT IN ALIQUO DELECTABILI, TUNC MEMBRUM ALIUD A CORDE MOVETUR MOTU DELECTATIONIS.

47. ET CUM INTELLECTUS MISERIT ET COGITATIO AFFIRMAVERIT FUGERE ALIQUID AUT QUERERE ALIQUID, NON MOVEBITUR, SED FACIT ILLUD QUOD CONVENIT DELECTATIONI, SICUT QUO NON PTEST SE RETINERE. ET UNIVERSALITER VIDEMUS HABENTEM ARTEM MEDICINE NON SANARE, QUIA ALIUD EST PRINCIPALE ACIONUM QUE FIUNT PER COGNITIONEM.

433a1

433a5

Et videmus etiam quod intellectus multotiens mittit ad querentum aliquid aut fugiendum, sed tamen homo non movetur ab eo quod affirmat intellectus, sed ex eo quod convenit delectationi, ut accidit viro vultuoso qui non refrenat se. Deinde dixit: ET UNIVERSALITER, etc. Idest, et universaliter videmus [line 12 cont.] multotiens quod multi scientes aliquam artum non agunt per illam artem, sicut videmus multos Medicos non curare se cum infirmantur. Et hoc non est nisi quia alius motor est principalis actionis illarum actionum que aguntur per cognitionem et artem; et si non, contingeret ut omne habens cognitionem alicuius operationis, ut agerent illam rem quam scit.

48. PRINCIPALITAS IGITUR IN HOC MOTU NON EST COGNITIONIS. NEQUE ETIAM DESIDERII; HEREMITE ENIM DESIDERANT ET CONCUPISCUNT, SED NON AGUNT EA AD QUE MOVENTUR PER DESIDERIUM, QUIA CONSEQUUNTUR INTELLECTUM. APPARET IGITUR QUOD ILLUD

433a5

iii.10

433a9

Page 516

QUOD FACIT MOTUM EST HEC DUO, DESIDERIUM SCILICET ET INTELLECTUS, ET SI ALIQUIS POSUERIT QUOD YMAGINATIO EST SIMILIS INTELLECTUI; IN PLURIBUS ENIM REBUS CONSEQUIMUR YMAGINATIONEM SINE COGNITIONE; ALIA ENIM ANIMALIA NON HABENT EXISTIMATIONEM NEQUE COGITATIONEM, SED YMAGINATIONEM. HEC IGITUR DUO, SCILICET DESIDERIUM ET INTELLECTUS, SUNT MOVENTIA DE LOCO IN LOCUM.

433a10

433a13

Quod igitur dominatur in isto motu et appropriatur

ei non est cognitio, cum multotiens moveamur a desiderio, licet intellectus videat nos non debere moveri. Neque etiam quod dominatur in isto motu est desiderium, quia multi homines desiderant sed non consequuntur desiderium, sed intellectum. Et cum declaravit quod motus localis impossibilis est attribui alteri istarum virtutum singulariter, et apparet etiam quod utraque illarum habet introitum in movendo (motus enim non fit sine desiderio neque sine intellectu aut ymaginatione), dixit: APPARET IGITUR, etc. Idest, apparet igitur ex hoc quod diximus quod agens motum est duo, intellectus scilicet et desiderium, aut ymaginatio, que est similis intellectui. In pluribus enim rebus movemur ab ymaginatione sine aliqua cognitione, sicut animalia moventur; alia enim animalia non habent cogitationem, sed in loco cogitationis habent ymaginationem. Iste igitur due virtutes sunt movens de loco in locum, scilicet desiderium, et intellectus aut ymaginatio.

49. ET INTELLECTUS OPERATIVUS (ET EST COGITANS IN RE) DIFFERT A SPECULATIVO IN PERFECTIONE. OMNE ENIM

433a14
433a15

Page 517

DESIDERIUM EST DESIDERIUM AD ALIQUID. DESIDERIUM ENIM NON EST PRINCIPIUM INTELLECTUS OPERATIVI, SED ILLUD ALIQUID EST PRINCIPIUM INTELLECTUS. ET IDEO NECESSARIO APPARET QUOD HEC DUO SUNT MOVENTIA, SCILICET DESIDERIUM ET COGITATIO APUD ACTIONEM. DESIDERATUM ENIM MOVET, ET IDEO COGITATIO MOVET, QUIA EST DESIDERATIVA.

433a20

Et intellectus per quem agitur (et est cogitativus operativus) differt a speculativo in perfectione et fine. Finis enim speculativi est scire tantum, operativi autem operari. Deinde dixit: ET OMNE DESIDERIUM, etc. Idest, et quia omne desiderium est desiderium ad aliquid, ideo desiderium non est principium movens intellectum operativum, sed illud desideratum movet intellectum, et tunc desiderabit intellectus, et cum desideraverit, tunc movebitur homo, scilicet a virtute desiderativa, que est intellectus aut ymaginatio. Deinde dixit: ET IDEO NECESSARIO, etc. Idest, et quia principium motus est ex desiderato, apparet quod hec duo movent hominem, scilicet desiderium et consensus qui sunt erga operationem, secundum hunc modum, scilicet quod faciens desiderare et movens quod est intellectus idem sunt, sed est movens quia facit desiderare rem. Et hoc intendebat cum dixit: DESIDERATUM ENIM, etc. Idest, desideratum enim quia ipsum est quod movet rem que comprehendit (et est intellectus operativus aut ymaginatio), et intellectus, quando comprehendit aliquid, desiderabit per scientiam et movebit per desiderium, necesse est ut ipse intellectus sit movens secundum quod est desiderans, non secundum quod est comprehendens, neque [line 30 cont.] secundum

Page 518

quod desiderium est alia virtus ab intellectu que est etiam movens, secundum quod ipse declarabit post. Et hoc quod ipse dixit de intellectu operativo intelligendum est de ymaginatione;

animalia enim universaliter moventur ab ymaginatione.
Si igitur forma fuerit ymaginata ex cogitatione, tunc
motus attribuetur intellectui operativo; et si non fuerit
ex cogitatione, tunc attribuetur ipsi virtuti ymaginative.

50. ET PRINCIPIUM HUIUS ERIT IN TEMPORE IN QUO 433a19
MOVETUR YMAGINATIO. NULLUS IGITUR MOTUS EST 433a20
EXTRA DESIDERIUM. MOTOR IGITUR UNUS EST, SCILICET
DESIDERANS. MOVENS ENIM SI ESSET DUO, SCILICET INTELLECTUS
ET DESIDERIUM, TUNC MOVERET MODO COMMUNI.
MODO AUTEM INTELLECTUS NON VIDETUR
MOVERE PRETER DESIDERIUM. VOLUNTAS ENIM ET
DESIDERIUM QUANDO MOVENTUR IN COGITATIONE,
TUNC VOLUNTAS MOVET. ET DESIDERIUM MOVET 433a25
MOTU QUI NON INTRAT COGITATIONEM. ET
DESIDERIUM EST ALIQUIS APPETITUS. 433a26

Et principium huius motus qui est ex re desiderata
erit in tempore in quo ymaginatio movetur a re
desiderata sine appetitu. Ymaginatio enim primo comprehendit
desideratum, scilicet patitur ab eo secundum comprehensionem; et cum
comprehendit ipsum, forte desiderabit; et cum desideraverit,
et non erit illic aliud desiderium contrarium neque alia virtus

Page 519

anime contraria, tunc movebit animal in loco ad illud desideratum
Deinde dixit: MOTOR IGITUR EST UNUS. Idest, motor igitur qui
est desideratum quia est unus, continget ut illud quod
movetur ab eo, quod est movens animal, scilicet virtus desiderativa,
sit una etiam; et hoc est aut intellectus aut ymaginatio
secundum quod utrumque est desiderans. Et si movens animal esset
duo, scilicet intellectus per se et virtus desiderativa per se
secundum quod sunt diversa, tunc motus animalis non proveniret ab
eis nisi accidentaliter, scilicet per naturam communem istis duabus
virtutibus, que esset alia ab utraque illarum. Deinde dixit: MODO
AUTEM INTELLECTUS, etc. Idest, et si ita esset, contingeret ut
intellectus per se moveret animal, et etiam desiderium per
se, et non est ita; intellectus enim non videtur movere
nisi voluntarie, sicut ymaginatio non videtur movere
sine desiderio. Et differentia inter voluntatem et desiderium
est quia, quando voluntas et desiderium movent,
tunc voluntas movet secundum cogitationem, desiderium
autem movet non secundum cogitationem. Deinde dixit: ET DESIDERIUM
EST ALIQUIS APPETITUS. Ita cecidit in scriptura, et
est falsum, et debet legi: ET APPETITUS EST ALIQUOD DESIDERIUM;
idest quod pars anime desiderans est movens universaliter;
si igitur desideraverit per cogitationem, dicetur
voluntas, et si fuerit sine cogitatione, dicetur appetitus.
Et demonstrat hunc errorem alia translatio, in qua dicitur:
APPETITUS AUTEM MOVET SINE COGITATIONE, QUIA APPETITUS
EST MODUS DESIDERII.

51. OMNIS IGITUR INTELLECTUS EST RECTUS; APPETITUS AUTEM 433a26
ET YMAGINATIO QUANDOQUE SUNT RECTI ET QUANDOQUE NON. ET
IDEO PARS APPETITIVA MOVET SEMPER, SED HOC AUT

Page 520

ERIT BONUM AUT EXISTIMABITUR ESSE BONUM. SED NON IN
OMNIBUS; ILLUD ENIM ACTUALE EST LAUDABILE; ET ACTUALE
EST ILLUD QUOD POSSIBILE EST UT HABEAT REM ALIO MODO.

Et omnis actio ex intellectu est recta; actiones autem
que fiunt ex appetitu et ymaginatione quandoque sunt
recte, quandoque non. Et ideo pars appetitiva movet semper,
quia movet ad rectum et ad non rectum; intellectus
autem non movet nisi ad rectum tantum, et ideo non
movenet semper. Deinde dixit: SED HOC AUT EST BONUM, etc. Idest, sed hoc
erga quod movet virtus appetitiva aut est bonum, aut existimatur
esse bonum sed non est. Et hoc bonum ad quod movetur
ista virtus non est bonum commune omnibus; illud enim bonum
quod est in actu semper est laudabile simpliciter. Et hoc
intendebat cum dixit: SED NON IN OMNIBUS; ILLUD ENIM ACTUALE
EST LAUDABILE, idest illud bonum existens in omnibus; illud enim
bonum quod semper est actuale est laudabile. Deinde dixit: ET
ACTUALE EST ILLUD QUOD HABET REM ALIO MODO. Idest, et bonum quod est
pura actio est bonum quod movet alio modo a modo secundum
quem movent ista bona que quandoque sunt potentia, quandoque
actu. Et potest intelligi per hoc quod dixit SED NON IN OMNIBUS,
(previous line continued:) idest, sed non in toto;
idest, et bonum ad quod movetur ista virtus non est bonum
secundum totum, idest semper et simpliciter; illud enim bonum quod
est actu ponitur esse laudabile. Vel aliter: SED NON IN OMNIBUS;
idest, sed bonum quod comprehendit ista virtus non est bonum
existens laudabile ab omnibus, sed bonum intellectui
operativo est laudabile apud illam virtutem et bonum quod

Page 521

potest inveniri alio modo ab eo secundum quem est bonum;
bonum autem commune omnibus est bonum purum. Et intentio in istis
est propinqua, et quasi ista postrema videtur convenientior.

52. IAM IGITUR APPARUIT QUOD TALIS VIRTUS ANIME MOVET, 433a31
ET EST QUE DICITUR APPETITIVA. ET DIVIDENTES 433b1
ANIMAM, SI DIVIDUNT EAM SECUNDUM VIRTUTES, TUNC
INVENIENT MULTAS PARTES VALDE, SCILICET NUTRITIVAM
ET SENSIBILEM ET INTELLIGENTEM ET COGITANTEM
ET DESIDERATIVAM; ISTE ENIM DISTINCTE SUNT ABINVICEM,
ET MAGIS DESIDERATIVA, ET SIMILITER IRASCIBILIS. 433b4

Iam apparuit ex hoc sermone quod talis virtus virtutum
anime, que comprehendit rem et desiderat ipsam, est virtus
movens animal, et est que dicitur appetitiva. Et illi qui solent
dividere animam in tres aut in duas partes, oportebat eos,
si intendebant dividere illam secundum virtutes habendas, dividere
eam in plures partes, cum plures habeat partes illis tribus, v.g.
nutritivam, sensibilem, intelligentem, et cogitativam.

53. ET PROPTER DIVERSITATEM APPETITUS CONTRARIANTUR 433b5
SIBI ADINVICEM. ET HOC ACCIDIT QUANDO
MODI APPETITUS FUERINT OPPOSITI; ET HOC NON ERIT
NISI HABENTI SENSUM PER TEMPUS. ET INTELLECTUS
COGET NOS AD PROHIBENDUM PROPTER REM FUTURAM,
ET APPETITUS PROPTER REM PRESENTIS VOLUPTATIS.
EXISTIMATUR IGITUR QUOD RES PRESENTIS VOLUPTATIS

EST VOLUPTAS SIMPLICITER, QUIA NON ASPICIT
REM FUTURAM.

433b10

Potest intelligi: et propter diversitatem appetituum qui sunt in anima concupiscibili, contradicunt sibi in motu adinvicem. Vel aliter: idest, et propter diversitatem appetitus anime concupiscibilis ab intellectu, contradicunt sibi adinvicem; et hoc manifestius. Deinde dixit: ET ACCIDIT HOC, etc. Idest, et hoc accidit in eadem re quando modi appetituum in ea fuerint oppositi; et iste modus contrarietatis non invenitur nisi in animali quod comprehendit tempus, quia comprehendit ex re aliud in presenti tempore quam illud quod in futuro, v.g. iudicare quod modo est voluptabile et in futuro contristabile. Deinde dixit: ET INTELLECTUS COGET AD PROHIBENDUM. Et intendebat demonstrare diversitatem duorum modorum in appetitu, scilicet appetitum intellectus et appetitum anime concupiscibilis. Anima enim concupiscibilis movet ad rem que est in actu voluptuosa; anima autem rationabilis multotiens prohibet hoc propter nocumentum futurum, v.g. coitus et crapula. Deinde dixit: EXISTIMATUR IGITUR, etc. Idest, multi igitur existimant quod res presentis voluptatis est voluptuosa simpliciter et nunquam contristabilis, quia virtus concupiscibilis non inspicit contristationem contingentem in futuro.

54. ET MOVENS EST APPETITUM SECUNDUM QUOD EST APPETITUM.
APPETITUM ENIM PRECEDIT ALIA; HOC ENIM
MOVET ET NON MOVETUR, QUIA MOVET YMAGINATIONEM
ET INTELLECTUM. MOVENTIA AUTEM SUNT
MULTA IN NUMERO QUIA RES PER QUAS FIT MOTUS

433b10

SUNT TRES, QUARUM UNA EST MOTOR, ET ALIA RES
PER QUAM MOVET, ET TERTIA MOTUM. ET MOTOR
EST DUOBUS MODIS: ILLE AUTEM EST NON MOBILIS,
ILLE VERO EST MOBILIS. NON MOTUM AUTEM EST
BONUM INTELLECTUM; MOTOR AUTEM ET MOTUM
EST APPETITIVUM (MOVET ENIM ILLUD QUOD MOVETUR
SECUNDUM QUOD EST APPETITIVUM, QUIA
APPETITUS EST ALIQUIS MOTUS, SCILICET QUI EST IN ACTU). ET
QUOD MOVETUR EST ANIMAL. ET INSTRUMENTUM
MOVENS EST APPETITUS. ET ISTA SUNT CORPORALIA,
ET IDEO QUERENDA SUNT IN ACTIONIBUS COMMUNIBUS
ANIME ET CORPORIS.

433b15

433b20

433b21

Et primus motor in hoc motu est res appetita secundum quod est appetita. Res enim appetita precedit alia moventia animal in hoc motu quia ista movet et non movetur, et ista est dispositio primi motoris. Deinde dixit: QUIA MOVET YMAGINATIONEM ET INTELLECTUM. Idest et est motor quia movet ymaginationem (quando appetitus fuerit partis ymaginative) aut intellectum (si appetitus fuerit istius partis anime). Deinde dixit: MOVENTIA AUTEM SUNT MULTA IN NUMERO. Idest, moventia autem

quibus fit iste motus sunt plura uno. Deinde dixit:
 QUIA RES PER QUAS FIT MOTUS, etc. Idest, et contingit ut
 motor sit plures uno propter hoc quod declaratum est
 in sermonibus universalibus, scilicet quod omnis motus fit
 per tres res, scilicet quarum una est motor qui non movetur,
 et alia illud per quod movet (et hoc est motor et motum),
 tertia autem est motum et non motor. Deinde dixit: ET MOTOR

Page 524

EST DUOBUS MODIS, etc. Idest, et declaratum fuit illic quod motor est duobus modis, scilicet motor non motus (et iste est primus), et motor qui movetur (et hoc per quod movet primus motor). Deinde demonstravit quid est unumquodque istorum trium in hoc motu. Et dixit: NON MOTUM AUTEM EST BONUM INTELLECTUM, etc. Idest, illud autem quod est in hoc motu movens non motum est bonum intellectum quod comprehendit anima appetitiva. Motor autem et motum est res appetitiva, idest membrum corporis in quo est ista pars anime; appetitus autem est motus qui est a re appetita per intellectum in actu. Et forte hoc intendebat cum dixit: QUIA APPETITUS EST MOTUS, SCILICET QUI EST IN ACTU; idest appetitus qui est a re appetita in actu. Vel aliter: idest appetitus qui est appetitus in actu. Motum autem et non motor, que est tertia res in hoc motu, est animal. Deinde dixit: ET INSTRUMENTUM EST APPETITUS, etc. Idest, et quia illud per quod movet primus motor necesse est ut sit corpus, cum sit motum, secundum quod declaratum est in universalibus sermonibus, et appetitus hic est illud per quod movet primus motor, ergo res appetitiva, per quam movetur animal, est corpus, et appetitus est forma eius. Et ideo oportet querere ea per que fit iste motus ubi loquitur de actionibus communibus anime et corpori, idest in parte Scientie Naturalis in qua loquitur de istis actionibus communibus, ut sompno et vigilia. Et ipse locutus fuit de hoc in tractatu quem fecit de Motu Animalium, sed iste tractatus non venit ad nos, sed quod transferebatur ad nos fuit modicum de abbreviatione Nicolai.

Page 525

55. ET DICO MODO UNIVERSALITER QUOD CORPUS MOVETUR
MOTU CONSIMILITUDINIS. UBI ENIM EST PRINCIPIUM,
ILLIC ETIAM FINIS, SICUT MOTUS GIRATIVUS.
IN HOC ENIM INVENITUR GIBBOSITAS ET CONCAVITAS,
ILLUD AUTEM FINIS, HOC AUTEM PRINCIPIUM.
ET IDEO HOC AUTEM EST QUIESCENS, HOC VERO MOTUM,
QUAMVIS IN DIFFINITIONE SINT DIVERSA, IN MAGNITUDINE
AUTEM NON DISTINCTA. OMNE
ENIM QUOD MOVETUR MOVETUR SECUNDUM
EXPULSIONEM EI ATTRACTIONEM. UNDE NECESSE EST UT RES
QUIESCAT, SICUT ILLUD QUOD EST IN CIRCULO, ET QUOD
PRINCIPIUM MOTUS SIT EX HOC.

Cum notificavit quod querere de rebus per quas fit iste motus convenientius est in alio loco, incepit hic narrare quandam rem universalem. Et dixit: ET DICO MODO UNIVERSALITER, etc. Idest, et dico modo quod corpus movetur a primo

instrumento ita quod primum instrumentum quod movet ipsum, quod est subiectum anime desiderative, est in corpore animalis in uno loco, a quo expelluntur partes partis mote animalis, et ad quem attrahuntur partes illius partis ab illo instrumento. Omnis enim motus compositus ex attractione et expulsionem, necesse est ut principium a quo est expulsio sit finis ad quem est attractio. Et ideo dixit: SICUT MOTUS GIRATIVUS; motus enim girativus compositus est ex attractione et expulsionem. Quoniam autem motus animalis compositus est ex attractione et expulsionem manifestum est, quoniam, quando pars dextra movetur a nobis et sustentati fuerimus super sinistram, tunc quedam partes illius partis erunt

Page 526

expulse ad antierius et quedam attracte, et sunt partes que sunt posterius. Et attractio et expulsio earum non est in rectitudine, sed secundum lineas non rectas, magis curvas quam rectas; et ideo assimilatur giro. Et instrumentum per quod corpus desiderat primo et universaliter non est cognitum a nobis. Et in loco huius sermonis invenimus in alia translatione sermonem manifestiorem sic: DICAMUS IGITUR BREVITER QUOD MOTOR EST QUASI HABENS EANDEM DISPOSITIONEM IN SUO PRINCIPIO ET SUO FINE, SICUT ILLUD QUOD DICITUR GRECE GIGGLIMUS. EST ENIM IN EO GIBBOSITAS ET CONCAVITAS, ET UNUM EORUM EST FINIS ET ALIUD PRINCIPIUM. Deinde dixit: IN HOC ENIM INVENITUR GIBBOSITAS ET CONCAVITAS. Idest, in omni enim quod movetur secundum expulsionem et attractionem, non recte, contingit esse concavitatem et gibbositatem, ita quod gibbosum sit quiescens a quo erit principium expulsionis et ad quod sit finis attractionis, et concavum sit motum, sicut est dispositio corporis moti circulariter; omne enim corpus quod movetur circulariter, motus eius componitur ex attractione et expulsionem, sicut dictum est in septimo Phisicorum. Deinde dixit: ILLUD AUTEM EST FINIS, HOC AUTEM PRINCIPIUM, etc. Idest, et ista pars quiescens est per motum attractionis finis, et per motum expulsionis principium. Et ideo necesse est ut gibbosum, aut illud quod est loco gibbosi, sit quiescens, et ut concavum, aut illud quod est loco concavi, sit motum; licet principium et finis in hoc motu sint diversa in diffinitione, in magnitudine autem idem, sicut centrum. Et hoc est econtrario de motu recto, scilicet quod principium et finis sunt in eo diversa in diffinitione et in magnitudine. Et membrum quod est tale in animali est cor, secundum ipsum. Deinde dixit: OMNE

Page 527

ENIM QUOD MOVETUR MOVETUR SECUNDUM ALIQUAM GIBBOSITATEM. Idest, et fuit necesse ut in animali sit tale membrum quiescens quia est principium motus expulsionis et finis attractionis propter hoc quod omne quod movetur secundum attractionem et expulsionem necesse est ut sit secundum aliquod gibbosum quiescens ad quod pervenit motus attractivus et a quo incipit motus expulsivus. Et ideo necesse est ut in omni tali sit aliquod fixum quod sit principium et finis, sicut centrum in circulo. Et iste sermo edificatur super duas propositiones, quarum una est quod motus

animalis in loco componitur ex expulsionem et attractionem;
 secunda est quod omnis motus compositus ex attractionem
 et expulsionem habeat rem quiescentem ex qua sit principium
 motus expulsiui et ad quam sit finis attractiui.
 Apparet enim quod necesse est in omni motu ut illud a quo
 est motus et ad quod est motus sit quiescens. Cum igitur
 motus fuerit compositus ex expulsionem et attractionem,
 continget ut hoc quiescens sit idem. Cum igitur hee due propositiones
 fuerint concesse, consequetur ex eis quod in animali est
 membrum quiescens a quo incipit motus expulsionis
 et ad quod peruenit. Et quia videmus quod ultimum membrum
 quod quiescit in motu locali est cor, necesse est
 ut eius principium sit ex eo. Sic igitur est intelligendus
 iste locus, et iste propositiones sunt manifeste et apparentes,
 sed verificare eas per inductionem et dare
 causas apparentium in hoc proprium est sermoni de motu
 animalium locali.

56. ET UNIVERSALITER, SICUT DIXIMUS, QUOD RES SECUNDUM
 QUOD EST ANIMAL HABET APPETITUM, SIC PER ILLAM
 INTENTIONEM MOVET SE. ET DESIDERIUM NON

433b27

Page 528

EST EXTRA YMAGINATIONEM; OMNE ENIM YMAGINATUM
 AUT EST SENSIBILE AUT COGITABILE (HOC ENIM
 INVENITUR IN ALIIS ANIMALIBUS). CONSIDEREMUS
 IGITUR IN ANIMALIBUS NON PERFECTIS QUID MOVEAT
 EA IN QUIBUS SENSUS NON EST NISI PER TACTUM
 TANTUM. DICAMUS IGITUR: UTRUM SIT POSSIBILE UT
 HABEANT TRISTITIAM ET DELECTATIONEM? ET SI HEC
 DUO HABENT, DE NECESSITATE HABENT APPETITUM.
 QUOMODO IGITUR ERIT YMAGINATIO? AUT FORTE,
 SICUT MOVENTUR MOTU NON TERMINATO, SIC ETIAM
 EXISTIT IN EIS? EST ENIM IN EIS, SICUT DIXIMUS, CUM
 YMAGINATIONE SENSATI NON TERMINATI.

iii.11

433b31

434a1

434a5

434a6

Et quia res secundum quod est animal habet appetitum, necesse
 est ut per illam intentionem moveat se. Et omnis
 appetitus non est sine ymaginatione; omne enim ymaginans
 aut habet illam formam ymaginatam, a qua movetur,
 ex sensu, aut habet eam ex cogitatione; in homine
 autem habetur ex cogitatione, in aliis vero animalibus ex sensu.
 Et cum posuerimus quod omnis appetitus fit ex ymaginatione,
 ymaginatio autem fit ex quinque sensibus in animalibus
 perfectis, oportet considerare quomodo moventur animalia imperfecta,
 que non habent nisi tactum tantum. Et manifestum est quod,
 si ista habent delectationem et tristitiam, necesse est ut
 habeant appetitum. Sed si posuerimus ea habere appetitum,
 necesse erit ut habeant ymaginationem. Sed ista existimantur
 non habere ymaginationem, cum non moveantur
 ad sensibilia nisi apud presentiam eorum, aut moveantur
 motu non terminato. Sed quocunque modo sit, dicamus
 quod, quemadmodum moventur motu non terminato,

Page 529

idest ad intentionem non terminatam, ita videtur quod
 ymaginantur ymaginatione non terminata, cum sentiant

sensu non terminato.

57. ET HOC ETIAM INVENITUR IN ALIIS ANIMALIBUS. 434a6
VIRTUS AUTEM COGITATIVA EST IN RATIONABILIBUS
TANTUM. ELIGERE AUTEM FACERE HOC AUT HOC EST DE ACTIONE
COGITATIVA. ET NUMERAT IPSUM UNUM DE NECESSITATE;
MOVETUR ENIM ERGA MAIUS, ITA QUOD POTEST
EX MULTIS YMAGINATIONIBUS UT AGAT. ET HEC EST 434a10
CAUSA EXISTIMATIONIS. NON ENIM HABET COGITATIONEM
QUIA NON HABET REM QUE FIT A RATIONE,
ET HOC EST QUOD EST ILLIUS PROPTER DELECTATIONEM,
QUIA NON HABET VIRTUTEM COGITATIVAM. DOMINATUR
IGITUR ET MOVET QUANDOQUE ILLUD ET QUANDOQUE
ALIUD. APPETITUS ENIM MOVET APPETITUM SECUNDUM SPERAM,
QUANDO HABUERIT INTENTIONEM CONTINENTIE;
EST ENIM SECUNDUM NATURAM PRIOR ET MOTOR, ITA
QUOD SINT MOTE ERGA MOTUM. 434a15

Et ymaginatio existit in aliis animalibus, cogitatio
autem in rationabilibus. Eligere enim facere hoc
ymaginatium et non hoc est de actione cogitationis, non
de actione ymaginationis. Iudicans enim quod hoc ymaginatium
est magis amabile quam hoc debet esse eadem virtus
de necessitate que numerat ymaginationes in
quibus iudicat magis delectabilius. Et hoc intendebat
cum dixit: ET NUMERAT IPSUM UNUM DE NECESSITATE.

Page 530

Idest, secundum quod reputo, et necesse est ut una virtus
numeret illas ymaginationes donec comprehendat ex eis magis
amatium, sicut unum numerat numeros inequales
donec comprehendat magis maiorem; similiter
cogitatio numerat ymaginationes et comparat inter eas donec
possit pati ab ymaginatione alicuius earum. Et hec
est causa quare animal rationale habet existimationem;
existimatio enim est consensus qui provenit a cogitatione.
Deinde dixit: NON ENIM HABET COGITATIONEM, etc.
Idest, et preter animal rationale nullum habet cogitationem,
quia non habet rationem; et motus animalium est
propter delectationem, et est motus simplex, non diversus,
quia non habet virtutem cogitativam cum appetitu
ita quod hee due virtutes dominarentur sibi adinvicem
adeo quod moveretur animal quandoque propter voluntatem
sicut in animali rationali. Deinde dixit: APPETITUS
ENIM MOVET APPETITUM, etc. Idest, accidit enim in habente
plusquam unum appetitum ut animal moveatur in quibusdam
locis a duobus appetitibus insimul, quando
acciderit ut unus appetitus fuerit dominans et continens
secundum; tunc enim inducet ipsum ad suum motum,
quando appetitus dominatus remanet motus in
suo motu proprio, sicut accidit in corporibus celestibus.
Unusquisque enim orbium stellarum erraticarum
videtur moveri per appetitum orbis stellarum fixarum
motu diurno, licet cum suo appetitu proprio moveatur
motu proprio. Deinde dixit: EST ENIM SECUNDUM NATURAM, etc. Idest, et
accidit hoc huic spere continenti alias, scilicet dominari super eas,

Page 531

propter hoc quia est prior natura aliis et movens eas, ita quod per hoc accidit ut alie moveantur ab ea.

58. VIRTUS AUTEM SCIENTIALIS NON MOVETUR, SED 434a16
QUIESCIT, QUIA ILLA EST EXISTIMATIONIS ET IUDICII
UNIVERSALIS INSIMUL, ISTA AUTEM EST PARTICULARIUM.
HOC ENIM FACIT QUOD OPORTET TALE FACERE TALEM
ACTIONEM, ET ILLUD EST QUIA ISTA RES EST SECUNDUM HUNC
MODUM, EGO ETIAM SUM SECUNDUM ILLUM. HOC ENIM ETIAM
MOVET, SED NON UNIVERSALE; AUT UTRUNQUE, SED ILLA 434a20
EST QUIESCENS, ISTA AUTEM NON. 434a21

Virtus autem que comprehendit universale
non movetur ad comprehensum, quia ista virtus est existimationis
tantum et comprehensionis rei universalis; res
autem universalis non movet omnino, cum non sit aliquod
hoc singulare. Virtus autem que comprehendit
particulare est particularium, et movetur quando
movet. Intendebat igitur hic per VIRTUTEM SCIENTIALEM
virtutem comprehendentem rem universalem. Deinde
dixit: ILLA ENIM FACIT, etc. Idest, virtus enim que comprehendit
universale affirmat quod oportet quod omne tale agat
talem actionem; virtus autem particularis est que comprehendit
exemplum sibi secundum hanc dispositionem quam
affirmavit, si esset sciens, ut ageret illam actionem.
Proveniet igitur a comprehensione istarum duarum virtutum
congregatio per quam fit actio. Deinde dixit: HOC
ENIM MOVET, etc. Idest, intentio enim particularis movet;
motio autem ad universale aut non est ei, aut dicamus quod

Page 532

motio est utrique, sed est universali quia est quiescens, et
particulari quia est motum. Et hoc intendebat cum dixit:
ILLUD AUTEM EST QUIESCENS, ISTUD AUTEM NON. Idest, sed si universale
fuerit movens, erit secundum quod est quiescens, aliud autem
particulare secundum quod est motum.

iii.12
59. NECESSE EST IGITUR UT ANIMA NUTRITIVA SIT IN OMNI, 434a22
ET UT ANIMA EXISTAT IN EIS DE GENERATIONE USQUE
AD CORRUPTIONEM. NECESSE EST ENIM UT OMNE
GENERATUM HABEAT PRINCIPIUM ET FINEM ET DESCENSUM,
QUE NON POSSUNT ESSE SINE NUTRIMENTO. 434a25
ERGO DE NECESSITATE VIRTUS NUTRITIVA EST IN OMNIBUS
REBUS AUGMENTABILIBUS ET DIMINUTIBILIBUS. 434a26

Cum complevit sermonem de omnibus virtutibus
anime universalibus, vult demonstrare que est ex eis
in animalibus propter necessitatem, et que propter melius.
Et dixit: NECESSE EST IGITUR UT ANIMA NUTRITIVA SIT IN OMNI
VIVO DE PRIMA GENERATIONE USQUE AD CORRUPTIONEM. Necesse
est enim ut omne habens animam habeat crementum
et diminutionem, cum impossibile est ut subito veniat
ad suam perfectionem postremam, sed descendendo
paulatim et intrando in senectutem. Et quia causa
crementi nichil aliud est quam nutrimentum, et causa diminutionis
nichil aliud est quam defectus cibi et eius paucitas, necesse

est ut anima nutritiva sit in omni eo quod crescit et senescit. Et quia omne vivum est tale, necesse est ut omne vivum sit nutribile.

60. ET NON EST NECESSARIUM SENSIBILEM ESSE SIMPLICITER. 434a27
ET IMPOSSIBILE EST SINE ISTA UT ANIMAL
SIT VIVUM, NEQUE ETIAM IN REBUS QUE NON RECIPIUNT

Page 533

FORMAM SINE MATERIA. NECESSE EST IGITUR 434a30
UT SENSUS SIT IN ANIMALIBUS, SI NATURA NICHIL FACIT
OCIOSUM. OMNIA ENIM EXISTENTIA PER NATURAM
AUT SUNT PROPTER ALIQUID, AUT SUNT ACCIDENTIA
CONSEQUENTIA QUE SUNT PROPTER ALIQUID.
OMNE ENIM CORPUS AMBULANS SINE SENSU CORRUMPITUR
ET NON VENIT AD FINEM, CUM FUERIT DE ACTIONE 434b1
NATURE. NOTUM EST IGITUR QUOD DE NECESSITATE INVENIETUR
SENSIBILIS IN ANIMALIBUS, QUONIAM SECUNDUM MODUM
EST MOTUS SINE SENSU. SED ISTE ETIAM EST IN EIS
QUE INNATA SUNT QUIESCERE. 434b2

Et non est necessarium ut virtus sensibilis sit simpliciter, idest in omnibus rebus que crescunt et corrumpuntur; sed in animalibus tantum necesse est ut sit virtus sensibilis. Impossibile enim est sine hac virtute ut aliquid sit animal. Et hoc est in rebus recipientibus eam non in materia; hoc enim nomen VITA dicitur de eis et istis equivoce; et innuit corpora celestia. Deinde dixit: NECESSE EST IGITUR UT SENSUS SIT IN ANIMALIBUS, etc. Idest, et apparet quod necesse est ut sensus sit in omni animali; et hoc quia Natura nichil facit ociose. Omnia enim naturalia aut sunt propter aliquid, aut sunt accidentia consequentia naturam de necessitate, et non intenduntur, v.g. pili qui oriuntur in locis non determinatis in corpore. Et cum ita sit, si animal non haberet sensum, cum hoc quod est ambulans, statim corrumperetur antequam perveniret ad complementum; et tunc Natura ageret ociose, cum incepit generare entia que non possunt pervenire ad finem in maiori parte, aut omnino. Notum est

Page 534

igitur quod necesse est ut virtus sensibilis sit in animalibus ambulantibus de necessitate, scilicet querentibus nutrimentum. Deinde dixit: EST ENIM SECUNDUM MODUM MOTUS SINE SENSU. Idest, quoniam, si inveniretur aliquid moveri in loco sine virtute sensibili, tunc esse illius est modo diverso ab esse generabilium et corruptibilium. Et innuit corpora celestia; illa enim, quia sunt non generabilia neque corruptibilia, si haberent sensum, tunc Natura ageret ociose, quemadmodum, si ista mobilia generabilia et corruptibilia non haberent sensum, tunc Natura ageret ociose. Deinde dixit: SED HOC EST EIS QUE INNATA SUNT QUIESCERE. Idest, sed privatio sensus debet esse de generabilibus et corruptibilibus in eis que innata sunt quiescere et non moveri ad nutrimentum, scilicet in vegetabilibus.

61. ET IMPOSSIBILE EST UT CORPUS HABENS ANIMAM 434b3

ET INTELLECTUM ET IUDICIUM SIT SINE SENSU CUM
NON SIT REMANENS, SIVE FUERIT GENERATUM SIVE
NON FUERIT GENERATUM. CAUSA ENIM PROPTER
QUAM NON HABET HOC EST QUOD NON IU VATUR PER
ILLUD CORPUS NEQUE ANIMA. MODO AUTEM NON
EST ALIQUOD ISTORUM: ILLUD AUTEM QUIA
IN MAIORI PARTE NON INTELLIGIT, ISTUD AUTEM QUIA IN
MAIORI PARTE NON EST.

434b5

434b7

Et impossibile est ut corpus habeat animam et
intellectum sine sensu cum illud corpus non est remanens
sed generabile et corruptibile, sive fuerit simplex

Page 535

sive compositum. Et hoc intendebat cum dixit, ut reputo,
GENERATUM AUT NON GENERATUM. Causa enim propter
quam debet esse corpus animatum intelligens sine sensu,
si potest esse, est quia illud corpus animatum non adiuuatur
per sensum, neque in anima neque in corpore. Sed
si posuerimus corpus animatum intelligens esse non generabile
neque corruptibile, manifestum est quod non
indiget sensu, cum non haberet sensus in ipso aliquod
iuvamentum. Iuvamentum enim quod est per animam
non habet quia anima sensibilis impedit in maiori parte
intellectum. Et hoc intendebat cum dixit: ILLA
AUTEM QUIA IN MAIORI PARTE NON INTELLIGIT, idest virtus autem
sensibilis quia in maiori parte non intelligit in animali
intelligenti. Iuvamentum autem virtutis sensibilis que
est per corpus non habet etiam, quia sensus in maiori
parte non est causa longitudinis vite et durationis.
Et hoc intendebat cum dixit: ET ISTA QUIA IN MAIORI PARTE
NON EST. Idest, et sensus in maiori parte est causa quare
res non sit, idest ut corrumpatur; et ideo sensibilia sunt
minoris vite quam multe plante.

62. ET PROPTER HOC, UTRUM NON EST CORPUS MOTUM
HABENS ANIMAM SINE SENSU? SED SI HABET
SENSUM, TUNC DE NECESSITATE AUT ERIT SIMPLEX
AUT COMPOSITUM. ET IMPOSSIBILE EST UT SIT SIMPLEX,
QUIA NON HABET TACTUM, ET NECESSE EST UT HABEAT IPSUM.

434b7

434b10

434b11

Et propter hoc quod declaratum est, si est aliquod
corpus motum habens animam non generabile neque

Page 536

corruptibile, tunc illud corpus non indiget sensu; et tunc
querendum est modo utrum est corpus motum habens
animam sine sensu, aut nullum corpus est tale. Et innuit
quod querendum est de hoc in alio loco. Deinde dixit: SED
SI HABET SENSUM, etc. Idest, sed manifestum est hoc quod, si virtus
sensus est in aliquo corpore, necesse est ut illud corpus
sit aut simplex, idest unum quatuor simplicium,
aut compositum ex eis, quod est generabile et corruptibile.
Et impossibile est ut sit corpus simplex; corpus
enim simplex impossibile est ut habeat sensum tactus,
et necessarium est ut tactus sit in omni habente sensum.

63. ET HOC SCITUR DE ISTIS REBUS: QUIA ANIMAL EST 434b11
CORPUS ANIMATUM, ET OMNE CORPUS EST TANGIBILE,
ET OMNE TANGIBILE EST SENSIBILE TACTU, ERGO
CORPUS ANIMALIS NECESSE EST UT SIT TANGIBILE,
SI ANIMALIA INNATA SUNT EVADERE. ET ALII SENTIUNT SENSUS
RESIDUI MEDIANTE ALIIS REBUS, V.G. OLFACTUS 434b15
ET VISUS ET AUDITUS. SI IGITUR TANGIBILE NON INVENITUR
SENSU, IMPOSSIBILE EST UT RECIPIAT QUEDAM ET FUGIAT
QUEDAM, ET SIC IMPOSSIBILE EST UT ANIMAL SALVETUR. ET PROPTER
[line 9 cont.] HANC CAUSAM
GUSTUS EST SICUT TACTUS; EST ENIM NUTRIMENTI, ET
NUTRIMENTUM EST CORPORIS TANGIBILIS. 434b19

Et hoc scitur de hiis propositionibus: quoniam omne
animal est corpus animatum, et omne corpus est tangibile,
et omne tangibile est sensibile per tactum, ergo
corpus animalis, si debet salvari et evadere ab occasionibus,

Page 537

necesse est ut habeat tactum. Et alii sensus residui
quos habet comprehendunt alia sensibilia mediantibus
aliis corporibus a suis propriis sensibilibus, v.g. sensus
auditus, olfactus, et visus. Si igitur animal non sentit corpora
tangibilia, tunc impossibile est ut veniat ad quedam
corpora et utatur eis in aliquo iuvamento, aut ut
fugiat quedam nocentia; et cum ita sit, impossibile est
ut animal salvetur. Deinde dixit: ET PROPTER HANC CAUSAM,
etc. Idest, et propter hanc necessitatem sensus gustus
est necessarius in animalibus sicut est tactus. Gustus
enim est propter nutrimentum, scilicet ad cognoscendum
conveniens ab inconvenienti, et nutrimentum est
in corpore tangibili; et ideo necesse est ut gustans sit tangens,
sicut declaravimus prius.

64. SONUS AUTEM ET COLOR ET ODOR NON NUTRIUNT, 434b19
NEQUE FIT EX EIS AUGMENTUM AUT DIMINUTIO. ET 434b20
PROPTER HANC CAUSAM GUSTUS DE NECESSITATE FUIT
ALIQUIS TACTUS, QUIA SENSUS NON EST NISI TANGIBILIS
NUTRIBILIS. ISTA AUTEM SUNT ANIMALIUM ET DE
NECESSITATE, ET MANIFESTUM EST QUOD IMPOSSIBILE EST
ANIMAL ESSE SINE SENSU; ISTA AUTEM ALIA SUNT UT SINT
MELIORA, ET HOC NON ACCIDIT CUILIBET GENERI ANIMALIUM, 434b25
SED QUIBUSDAM. ET SICUT NECESSE EST
UT ILLUD SIT AMBULANS, SI INNATUM EST
SALVARI, ET NON UT SENTIAT QUANDO TETIGERIT TANTUM,
SED A REMOTO ETIAM. 434b27

Sonus autem et color et odor non nutriunt corpus
quando veniunt super ipsum, neque faciunt in corpore

Page 538

additionem aut diminutionem sicut facit nutrimentum.
Et propter hanc causam quam dico, gustus de necessitate
est aliquis tactus, idest quia sensus gustus est alicuius
tangibilis nutrientis. Et hoc intendebat cum dixit: QUIA SENSUS
NON EST NISI TANGIBILIS. Deinde dixit: ISTI AUTEM SUNT ANIMALIUM
DE NECESSITATE. Et intendebat sensum tactus et sensum

gustus. Deinde dixit: ISTI AUTEM ALII; idest, tres sensus alii. Deinde (previous line continued:) dixit: ET HOC NON ACCIDIT, etc. Idest, et isti tres sensus non inveniuntur in quolibet genere animalium, sed in quibusdam. Deinde dixit: ET SICUT EST NECESSARIUM UT ISTUD SIT AMBULANS, etc. Idest, et sic animal, cum necesse est ei ut sit ambulans, si innatum est salvari, perfectius est ei ut non comprehendat sensibilia nociva et utilia de propinquo tantum et per tactum, sed ex remoto etiam, quoniam per istos duos modos sentiendi salvabitur perfectius et melius.

65. ET HOC NON ERIT NISI QUANDO FUERIT SENSIBILE 434b27
PER MEDIUM, QUIA ILLUD AUTEM PATITUR A SENSIBILI
ET MOVETUR, HOC VERO AB ILLO. ET QUEMADMODUM ILLUD
QUOD MOVET IN LOCO AGIT QUOUSQUE TRANSMUTETUR, 434b30
ET SIMILITER QUOD EXPELLIT ALIUD AGIT DONEC EXPELLATUR,
ET ERIT MOTUS PER MEDIUM (PRIMUM
AUTEM MOVET AUT EXPELLIT ABSQUE EO QUOD EXPELLITUR,
ALIUD AUTEM EXPELLITUR TANTUM ET NON EXPELLIT,
MEDIUM AUTEM HABET UTRUNQUE, ET MEAIA 435a1
SUNT MULTA), ET SIC EST DE TRANSMUTATIONE, SED QUIESCENS
IN EODEM LOCO. ET SICUT QUI IMPRIMIT IN
CERA IMPRIMIT QUAMDIU MOVET, ET AD LOCUM AD

Page 539

QUEM PERVENIT IMPRESSIO; LAPIS AUTEM NON IMPRIMITUR
OMNINO, SED AQUA IMPRIMITUR IN REMOTO
SPATIO, ET AER MOVETUR MULTUM ET AGIT ET PATITUR, 435a5
SI REMANET ET EST IDEM. ET PROPTER HANC CAUSAM
MELIUS EST UT AER PATIATUR PER CONVERSIONEM
A CORPORE ET A COLORE, QUAM QUOD POSSIBILE FUERIT
UT VISUS PER TRANSMUTATIONEM ET CONVERSIONEM.
ET EST IDEM IN REBUS LENIBUS. ET IDEO HOC
MOVET VISUM ETIAM, SICUT SIGILLUM EXISTENS IN
CERA REDDITUR AD ULTIMA EIUS. 435a10

Et hoc sentire quod est ex remoto fit quando sensibile moverit sentiens per medium, quoniam, quando illud quod est medium patitur et movetur a sensibili, et hoc quod est sensus patitur a medio. Deinde dixit: ET SICUT ILLUD QUOD MOVET IN LOCO, etc. Idest, et quemadmodum corpus movens in loco indiget in hoc quod moveat ut agat quousque moveatur et transmutetur, et similiter illud quod expellit aliud indiget ut expellatur, et tunc expellet, et sic motio in talibus rebus componitur ex tribus ad minus, scilicet primo motore, et medio, et postremo moto (primus autem motor expellit et movet et non movetur, postremum autem motum expellitur et movetur et non movet, medium autem facit utrumque, scilicet movet et movetur; medium autem potest esse unum et potest esse plus uno). Deinde dixit: ET SIC EST DE TRANSMUTATIONE, etc. Idest, et secundum dispositionem quam narravimus de motu in loco, scilicet quod componitur ex tribus rebus, ita est de hac transmutatione que fit a sensibilibus sensuum per media. Sensibilia enim movent et non moventur, et media inter ea movent sensus et moventur a sensibilibus,

Page 540

et sensus moventur et non movent. Sed est differentia inter ea quod ista transmutatio que est in istis rebus medio est et medium permanens in eodem loco, et non transfertur ab eo; illic autem medium transfertur; et similiter postremum motum. Et cum declaravit ea in quibus communicat ista transmutatio cum transmutatione in loco, et in quibus distinguitur ab ea, dedit exemplum in hoc. Et dixit: ET SICUT QUI IMPRIMIT CERAM, etc. Idest, et iste motus qui est medii in suis partibus a sensibili valde est similis impressioni sigilli in cera; et quemadmodum cera movetur cum suis partibus a sigillo, et ille motus pervenit in ceram ad quodcumque potest pervenire virtus imprimentis, et cera permanet in omnibus suis partibus, ita est dispositio in motu medii cum sensibilibus, scilicet quod exprimitur ab eis et expellitur ad omne ad quod pervenit virtus expressionis, et est permanens in suo loco non motum. Deinde dixit: LAPIS AUTEM, etc. Idest, et iste motus non adaptatur in omni corpore; lapis enim et sibi simile non exprimitur omnino, sed exprimitur illud quod est sicut aqua; aqua enim videtur exprimi in remoto spatio; et similiter aer; multotiens enim videtur agere et pati ab expressione, quando fuerit fixus secundum totum, non motus neque divisus. Deinde dixit: ET PROPTER HANC CAUSAM MELIUS EST UT AER PATIATUR, etc. Idest, et quia in medio possibilis est hec impressio, ideo melius est dicere, in conversione que fit in audibilibus et visibilibus, quod nichil aliud est nisi quia aer convertitur per illum motum qui est in eo et illam passionem que fit ex sensibilibus, quando

Page 541

occurrerit aliquid in quo non potest pertransire ille motus secundum rectitudinem ad sensus; melius est quam dicere conversionem esse corporum extra visum, sicut dicunt quidam Antiquorum, et concedunt Perspectivi, cum nulla sint ibi corpora extrinseca. Deinde dixit: ET EST IN ISTIS REBUS LENIBUS, etc. Idest, et iste motus est in rebus humidis. Et hoc intendebat per LENIBUS IDEM. Et ideo aer movet visum etiam; quemadmodum si sigillum existens in cera redderetur ad postremum finem adeo quod moveret aerem in parte secunda, ita sensibile movet aerem ita quod pertransitur per ipsum ad superficiem tangentem sensum, et sic movet sensum.

iii.13

435a11

66. MANIFESTUM EST IGITUR QUOD IMPOSSIBILE EST UT CORPUS ANIMALIS SIT SIMPLEX SICUT IGNIS AUT AER. IMPOSSIBILE EST ENIM UT HABEAT UNUM ALIUM SENSUM PRETER TACTUM; OMNE ENIM CORPUS ANIMATUM EST TANGIBILE, SECUNDUM QUOD DIXIMUS. ET ILLA ALIA SUNT INSTRUMENTA SENSUS, PRETER TERRAM; OMNIA ENIM FACIUNT SENSUS QUIA SENTIUNT PER ALIUD ET PER MEDIUM; TACTUS AUTEM FIT IN TANGENDO, ET IDEO VOCATUR HOC NOMINE. ET HOC EST CUM ALIA INSTRUMENTA SENSUS NON SENTIANT NISI MEDIANTE TACTU (SED HOC EST MEDIANTE ALIIS); ILLUD AUTEM EXISTIMATUR CONTENTUM PER SE. ET IDEO NULLUM ISTORUM ELEMENTORUM EST CORPUS

435a15

435a20

ANIMALIS. NEQUE TERRA. TACTUS ENIM EST QUASI
MEDIUM ALIIS SENSIBILIBUS, ET INSTRUMENTUM

Page 542

SENSUI. ET RES RECIPIENS NON CONGREGAT TANTUM
MUTATIONES TERRESTRES, SED ETIAM CALIDUM ET FRIGIDUM
ET ALIA TANGIBILIA. ET IDEO NON SENTIMUS
PER OSSA ET PILOS ET PER TALES PARTES; ET IDEO
VEGETABILIA NON HABENT ALIQUEM ISTORUM SENSUUM,
QUIA SUNT EX TERRA. IMPOSSIBILE ENIM EST
UT ALIUS SENSUS SIT SINE TACTU, ET HOC INSTRUMENTUM
QUOD EST SENSUI NON EST EX IGNE NEQUE EX ALIQUO
ILLORUM ALIORUM ELEMENTORUM.

435a25

435b1

435b4

Impossibile est igitur ut corpus animalis sit simplex.
Impossibile est enim ut animal habeat aliquem trium
sensuum sine tactu; omne enim animatum debet esse tangens.
Deinde dixit: ET ILLA ALIA, etc. Idest, et corpora simplicia
sunt instrumenta trium sensuum, preter terram,
que non est instrumentum alicuius sensus. Et hoc fuit
quia omnes isti sensus, scilicet tres, agunt sensum quia
indigent simplicibus instrumentis et medio extrinseco,
idest denudatis a sensibilibus, scilicet ut instrumentum
in visu et medium non habeant colorem, neque in
olfactu odorem, neque in auditu sonum. Et que denudantur
ab istis aut sunt corpora simplicia aut in quo dominantur
corpora simplicia. Sed tactus differt ab istis sensibus,
quia comprehendit suum sensibile sine medio, et
ideo nullo elemento medio utitur in extrinseco. Et cum
declaratum est hoc de sensu tactus, necesse est ut suum
instrumentum non sit simplex. Et universaliter vult declarare
hic quod tactus in hoc differt ab aliis sensibus.
Alii enim sensus si possent denudari a tactu, tunc possibile
esset ut corpus animalis habentis illos sensus esset

Page 543

simplex; tactus autem econtrario, scilicet quod impossibile
est quod suum instrumentum sit simplex. Omne
enim instrumentum debet denudari a sensibili; et quia
impossibile est ut aliquod corpus denudetur a quatuor
qualitatibus, necesse est ut instrumentum istius sensus
sit medium, idest admixtum ex elementis. Et cum ita
sit, contingit quod ista virtus est causa essentialis quare
corpus animalis est compositum. Deinde dixit: CUM HOC
QUOD ALIA INSTRUMENTA SENSUS, etc. Idest, et cum alii sensus
utuntur elementis tribus pro instrumentis et mediis,
necesse est ut tactus non utatur aliquo eorum, et
quod suum instrumentum sit compositum, non simplex;
licet instrumenta quibus illi utuntur non possunt denudari
a tactu, et ex hoc modo sunt composita; et si hoc
non esset necesse esset ut essent simplicia. Deinde dixit:
SED HOC EST PER ALIA MEDIA. Idest, sed indigentia eorum
a tactu non est indigentia eius quod comprehendit suum
sensibile per illum sine medio, sed per alia media et per
alia instrumenta. Deinde dixit: ET IDEO NULLUM ISTORUM
ELEMENTORUM, etc. Idest, et propter hoc quod diximus,
nullum istorum elementorum est corpus animalis. Neque terra

etiam, secundum quod est simplex aut prope simplex, cum alii sensus utantur elementis quasi instrumento et medio, et ista est alia virtus ab illis; quapropter non utitur elementis pro instrumento, cum suum instrumentum debet esse medium inter tangibilia, cum non possit denudari a qualitatibus tangibilibus, neque posset comprehendere tangibilia si esset tangibilis simplex, idest in fine alicuius qualitatis tangibilis. Deinde dixit: ET RECIPIENS NON CONGREGAT, etc. Idest, et recipiens tactum non de necessitate

Page 544

habet qualitates terrestres tantum, sed calidum et frigidum et alia tangibilia; et ideo necesse fuit ut recipiens tangibile sit medium, cum non possit denudari ab omnibus, neque etiam posset sentire si aliqua qualitatium tangibilium dominaretur in eo. Et ideo non sentimus per ossa neque per pilos, propter dominium qualitatium terrestrium in his corporibus; et ideo vegetabilia non habent sensum tactus; quapropter neque alios sensus, quia impossibile est alios sensus inveniri sine tactu; et instrumentum tactus neque est ignis neque aliud corpus elementorum, neque est corpus attributum eis secundum dominium.

67. DECLARATUM EST IGITUR QUOD ANIMALIA MORIUNTUR
NECESSARIO QUANDO CARUERINT HOC SENSU
TANTUM; ET ETIAM QUOD EST IMPOSSIBILE UT NON SIT IN
ANIMALIBUS. ANIMALIA ENIM NON DE NECESSITATE HABENT
ALIUM SENSUM NISI ISTUM. ET IDEO ALIA SENSIBILIA
NON CORRUMPUNT ANIMALIA PER DOMINIUM,
V.G. COLOR ET SONUS ET OLFACTUS,
SED TANTUM CORRUMPUNT INSTRUMENTA SENSUS,
NISI HOC SIT PER ACCIDENS (V.G. QUOD CUM SONO
SIT MAGNA PERCUSSIO; OMNES ENIM ISTI CORRUMPUNT
ANIMALIA, SED PER ACCIDENS). ET IDEO SAPORES
ETIAM NOCENT ANIMALIBUS MEDIANTE GUSTU;
GUSTUS ENIM EST ALIQUIS TACTUS. DOMINIUM AUTEM
TANGIBILIS, V.G. CALIDI ET FRIGIDI
ET DURI, CORRUMPIT ANIMALIA.

435b4

435b5

435b10

435b14

Page 545

Declaratum igitur est ex hoc sermone quod animalia moriuntur quando caruerint tactu, et quod impossibile est ut iste sensus non existat in animali dum animal est animal; quod non est de aliis sensibus; non enim est necessarium ut animal habeat alium sensum preter tactum. Et propter hoc, dominium et vigor aliorum sensibilium non corrumpunt animal, v.g. fortis color et fortis sonus et fortis odor, sed tantum corrumpunt sua instrumenta propria, nisi per accidens (v.g. quando cum sono fuerit magna percussio, et similiter de colore et odore). Sapores autem nocent animalibus essentialiter, mediante gustu; gustus enim est aliquis tactus. Sed qualitates corrumpentes animalia sunt tangibiles, v.g. calidum et frigidum et durum.

68. ET DOMINIUM CUIUSLIBET SENSIBILIS EXPELLIT

435b15

INSTRUMENTUM SENSUS, ET IDEO TANGIBILE EXPELLIT
TACTUM. ET PER ISTUM FUIT DIFFINITUM SCILICET
VIVERE; ANIMAL ENIM IMPOSSIBILE EST UT SIT SINE
TACTU. ET IDEO DOMINIUM TANGIBILIS NON TANTUM
CORRUMPIT INSTRUMENTUM SENSUS, SED
ETIAM ET ANIMAL, QUIA EST NECESSARIUM ANIMALI
UT SIT ENS, NON UT SIT IN MELIORI DISPOSITIONE.
ILLI AUTEM ALII SENSUS SUNT IN ANIMALI PROPTER
MELIUS: VISUS AUTEM UT ASPICIAT IN AERE ET AQUA;
ET GUSTUS UT SENTIAT DELECTABILE ET TRISTABILE
ET UT HABEAT APPETITUM ET MOVEATUR; ET SIMILITER
DE OLFACTU; AUDITUS VERO UT AUDIAT REM; LINGUA
VERO UT SIGNIFICET REM ALIO MODO.

435b20

435b25

Page 546

Et dominium omnis sensibilis, quando fuerit
intensum, corrumpit suum instrumentum proprium,
sive fuerit tactus sive alterius. Deinde dixit: ET PER ISTUM
FUIT DIFFINITUM, etc. Idest, et per hanc virtutem, scilicet
tactum, diffinitur animal; et causa in hoc est quia est
impossibile ut animal sit sine tactu. Et ideo accidit quod tangibile
intensum non tantum corrumpit instrumentum
sensus, sed animal essentialiter, quia sensus tactus est de
rebus necessariis animali, scilicet ut sit ens, non secundum
quod sit ei melius sicut est de aliis sensibus residuis.
Deinde dixit: VISUS AUTEM UT ASPICIAT IN AERE ET
AQUA. Et similiter de olfactu, scilicet quod primo est propter
appetitum cibi. Auditus autem ut audiat rem, idest sonos,
et intelligat per eos, in animalibus rationabilibus
et in animalibus brutis; in rationabilibus autem ut intelligant
intentiones quas significant verba. Lingua autem
ut significet rem alio modo. Et innuit, ut puto, iuvamentum
quod habet in verbis, non gustus; hoc enim iuvamentum
magis apparet propter melius quam in gustu, quoniam
gustus reputatur esse necessarius propter suam vicinitatem
tactui; alii autem sensus sunt propter melius,
et precipue visus et auditus. Et hoc est manifestum.